Scriptum habitum pro recognito, in contumaciam habet exequutionem paratam, dec.15.nu.1

Scripturam producens cenſetur omnia in ea contenta fateri, dec.50.nu.6.& 7

S E

Sententia præſumitur iuſta, dec. 2.num.17.& dec.58.nume.3.& dec.96.num.30

Et qui ſe læſum prætendit, id debet probare, ibid. dicta dec.2.num.19

Sententia eſt indiuidua, & non poteſt in vno valere, & in alio non.deciſ.8.nu.2

Sententia nulla ex defectu iuriſdictionis, numquam tranſit in iudicatum, etiam ſtante ſtatuto quod non poſſit appellari, aut de nullitate dici, d.dec.8.nu.4

Sententia nulla ex defectu iuriſdictionis, poteſt per Iudicem appellationis confirmari, quando fouet bonum ius ſuper meritis, dec.20.nu.3.& dec.31.nu.5

Idem eſt in ſententia nulla ex quocumque defectu, deciſ. 56.num.2

Limita, vt num.3.4.& 5.& dec.78.num.2

Sententia abſolutoria ab obſeruatione iudicij, ſaluo iure melius agendi, non eſt merè definitiua, ſed interlocutoria, habens vim definitiuæ, dec.22.nu.15

Sententia lata pendente dilatione ad probandum, eſt nulla, quia eo tempore Iudicis officium quieſcit, dec.31. numero 2

Fallit, quando eſt lata ad fauorem illius qui ſecundam dilationem petijt, d.dec.31.nu.3

Item fallit, quando fuit finita cauſa dilationis, d.dec.31. numero 4

Sententia inducit rem notoriam, & claram, dec.48.nu.9

Etiã ſi ab ea fuerit appellatũ, quia nihilominus militat

præſumptio pro ea, cui in dubio ſtandum eſt, d. deciſ. 48.num.10
Sententia, quæ tranſitum fecit in rem iudicatam, inducit rem claram, & notoriam, & ius conſtituit inter partes, pro veritate habetur, & facit de albo nigrum, deciſio.49.numero 1. & deciſ.79.numero 1. & deciſ.93. numero 2
Sententia lata contra diſpoſitionem ſtatuti dicitur nulla non propter defectum iuriſdictionis indicantis, ſed quia eſt lata contra formam ſtatuti, deciſio 53. numero 2
Sententia arbitraria Iudicis eſt omnino exequenda, nec ab ea poteſt appellari, deciſ.54.nu.7
Habet id tamen locum in Iudice qui ex mero arbitrio, & ſecundum ſuam conſcientiam poteſt iudicare: ſecùs in Iudice ordinario, & qui ex mera iuris diſpoſitione iudicare tenetur, d.deciſ.54.nu.8
Fallit etiam, quando Iudex excederet in arbitrando, d. deciſ. 54.num.9
Sententia lata parte non citata eſt nulla, etiam ſi ab Imperatore lata fuiſſet, deciſ.56.nu.1
Sententia lata ante publicationem proceſſus, & antequam ſint lapſi termini probatorij, eſt nulla, deciſio.68. numero 11
Sententia definitiua non exſpectat poſt ſe aliam ſententiam, ſed in totum dirimit negotium, deciſio. 74. numero 1
Sententia non dicitur definitiua, ſed interloquutoria, quando Iudex in cauſa principaliter procedit, d. deciſ. 74.num.2
Sententia interloquutoria habens vim definitiuæ eſt eius naturæ, vt dirimat negotium de quo diſputatur, nec expectet poſt ſe aliam ſententiam, deciſio. 83. numero 1
Nec ab ea poteſt appellari, d.deciſ.83.nu.2
Sententia præcipitanter & ſine cauſæ cognitione lata, nulla dicitur, deciſ.89.nu.4
Sententia debet ferri ſuper totum negotium de quo agitur aliàs eſt nulla, deciſ.64.nu.2
Sententia lata ſuper certis tantum perſonis alijs omiſſis, valet quo ad perſonas nominatas tãtum, dicta dec.64. nume.3
Sententia nulla ob peremptam inſtantiam, poteſt confirmari dum fouet bonum ius in meritis, dicta deciſ. 64.num.6
pro Sententia, & Iudice pronunciante eſt in dubio iudicandum, dec.27.nu.1
ex Sententia quæ tranſitum fecit in rem iudicatam acquiritur dominium rei in ſententia aſſignatæ tam quo ad dominium, quam quo ad proprietatem, deciſ.49. numero 2
Sententiæ definitiuæ eſt proprium in totum dirimere negotium de quo agitur, & ex hoc dignoſcitur quod ſit definitiua, deciſ.44.nu.1
Sententiæ tot dicuntur quot ſunt capita ſeparata, deciſ. 83.num.4
Sententiæ ſeu lauda, quæ continent plura, ac diuerſa capita, ſi ſunt nulla in vno capite, in alijs non vitiantur, dec.96.num.42
diſpoſitio de Sententijs non ſolum eſt intelligenda de ſententijs definitiuis, ſed de interloquutorijs, & de quibuſcumque alijs in quibus viget eadem ratio, deciſio. 27. numero 2
Sequeſtratarius non tenetur rem ſequeſtratam præſentare quando ſequeſtrum eſt nullum. deciſ.81.nu.2
Simulatio vide in verbo Contractus.

S O

Sollemnitas extrinſeca ex curſu triginta, & quadraginta annorum præſumitur etiam in præiudicium tertij, deciſ.70.nu.63
Sollemnitas extrinſeca non præſumitur in his quæ ſunt magni præiudicij ex curſu temporis, dicta deciſ.70. num.64
Fallit in præſcriptione triginta & quadraginta annor. d.deciſ.70.nu.65
Sollemnitas extrinſeca, an, & quando debeat præſumi ex curſu temporis, remittitur Iudicis arbitrio, dicta deciſ.70.nu.66
Sollemnitas in actu non præſumitur, vbi requiritur ſcriptura, d.dec.70.nu.68.
Habet tamen locum quando non conſtat de actu; quia tunc requiritur ſcriptura, nec præſumitur ſollemnitas, ſecùs quando conſtat de actu: quia tunc ſollemnitas extrinſeca præſumitur adhibita vt actus valeat, dicta dec.70.nu.69
Sollemnitas extrinſeca ſemper adhibita præſumitur, licet nec enunciata, nec ſcripta fuerit, d.deciſ.70.nu.70
Sollemnitas non præſumitur adhibita, vbi ex facie inſtrumenti conſtat non interueniſſe, d.dec.70. nu.71.
Quod procedit, vbi ex facie inſtrumenti legitur & enunciatur ſollemnitates non interueniſſe, d.deciſ.70. numero 72
Sollemnitas extrinſeca quod præſumatur ex lapſu temporis, intelligi debet, quando interuenit ſcientia illius qui actum impugnare debebat, dicta deciſ.70. numero 73
Quod non procedit, quando adeſt lapſus triginta & quadraginta annorum: quia ſtante etiam ignorantia, ſollemnitas præſumitur, d.dec.70.nu.74
Solo quidquid adhæret cedit ipſi ſolo, deciſ.28. nu.8
Solutio facta a debitore creditori, non exprimens in quam cauſam ſoluat, poteſt debitor declarare in quam cauſam velit accipere, dec.23.nu.3
Solutio facta a debitore creditori, cenſetur facta in extinctionem debiti antecedentis, & non ſubſequentis, tamquam in duriorem cauſam, dicta deciſ.23. numero 5
Solutio facta a debitore creditori, præſumitur data pro eo debito pro quo talis res conuenit, maximè ſi impleat ſummam debitam, d.deciſ.23. num.15
Solutio integrè facta non dicitur, etiam quod in vno ſolo nummo deficiat, dec.52.nu.8
Solutio debiti antiqui probatur ex coniecturis, deciſ.61. numero 14
Solutio ex antiquitate temporis præſumitur, d.deciſ.61. numero 15
Solutio ex veriſimilitudine facta præſumitur, d.deciſ.61. numero 20
Solutio fieri poteſt illi cum quo debitum fuit contractum, & cui fuit facta promiſſio, licet non fiat mentio de domino, & agatur proprio nomine, deciſ.7.nu.2
Solutio non liberat debitorem, niſi fiat vero domino, vel

eius

eius legitimo procuratori, d.deciſ.7. nu.8

Solutionis exceptio poteſt opponi etiam aduerſus iuramentum, deciſ.88. num.5

Solutionis exceptio non dicitur propriè exseptio, ſed deſenſio d.deciſ.88.nu.6

S T

Statutum Lucenſe de compromiſſo faciendo vbi lis agitur inter coniunctos, quomodo ſit interpretandum, deciſ.1.nu.11

Statutum præfigens terminum ad delicta proſequenda, elapſo termino, cenſetur ſublata a Iudice omnis iuriſdictio procedendi ſuper eo, dec.3.nu.1.

Statutum loquens alternatiuè, ſufficit in vno ex alternatiuis verifisari. deciſ.9.nu.2

Statutum loquens de vulnere, non comprehendit vulnuſcula, d.deciſ.9.nu.6

Statutum iuri communi non dicitur derogare, niſi per verba expreſſa id fuerit dictum, deciſio.38. numero 5

Statutum debet ita interpretari, vt minus iuris communis diſpoſitioni deroget quam fieri ſit poſſibile, d.deciſ. 38.nu.6. & deciſ.70. nu.43

Statutum prohibens dici de nullitate, numquam exsludit nullitatem, quæ inſurgit ex defectu iuriſdictionis, deciſ.40.num.11

Statutum quando de nouo aliquid inducit cum certis modificationibus, id pro forma cenſetur inductum, deciſio. 41.num.3

Statutum tribuens exequutionem inſtrumentis, etiam parte non citata, intelligitur de liquidis, deciſio. 43. num.2

Statutum quod eſt conforme cum iuris communis diſpoſitione, debet aliquid operari vltra diſpoſitionem iuris communis, ne aliàs ſuperfluum reddatur, deciſio. 52. numero 4

Statutum vbi adeſt ſpesiale in aliquo caſu, illud debet attendi omiſſo generali, deciſ.69.num.1

Statutum de retractu, debet habere locum in vera & reali venditione, non autem in ficta, & ſimulata, deciſ.70. numero 8

Statutum Lucanum, quod ius recomperę non poſſit vendi, cedi, vel transferri quouis titulo, &c. comprehendit titulum pro hærede, & operatur quod ius recomperæ competens patri, non poßit in filium transferri, d.deciſ.70.num.85

Fallit quando lis fuit insboata a deſuncto; quia non obſtante ſtatuto, ius recomperæ tranſmittitur ad filium, d.deciſ.70.nu.86

Statutum de retractu, eſt correctorium iuris communis, desiſ.70.nu.88

Statutum quod requirit, quod qui vult retrahere, debeat probare rem alienatam fuiſſe aſcendentium, verificatur, quando fuit probatum fuiſſe patris & aui, d.deciſ. 70.num.90

Statutum quod contumax non poßit appellare, eſt intelligendum in vero sontumace, dec.76.nu.2

Statutum generaliter loquens de ſententijs, eius generalitas non debet reſtringi ad certas partisulares ſententias, ſed eſt intelligendum in genere de omnibus ſententijs, deciſ.80.nu.3

Statutum eſt præcisè obſeruandum, deciſ.89.nu.2

Statutum præfigens terminum ad disendum de nullitate, præfixo tempore finito, omnis nullitas prohibita cenſetur, etiam ea, quæ ex actis pateret, desiſio.96. numero 8

Statutum quod exsludit filias, & nepotes in genere, a ſucceſſione, quando extant filij, nepotes, fratres, vel filij fratrum maſculi, ſufficit vt in conditione ſi ſine filijs ſeminæ non veniant, dec.97.nu.29

Statutum ſufficit excludere feminas a ſucceßione grauati ad hoc vt filiorum appellatione feminæ non contineantur, d.dec.97.nu.27

Statuti diſpoſitio facit ceſſare iuris communis diſpoſitionem, deciſ.2.nu.9. & dec.4.nu.1

Statuti requiſita vbi interueniunt, eius etiam diſpoſitio ſuum debet ſortiri effectum, deciſ.9.nu.4

Statuti ſuppoſita quando interueniunt debet eſſe losus eius diſpoſitioni, des.80. num.2

Statuti diſpoſitio eſt intelligenda de actu valido, non autem de inualido, dec.81.nu.4

Statuto prohibente exseptiones sontra laudum, senſentur prohibitæ exceptiones ex actis apparentes, deciſio.40. numero 10

in Statuto qui ſe fundat, debet probare qualitates a ſtatuto requiſitas, dec.71.nu.1

ſtante Statuto excluſiuo ſeminarum filiorum appellatione ſeminę non sontinentur, des.97.nu.22

Statuta ita interpretari debent ne ſuperflua reddantur, dec.13.num.9

Statuta extenſionem non recipiunt, ſed ad litteram ſunt interpretanda, dec.28.nu.8

Statuta ſunt ſtrictè intelligenda, & abſque alia expoſitione, quam ea, quæ patitur ſenſus, & sonſtructio verbalis, deciſ.47. nu.2

Statuta ſunt intelligenda ſano modo, & vt non operentur contra intentionem ſtatuentium, & ne a ſapientibus reprehendi poſſint, d.dec.47.nu.4

Stylus facit ius ac præcisè ſeruari debet, deciſio. 68. numero 9

S V

Sucsedens in ius alterius, habet omnia iura, quæ habuit ille in cuius locum ſusseſſit, deciſ.48.nu.6

Superflua non ſunt dicenda quę ad maiorem declarationem fuerunt appoſita, desiſ.72.nu.3

T A

TAbellioni magis creditur quam alijs perſonis, deciſ. 30.num.13

Tasens, & patiens aliquem adminiſtrare, & negotia gerere preſumitur illius perſonam approbare, deciſ. 77. numero 2

T E

Tempus a ſtatuto aſſignatum ad retrahendum, eſt vtile, & ideo non currit aduerſus ignorantes, deciſio.70. numero 45

Tempus quadriennij datum a lege ad petendam reſtitutionem in integrum, vtile eſt, & per conſequens non currit

rit aduerſus ignorantes, d.dec.70.nu.46
Tempus datum a ſtatuto licet ſit vtile, tamen quando labitur curſus triginta annorum, non conſideratur ſcientia, vel ignorantia: quia talis præſcriptio contra omnes indiſtinctè currit, d.deciſ.70.nu.48
Temporis præſentis illatio ad futurum fieri non poteſt quando interuenit magnum temporis interuallum ſed tantum pro modico temporis ſpacio eſt permiſſa, deciſ. 33.num.34
Tempore elapſo ad comparendum, comparens non eſt audiendus, dec.46.nu.9
Tertius comparens in iudicio, dicitur verus actor, deciſ. 17.num.7
Tertius comparens in iudicio pro ſuo intereſſe, & inconti nenti docens de ſuis iuribus, debet audiri, & poteſt opponere ſuas exceptiones, & facere quod iudicium differatur, deciſ.25.num.4
Teſtamenti vna pars aliam declarat, d. deciſio. 97. numero 8
Teſtator præſumitur voluiſſe ſe conformare cum diſpoſitione iuris communis, d.deciſ.97.nu.5
Teſtator excludendo proprias filias dotatas, cenſetur velle bona ſua in agnatione, & familia conſeruari, etiam ſi nullam faciat agnationis mentionem, d.dec.97. num. 12
Teſtator præſumitur velle bona in agnatione conſeruari, quando progreditur ad plures gradus ſubſtitutionum, d.dec.97.nu.13. & nu.33
Teſtator præſumitur plus diligere filios, quam nepotes, d. deciſ.97.nu.16
Teſtator præſumitur velle quod id ſuus hæres faciat, quod ipſe in vita eſſet facturus ſi viueret, deciſio.97. numero 21
Teſtator vt credatur voluiſſe bona in agnatione conſeruari, requiritur quod induxerit fideicommiſſum perpetuum, d.deciſ.97.nu.31
Contra nu.32.& nu.34
Teſtis vnicus probat contra partem producentem, deciſ. 34.num.7
Et hoc, etiamſi deponeret per verbum, credo, & dec.70. nu.53.& deciſ.96.nu.74
Fallit quando iſte teſtis non fuit per partem reproductus, imo dixit nolle eius dicto vti, deciſ.34.nu.8
Contrarium, deciſ.70.nu.80. & 81
Teſtis non repetitus parte præſente, vel citata, in criminalibus nihil probat, deciſ.11.nu.2
Quod eo magis procedit, quando Iudex procedit via accuſationis, & parte inſtante, d.deciſ.11.nu.3
Teſtis non repetitus non facit indicium, dicta deciſio.11. numero 4
Teſtis ſingularis non probat, maximè ad effectum puniendi, d.deciſ.11.num.7
Teſtis non repetitus facit præſumptionem, dicta dec.11. numero 8
Teſtis de certa ſcientia, iunctus cum præſumptione, facit plenam probationem, d.dec.11.nu.9
Teſtis contrarius, & ſingularis nihil probat, dicta deciſ. 11.num.14
Teſtis domeſticus repellitur, dec.62.nu.5
Teſtis debet dicere, & allegare cauſam ſui dicti, aliàs nec etiam facit indicium, d.dec.62.nu.7
Teſtis de viſu licet non ſit omni exceptione maior, ſufficit ad torturam, dicta deciſ.62. num.8.
Quæ opinio ibi tamen reprobatur.
Teſtis vbi plures patitur exceptiones, nihil probat, etiam in cauſis priuilegiatis, & quando veritas aliter non poteſt haberi, dec.71.nu.4
Teſtis vnicus admittitur in ſummariſſimo poſſeſſorio, deciſ.71.num.5
Contrarium nu.6. & 7.
Teſtis omni exceptione maior ille dicitur, cui nulla de mundo exceptio opponi poteſt, d.dec.71.num.9
Teſtis de auditu non probat, dec.85.nu.3
Teſtis de falſo puniri non poteſt, quando falſitas eſſet dicta reddendo rationem ſui dicti, dec.99.nu.29
Teſtis ſicut in vno falſus, in omnibus redditur falſus, ita in vno verus, in ceteris redditur verus, deciſ.100. numero 3
Teſtis de facto proprio deponens quando non habet intereſſe honoris, commodi, vel alterius generis, etiam ſi ſit vnicus, plenè probat, deciſ.30.nu.12
Teſtis depoſitio quæ per neceſſe non concludit, parum, aut nihil probat, dec.11.nu.5
Teſtis dictum debet per neceſſe concludere, dicta dec.11. numero 15.
Teſtis vnius dictum eſt dictum nullius, deciſio.85.numero 4.
Teſti de facto proprio deponenti non creditur, quando agitur de præiudicio tertij, dec.30.nu.9
Teſti de facto proprio deponenti plena fides adhibetur, quando aliqua concurrunt adminicula, dicta deciſ.30. num.11
Teſtem producens, licet eius dicto nolit vti, eius tamen perſonam dicitur approbare, deciſ.70. nu.82
in Teſte ratio debet optimè concludere, deciſio. 31. numero 4.
Teſtes ſingulares non faciunt plenam probationem, deciſ. 54.num.1
Fallit, quando deponunt de facto proprio, deciſio. 57. numero 11
Teſtes habentes utilitatem in cauſa in qua examinantur, non plenè probant, dec.54.nu.2
Teſtes inimici non admittuntur, d.deciſ.54.nu.3
Teſtes parte non citata examinari poſſunt in caſu neceſſitatis, & probant, dec.11.nu.11
Teſtes de auditu probant plenè contra partem producentem, etiamſi nullum eſſet examen, dec.12.nu.12
Teſtes electi ad æſtimationem bonorum, dicuntur reddere ſufficientem rationem ſui dicti, quando deponunt, bona per eos æſtimata quod ita communiter venderentur, & emerentur, deciſ.70.nu.8
Teſtes & probationes magis concludẽtes, obtinent in iudicio retinendæ poſſeſſionis, deciſ.71.num.10
Teſtes ſingulares licet non probent, probant tamen ſi ita iuſtis de cauſis Iudici viſum fuerit, deciſio. 100. numero 12
Teſtes non habentes notitiam confinium, non probant identitatem, deciſ.31.nu.6

T I

Titulus prior cum traditione magis debet attendi quam poſterior, dec.12.nu.4

Tor-

T O

Tormenta non ſunt repetenda, niſi ſuperuenerint noua indicia prioribus grauiora, etiam in delictis atrociſſimis, dec.100.nu.15

Hoc tamen non procedunt, quando indicia priora eſſent valdè grauia, & tortura leuis, ita quod per eam non potuerint purgari, ibid.

Tormenta non eſſe repetenda in dubio eſt iudicandum, d. deciſ.100.nu.19

Tortura per ſpatium dimidiæ horæ cum ictu & quaſſatione dicitur valdè grauis, & eſt quartus gradus torturæ, d.deciſio.100. numero 18

Tortura non poteſt inferri, niſi extent indicia, & ea quidem ſufficientia, deciſ.62.nu.1.& 2

ad Torturam in delictis occultis & difficilis probationis, & grauiſſimis deuenitur, etiamſi indicia non eſſent ita perfecta, ſicut requiritur in alijs delictis. Immo ex aliquorum ſententia deueniri poteſt ad tormenta ſine indicijs. Et quod propter enormitatem delicti poteſt procedi ordine iuris non ſeruato, dec.100.nu.13

T R

Tranſactio non admittitur vbi non adeſt lis, vel timor alicuis litis, dec.29.nu.5

Tranſactio ſecundum vnam magis communem opinionem Doctorum, non reſcinditur ob enormiſſimam læſionem, deciſ.96.nu.71

Ad hoc autem vt poſſit reſcindi ſecundum aliam communem, debet læſio excedere dimidiam iuſti pretij in magno exceſſu, d.deciſ.96.num.72

Tranſactio vt per læſionem poſſit reſcindi, iſta læſio debet probari habito reſpectu ad dubium litis euentum ſuper quo fuit tranſactum, aliàs tranſactio non reſcinditur, d.deciſ.96.nu.75

T V

Turbare quis non dicitur, qui contendit poſſeſſionem rei alterius, ſed dicitur vti iure ſuo, & ne ſuis iuribus afferatur præiudicium, deciſ.3.nu.8

Tuſci incipiunt annum a die incarnationis D. N. Ieſu Chriſti, deciſ.46.num.6

Tutor ſemel liberatus, non poteſt amplius moleſtari ab hæredibus illius, qui illum liberauit, deciſ.61.num.2

Tutor liberatus a minore facto maiore, per tranſactionem, non poteſt amplius moleſtari, niſi actione de dolo, d.deciſ.61.num.8

Tutor conſtituens in cauſa pupilli aduocatum, & procuratorem, dicitur facere illud quod quilibet bonus pater familias in tali caſu faceret, deciſ.96.nu.82

Tutor non tenetur niſi de lata, & leui culpa, non autem de leuiſſima, d.deciſ.96.num.83

Tutor qui ſemel reddidit rationem ſuæ tutelæ, non debet amplius moleſtari, d.deciſ.96.num.89

Tutor qui a defuncto fuit liberatus, non poteſt ab hæredibus amplius moleſtari, d.deciſ.96.nu.92

cum Tutore vbi agitur, vel alio qui rationes reddere tenetur, etiamſi ſit reus, debet libros, & quaſcumque ſcripturas edere quæ tangunt intereſſe illius cui reddenda eſt ratio, deciſ.59. num. 2

Tutores vbi plures ſunt, illi qui non adminiſtrauerunt, habent beneficium ordinis aduerſus tutores adminiſtrantes, & conueniri non poſſunt niſi in ſubſidium, & excuſſis prius tutoribus adminiſtrantibus, deciſio.96.num.84

V A

Valor bonorum eſt æſtimandus ſecundum tempus contractus, deciſ.33.nu.6

Valor fundi probatur ex quantitate fructuum, deciſio.70. num.10.& 13

Valor alicuius rei, vt legitime probetur, debet haberi ratio onerum, & grauaminum inhærentium ipſi rei, aliàs valor non dicitur concludenter probatus, deciſio. 96. numero 73

V E

Venditio ficta & ſimulata, nullum transfert dominium, deciſ.70.nu.2

Venditio aliqua de cauſa ſi redditur nulla, emptor tenetur reſtituere venditori omnes, & quoſcumque fructus perceptos a die factæ venditionis vſque ad diem effectualis relaxationis, dec.96.nu.77

Venditionem ſapit alicuius rei æſtimatæ traditio, deciſ. 23. num.14

Venditor quandocumque tenetur de euictione rei venditæ, deciſ.19.num.5

Venditor quando titulo conductionis detinet rem venditam, talis conductio facit ceſſare ſuſpicionem ſimulationis, dec.33.nu.27

Verbum (Debet) importat formam, deciſ.41.num.4. & dec.46.num.1

Verbum (Debet) de ſui natura importat neceſſitatem, deciſ.82.num.2

Verbum (Prædicta) non comprehendit ſeparata ac diuerſa a ſupra enumeratis, dec.96.nu.99

Verbum (Legitimè) appoſitum in ſtatutis, importat ſecundum leges, & iura, & ſic ſtatutum recipit interpretationem a iure communi, dec.1.nu.18

Verba libelli oſtendunt quæ actio fuerit intentata, deciſ. 22. num.2

Verba (Quouis modo) important omnes cauſas excogitabiles maiores, ſeu minores, ſiue æquales, aut ſimiles, deciſ.30.nu.1

Verba debent reſtringi & intelligi ſecundum mentem agentis, d.dec.30.nu.14

Verba appoſita inter pacta vtilia, & ſic in exequutiuis, non debent operari, nec ampliare, aut extendere præcedentem diſpoſitionem cui accedunt, vt trahantur ad eaſum ad quem aliàs non traherentur, d.dec.30.num.15

Verba prouocãtia alios ad offenſionem, vt puta, amazza, amazza, dagli, dagli, *iuſto dolore prolata, ſunt excuſatione digna, ſaltem ita vt non puniantur pœna ordinaria, deciſ.32.nu.4*

Verba appoſita in contractu quod quis intendit retinere bona pro maiori cautione iurium ſuorum, & pro addendo iura iuribus, important pignus, & hypothecam, deciſ.33. num.8

Verba (Dare, & aſſignare,) important dominij tranſlatio-

ſtationem, dicta deciſ.33. num. 12
Verba enunciatiua contra tertium, & in eius preiudicium, non probant, dec.36. nu.6. & 7
Verba (Quocumque modo, & Qualitercumque) omnia comprehendunt, deciſ.36. num.10
Verba nulla præſumuntur in contractu appoſita ſine effectu, d.deciſ.36 num.12
Verba (Quaſcumque interrogationes) omnes interrogationes comprehendunt. deciſ.59.nu.5
Verba incidenter prolata ad repellendam moleſtiam, non inducunt confeſſionem præiudicialem, dec.75.nu.3
Verba generalia, ea etiam comprehendunt, quæ aliàs in diſpoſitione non comprehenderentur, deciſ.96. nu.1
Verba legis & Principis ſunt ſemper intelligenda cum effectu, deciſ.5.nu.3
Verba ſunt ſemper interpretanda in potiori ſignificatu, etiam in materia ſtricta, d.dec.5.nu.4
Verba, (Non poſſit, ac nequeat vllo modo) appoſita in ſtatuto, & ad Iudicem directa, auferunt ab eo omnem iudicandi facultatem, dec.8.nu.1
Verba, (Cum ſanguinis effuſione) ſunt intelligenda de notabili quantitate, deciſ.9.nu.8
Verba principaliter & diſpoſitiuè prolata in diuiſione, probant quo ad omnes diuidentes, dec.12.nu.6
Verba enunciatiua inter contrahentes prolata, etiam ad diuerſum finem, plenè probant, d.deciſ.12.num.17
Veriſimile quod non eſt, non eſt credibile, & habet imaginem falſitatis, dec.97.num.19

V I

Via mediá in dubio eſt eligenda, dec.70.nu.6.
Via priuata non poteſt ab aliquo ex conuicinis occupari in præiudicium aliorum in ea communicantium, niſi interueniente eorum omnium conſenſu, deciſio.84.numero 2
Via publica a nemine poteſt occupari cum ſit iuris publici, d.dec.84. nu.3

V O

Voces eorum quorum non intereſt non ſunt audiendæ, deciſ.1.num.14

V X

Vxor ſine conſenſu viri non poteſt ad aliquid ſe obligare, & contrahere, deciſ.20.num.4
Fallit, quando eſſet effecta locupletior, ead. deciſio.20. numero 5

F I N I S.

DECISIONES
ALMAE ROTAE
LVCENSIS,
FRANCISCO MERLINO I. V. D.
FOROLIVIENSI AVTHORE,
AC EIVSDEM ROTAE AVDITORE.

ARGVMENTVM.

Iudices in ſyndicatu de quibus querelari, ſyndicari, ac condemnari poſſint, & de quibus non.

SVMMARIVM.

1 *Iudices non poſſunt ſyndicari, niſi de dolo, ac barattaria, non autem de iniuſtitia.*

2 *Capitula Rotę Lucenſis de ſyndicatu officialium loquentia, quomodo ſint intelligenda.*

3 *Iudices, quando ſunt ſyndicandi de iniuſtitia, hoc debet intelligi de iniuſtitia euidenti, ac notoria.*

4 *Conditio quando non valet, non vitiat, ſed vitiatur, nec nocet, neque eſt neceſſe ab ea appellare.*

5 *Iudices non ſyndicantur de his, quæ fuerunt reuocata.*

6 *Iudices ex qualibet cauſa excuſantur a ſyndicatu.*

7 *Probationes ſunt arbitrariæ, & poteſt Iudex magis credere teſtibus vnius partis, quam alterius.*

8 *Iudex deſerens appellationi, cui non erat deferendum, excuſatur a pęna.*

9 *Dictiones (tam, & quam) copulant, & coniungunt æquè principaliter.*

10 *Iudices eo magis debent abſolui a ſyndicatu, ſi ab eorum ſententijs datur appellatio.*

11 *Statutum Lucanum de faciendo compromiſſo, quando lis agitur inter coniunctos, quomodo ſit intelligendum.*

12 *Inſtrumentum, quando vulneratur per exceptiones contra eum oppoſitas, & res ſit dubia, debet fieri compromiſſum, non obſtante ſtatuto prohibente cõpromiſſum, vbi adeſt inſtrumentum.*

13 *Quando ex allegatis res redditur dubia, ſemper eſt pronunciandum pro compromiſſo fiendo.*

14 *Voces quorum non intereſt, non ſunt audiendæ.*

15 *Mandatum ſpeciale requiritur ad querelandum Iudices in ſyndicatu.*

16 *Mandati ratificatio ad querelandum Iudices, poſt terminum trium dierum ad ſyndicandum facta non releuat.*

17 *Mandatum ſpeciale requiritur ad reſpondendum poſitionibus.*

18 *Verbum (legitimè) in ſtatutis appoſitum, importat, ſecundum leges, & iura, & ſic ſtatutum recipit interpretationem à iure communi, & cum eo ſe conformare videtur.*

19 *Reſponſio facta poſitionibus ita eſt intelligenda, vt non inducatur aliqua contrarietas.*

20 *Teſtis, licet vnicus, contra producentē plenè probat.*

21 *Bannitus cum talia, amittit omnia quæ a iure ciuili conceduntur, ſecundum magis communem opinionem Doctorum, & maximè ea beneficia iuris, quæ exiſtunt in loco, & territorio banni.*

22 *Confeſſio erronea, quando procedit a procuratore, poteſt reuocari, etiam non docto de errore, & poteſt interpretari per Iudices, ita vt domino non noceat, & relinquitur arbitrio iudicis, vtrum talis confeſſio ſit vera, nec ne.*

23 *Reſeruatio facta per iudicem in ſententia, non ſolum conſeruat ius quod quis habebat, ſed etiam nouam tribuit actionem.*

DECISIO PRIMA.

Dominus illuminatio noſtra.

AGEBATVR coram nobis ſyndicatus Dominorum Iudicum Rotæ anteceſſorum noſtrorum, cõtra quos fuerunt porrectæ nonnullæ quærelæ, quarum prima fuit Ioannis Laurentij Gigantis, quæ tria capita principaliter continebat.

Vnum erat, quod prædicti Domini iudices in concedenda exequutione laudi ad fauorem d. Io. Laurentij lati, appoſuerint talem declarationem, quod in euentum, in quem idem Ioan. Laurentius non eſſet ab ijſdem iudicibus in ſententia per eos in iudicio delegato ferenda, declaratus filius legitimus, ac naturalis Capitanei Ioannis Gigantis, intelligeretur prorſus denegata talis exequutio, quæ declaratio prætendebatur ab eodem querelante iniuſta, necnon contra formam iuris, ſtatutorum, & capitulorum Rotæ.

Aliud erat caput ſuper declaratione facta per eoſdem iudices in cauſa delegata, dum pronunciauerunt non conſtare, nec conſtetiſſe de dicta filiatione Ioan. Laurentij, abſoluendo reas conuentas à petitis.

Vltimum caput conſiſtebat in recurſu admiſſo per eoſdem Iudices, cum prætenderet idem Ioannes Laurentius illi non fuiſſe deferendum in præiudicium ipſius, tam ex diſpoſitione iuris communis, quam etiam ſtatutorum, ac Rotæ capitulorum.

A quibus omnibus iudicauimus prædictos Dominos iudices fore abſoluẽdos (prout abſoluimus) ex infraſcriptis cauſis, & rationibus.

Primo, quia traditum eſt communiter a Do-
1 ctoribus, quod † Iudices ſyndicari non poſſunt niſi de dolo, ac barattària, non autem de iniuſtitia, ex multis, quos refert Ioſeph Lud. *in ſuis com. concluſ. q. 38. col. 3. verſ. infertur, num.* 102. Latè Bertaz. *conſ.* 71. *& conſ.* 81. *necnon conſ.* 91. *vol.* 1. *in crim.* Eugen. *in conſil.* 60. *num. fin.* Plenè Farinac. *de var. ac diuerſ. quæſt. q.* 111. *num.* 425. *& ſeq. par.* 3. Et
2 licet per † cap. eiuſdem Rotæ ſit diſpoſitum, quod Iudices ſyndicari debeant etiam de iniuſtitia, de imperitia, & de nullitate ſententiæ, attamen huiuſcemodi capitula dicendum eſt eſſe intelligenda, & reſtringenda ad terminos iuris communis, quando ſcilicet talis iniuſtitia euenerit per dolum, prout ita intellexit, ac reſtrinxit Ioſeph Ludou. de eiſdem capitulis in ſpecie loquens, *in deciſ. Luc.* 1. *num.* 50. *& deciſ.* 3. *num.* 39. *& num.* 56. Nec dici poteſt, quod dictæ deciſiones compilatæ fuerint poſt cap. Rotæ, quoniam eadem cap. impreſſa fuere de anno 1561. & 1573. & 1577. in quibus leguntur eadem ferè verba, quæ habentur in capit. Rotæ vltimo loco impreſſis. At deciſiones Ludouici fuerunt compilatæ de anno 1577. in fine anni; & ſic poſt dd. cap.

3 Secundò dicitur, † quod quando Iudices eſſent ſyndicandi de iniuſtitia per diſpoſitionem ſtatuti, hoc tamen ſemper intelligi debet de iniuſtitia euidenti, ac manifeſta, vt in terminis tradit poſt Pari. de Put. *in tract. ſynd.* Gram. *in conſ.* 54. Bertaz. *in d. conſ.* 91. *nu.* 4. & Claud. ad eundem Bertaz. *in conſ.* 81. *in littera C.* & Fab. Turret. *in conſil.* 4. *num.* 87. *& ſequenti*. In caſu autem iſto vui fuerunt dd. Iudices excuſatione digni ab huiuſcemodi euidenti, ac notoria iniuſtitia, ex his, quæ ipſimet latiſſimè in deciſionibus eorum adduxerunt, & præcipuè

Quoad primum caput, de conditione appoſita
4 in ſententia exequutionis, quia † talis conditio vitiabatur, & non valebat, neque vitiabat; tum ex forma ſtatuti *in capit.* 107. *lib.* 1. tum etiam de iure communi, vt per Abbat. *in conſil.* 73. *num. fin. volu.* 1. Gabr. *Comm. Concluſ. titul. de ſentent. concluſ.* 1. *num.* 15. Et ideo non obſtabat, neque nocebat d. Ioan. Laurentio, nec erat neceſſe appellare *l.* 1. *& toto tit. C. quan. prouoc. non eſt neceſſ. vbi Scribent.* ſicuti ex alio etiam dicitur non obſtare, ex
5 quo d. reſeruatio † nullum habuit effectum, cum fuerit reuocata, quo caſu ceſſat ſyndicatus. Ioſeph Ludou. *d. deciſ. Luc.* 3. *num.* 46. Videnturq. dd. Iudices habuiſſe legitimam excuſationem apponendi talem conditionem, dum ſentiebant non eſſe probatam filiationem in caſu principali, & nol-
6 lent votum propalare; & † qualibet cauſa excuſat Iudices a ſyndicatu, vt per Amad. de Caſtel. *in tractatu ſyndic. num.* 249. *& Grammat. d. conſil.* 54. *num.* 2.

Quo vero ad ſecundum caput, ſuper filiatione d. Ioan. Laurentij, dum declarauerunt eum non eſſe filium legitimum, ac naturalẽ Capitanei Ioannis Gigantis, & ſic magis credere voluerunt teſtibus Raguſiæ examinatis pro parte D. Margharitæ & aliorum litis conſortium, quam teſtibus, & probationibus prius factis per Ioan. Laurentium,
7 viſi ſunt excuſari potuiſſe ex eo, quia † probationes ſunt arbitrariæ, & poteſt Iudex magis credere teſtibus vnius partis, quam alterius, vt per Gabr. *Com. Concluſ. titul. de teſtib. concluſ.* 2. *num.* 62. Menoch. *de arbitr. iudic. caſu* 90. & Farinac. *de teſtib. quæſt.* 65. *& ſeq.*

Quo verò ad tertium caput, recurſus admiſſi, erant quoque dd. Iudices excuſandi, per ea, quæ latiſſimè deduxerunt in eorum deciſione, & præ-
8 cipuè, quia † Iudex deferens appellationi, cui non erat deferendum, excuſatur a pœna. Arch. *in c.* 1. *de appell. num.* 6. quem refert, & ſequitur Dec. *in conſil.* 49. *num.* 2. in fine. Contard. *de moment. poſſeſſ. limit.* 27. *num.* 8.

Vltimo loco erant abſoluendi dd. Iudices ex quo in querela porrecta per Ioan. Laurentium fuit dictum & oppoſitum contra dd. Iudices, non ſolum de iniuſtitia, & imperitia, ſed etiam de dolo
9 & malitia, per † dictiones (tum, & quam) quæ copulant, & coniungunt æquè principaliter, vt per Surd. *conſil.* 317. *num.* 16. *lib.* 3. & Caroc. *deciſio.* 56. *num.* 2. quo caſu, cum huiuſcemodi dolus, & malitia non fuerint probata, remanebant dicti DD. Iudices in manifeſto caſu abſolutionis, prout

in hac

in hac eadem Rota aliàs fuit deciſum de anno 1592. in cauſa ſyndicatus, necnon habetur latiſſimè per Turret. *in conſil.4. num.41. cum ſeq.*

Ex eiſdem etiam rationibus, ac fundamentis fuit iudicatus dignus abſolutione D. Iudex primarum inſtantiarum, ac eiuſdem Rotæ Auditor;
10 & † eo magis: quia ab eiuſdem ſententijs datur appellatio, prout fuit appellatum ab eiſdem pronuncijs, de quibus fuerat querelatus, ad tradita per Ioſeph. Lud. *deciſ. Luc.3. num.46.* Bartol. *in quæſt. 9. Iudex per imperitiam. num.* 20. Vrſil. ad Afflict. *deciſ.288. num.2.*

Fuerunt etiam contra eoſdem DD. Iudices porrectæ nonnullæ aliæ querelæ, nempè per Dominicum Nelium de Terrilio, eo quia pronunciauerint fieri compromiſſum, a qua fuerunt per nos abſoluti cum condemnatione d. Dominici in expenſis, moti, Primo, quia lis agebatur inter coniunctos, & ideo ex forma ſtatuti erat faciendum compromiſſum. Et licet fuerit per reum oppoſitum obſtare quoddam inſtrumẽtum & ideo verſa-
11 ri in caſu limitationis ſtatuti; Attamen † quia inſtrumentum non producebatur ab actore, ſed a reo excipiente, meritò ipſe reus non potuit impedire compromiſſum, cum actor poſſet in hoc iuri ſuo renunciare, & ſic tali inſtrumento in eius fauorem celebrato, vt in terminis tradit Alex. *in conſil. vlt. num.15. lib.6.* Soc. ſen. *in conſil.51. lib.1.* quem refert & ſequitur Honded. *conſil.9. num... libro 1.* Ioſeph. Ludou. *deciſ.26.* & Cornaz. *deciſ.186.* vbi ita pro compromiſſo fiendo in hac Rota deciſum
12 fuiſſe teſtantur. Secundò, quia † quotieſcumque contra inſtrumentum opponuntur exceptiones illud vulnerantes, & res ſit dubia, tunc debet fieri compromiſſum non obſtante inſtrumento, vt poſt Socin. Blanch. & alios, tradit Surd. *in conſil.252. num.21. lib.2.* alios allegat Honded. *d. conſ.9. num. 25.* Ceterum, in hac ſpecie ſtatim quod reus oppoſuit de inſtrumento emptionis, fuit per actorem oppoſitum illud eſſe ſimulatum, & plures pati exceptiones, de quibus ſupponitur datus aliquis fumus; immò poſtea euenit, quod contra ipſum inſtrumentũ pronunciatũ fuit, meritò, &c. Tertiò,
13 quia cum non poſſet negari, quin ex † allegatis res redderetur dubia, erat vtique pronũciandum pro compromiſſo fiendo. Socin. *conſil.4. num.6. lib.1. & conſil. 51. num. 10. eod. lib.* Honded. *d. conſil.9. num.12.* Ludou. *d. deciſ.26. num.17.*

Fuit etiam porrecta alia querela cõtra vnum ex dictis Iudicibus, per D. Ioannem Garzonum, a qua fuit idem D. Iudex abſolutus, cum condemnatione querelantis in expenſis, eo quia non docuit ipſe querelans de aliquo eius intereſſe, prout tene-
14 batur, & † voces quorum non intereſt, non ſunt audiendæ. *l. cum adoptio, ff. de adopt.* Tiraquel. *de retractu lignag. §.1. glo.2. nu.51.* Neque etiam do-
15 cuit † de aliquo mandato ſpeciali, & in indiuiduo ad querelandũ, prout in ſyndicatu requiritur, *l.1. in fi. C. vt tam ciuil. quam crim.* per quem textum ſic in ſpecie tradiderunt Aret. *Inſtit. de his per quos ager. poſ. num.3. & 19.* Mozius *in tract. de contr. tit. de mandato, §. 2. num. 40. verſ. vigeſimus nonus caſus, fol.177.* Ludouic. *Com. Concl.30. Concl. Illat. 42.* & Hieron. Giach. *in conſil. de ſyndicatu poſt pract. Clari num.48.* Nec obſtabat aſſerta ex ad-
16 uerſo ratificatio: quia † cum fuerit facta poſt lapſum trium dierum præfixorum ad querelandum, non erat habenda in aliqua conſideratione, vt in terminis tradit idem Giachar. *in d. conſil. num.52. & ſeq.* & eſt text. *in l. bonorum, quæ eſt lex penultima, ff. rem rat. hab.* per quem text. ita tradunt Rota Romana, *deciſ.290. num.1. in nouiſſ.* Corne. *in conſil.190. in fine, lib.1.* Latiſſimè Surdus, *deciſ. 111. num.2.* Neque etiam poterat admitti ſupradicta ratificatio, ex quo per ſtatutum Lucenſe *in cap.56. lib.1.* diſponitur, quod ſi procurator in prima ſua comparitione non doceat de mandato, remota quacumque dilatione amplius non audiatur.

Vltimo loco fuerunt querelati ijdem DD. Iudices per Marcum Sufficientem, eo quia ipſi non cõdemnauerunt Chriſtophorum Sufficientem ad reſtitutionem nonnullorum fructuum ab eo perceptorum. A qua querelà fuerunt ipſi quoque abſoluti. Primò, quia reſponſio facta poſitionibus, in qua pars ſe fundabat, fuit facta a perſona non ha-
17 bente † mandatum ſpeciale ad reſpondendum poſitionibus, prout de iure requiritur. Vrſil. ad Afflict. *deciſ.148. num. fin.* Socin. ſen. *conſil.55. in fine, lib.1.* cum alijs per Caballin. *ad Conſtitut. March. lib.6. cap.11. Caſu 41.* Nec obſtat quod videatur hoc per ſtatutum permiſſum, quia contrarium colligitur ex deciſ. Ludouic. *Luc.44. num.36.* & Magoni *deciſ. Luc.13. num.34.* quod etiam deducitur
18 ex verbo † legitimè, in ſtatuto appoſito, quod importat ſecundum leges, & iura, *l. Gracchus, C. de adult. §. ſi quis autem, Auth. de hæred. & Falcid.* & ſic conſtat ſtatutum ſe conformare cum diſpoſitione iuris communis, a quo recipit interpretationẽ, & ſic præſupponere, quod ſpeciale mandatum requiratur. Accedat etiam, quod illa confeſſio facta per d. procuratorem, erat relatiua ad aliam reſponſionem factam interrogatorijs, ſed in dicta reſponſione nihil fuit faſſum quoad quantitatem fructuum, nec fuit facta aliqua mentio de tempore poſſeſſionis, ergo idem eſt dicendum circa reſponſionem ad poſitiones, per ea quæ latè tradit Maſcard. *de probat. lib.1. Concl.385.* Et eo magis: quia talis confeſſio erat contraria reſponſioni ad aliam
19 poſitionem præcedentem, & † ea erat de iure facienda interpretatio, quæ non induceret contrarietatem, Alex. *conſ. 44. num.9. & 10. lib. 2. & conſil.102. num.6. & ſeq. lib.5.* Fuit quoque prædicta reſponſio erronea, ex quo conſtabat in proceſſu matrem, & ſorores d. Martij, poſſediſſe nomine proprio, non autem Chriſtophori, prout colligebatur ex depoſitione vnius teſtis producti, &
20 examinati pro parte d. Martij, qui † licet ſit vnicus, attamen contra producentem plenè probat, Roman. *conſil.104.* Socin. iun. *in conſil. 69. num. 11. lib.1.* Crauet. *in conſil. 201. num.7. lib.2.* cum alijs latè deductis per Honded. *in conſil.99. nu.16.*
21 *& conſil.102. nu.12. lib.1.* Ac etiam † quia ſupradictus Chriſtophorus erat tunc tẽporis bannitus, &

cum talia, quo caſu ipſe amiſerat omnia ea, quæ a iure ciuili ſunt conceſſa, ſecundum magis communem DD. opinionem *l.1.C.de hæred.inſtit.* Rimin.iun. *in l. vt vim, ff.de iuſt. & iure*. Et nonnulli aſſerunt dictam opinionem eſſe pluſquam magis communem, & prætertim quod amittat beneficia iuris communis, vna cum his, quæ conceduntur per iura municipalia exiſtentia in loco, & territorio banni. Tib. Decian. *reſponſo 86. nu.32.lib.3.* Sed ſic eſt quod poſſeſſio eſt iuris ciuilis, vt dicit Corrad. *in §.nihil commune, num.3.ff.de acq.poſſeſſ.* & Petr.Rauen. *in Alphab.aureo, in verb. poſſeſſio*, qui teſtatur de communi, ergo cum eſſet incapax beneficiorum iuris ciuilis, conſequenter erat etiã
22 incapax talis ſucceſſionis; & eo magis, quia † talis confeſſio erronea procedebat a procuratore, quo caſu poterat reuocari, etiam non docto de errore, & poterant Iudices illam interpretari, & intelligere ita vt domino non noceret, Rota Romana, *deciſ.613.in nouiſſim. diuerſorum, par.1. num.9. & 10.* & Menoch. *de arbitr. caſu 248. num.7.* vbi quod relinquitur arbitrio iudicis, an confeſſio ſit vera necne. Vltimo loco fuerunt dd. Iudices digni abſolutione, ex quo reſeruauerunt iura petendi
23 prætenſos fructus, † & ſic nihil de iuribus ipſius Martij abſtulerunt; immò per talem reſeruationem non ſolum ſibi fuit reſeruatum ius, quod prius habebat, ſed fuit etiam noua actio acquiſita vt latè per Barzium, *deciſ.Bononien.53.num.23.& ſeq.* Grammat. *in conſil.54. num.9.* Et ideo non poterant ob hoc moleſtari in ſyndicatu.

ARGVMENTVM.

Laudum quando dicatur nullum, & iniquum, & non exequendum.

SVMMARIVM.

1 *Laudum notoriè nullum, & euidenter iniquum, non eſt exequendum.*

2 *Compromiſſum factum in duos arbitros cum facultate tertium eligendi in caſu diſcordiæ, eſt nullum, & contra iura.*

3 *Arbitri non poſſunt excedere fines eorum iuriſdictionis.*

4 *Laudum latum elapſo termino in compromiſſo conſtituto, eſt nullum ex defectu iuriſdictionis.*

5 *Prorogatio termini compromiſſi debet intimari partibus, & non intimata perinde eſt, ac ſi prorogata non fuiſſet.*

6 *Intimatio prorogationis temporis ſi ſit facta poſtquã ſpirauit tempus compromiſſi, in aliqua conſideratione non eſt habenda, cum talis intimatio debeat fieri intra tempus compromiſſi.*

7 *Laudum continens manifeſtum errorem, eſt nullum.*

8 *Laudum continens enormiſſimam læſionem, eſt iniquum, quæ iniquitas nullitatem ipſius parit, & per conſequens exequi non debet.*

9 *Statuti diſpoſitio facit ceſſare quidquid de iure communi determinatur.*

10 *Promittens ſtare laudo, præcisè tenetur ei parere actione ex ſtipulatu.*

11 *Compromiſſum in duos factum cum facultate eligendi tertium, quod non valeat, procedit in caſu in quo dicti duo non conſentiant in electione tertij, ſecùs ſi conſentiant, & de conſuetudine poteſt in duos compromitti, qui ſi diſſentiant in electione tertij, debet iudex eligere, cuius authoritati parendum erit.*

12 *Gloſſæ authoritas potius eſt ſequenda, quam Bartoli, cum ſit maioris authoritatis.*

13 *Supradicta ſententia de compromiſſis in duos faciendis, non habet locum in arbitratoribus.*

14 *Item non procedit vbi adeſt conſuetudo faciendi compromiſſa cum nominatione tertij.*

15 *Arbitris quando data eſt facultas iudicandi, & procedendi non ſeruato iuris ordine, & vt dicitur* (alto, & baſſo) *& vt eorum conſcientijs videbitur, ipſi poſſunt omittere ſollemnitates à iure requiſitas.*

16 *Error in ſententijs numquam præſumitur.*

17 *Præſumendum eſt ſemper pro iuſtitia, & rectitudine ſententiæ, & quod iuſtis & rationabilibus de cauſis fuerit lata.*

18 *Arbitris quando data eſt ampliſſima facultas in compromiſſo, poſſunt lædere partes ex aliqua iuſta & apparenti cauſa, ita ipſis viſa.*

19 *Læſio, quam quis prætendit ex ſententia, debet plenè, & concludenter probari.*

20 *Creditor in diem, poteſt agere contra eius debitorem ad hoc vt adueniente die ſoluat.*

DECISIO II.

Controuertebatur inter Spect. viros Horatiũ Meium ac Aldobrandum Manfredum occaſione quarumdam partitarum dati, ac recepti; pro qua controuerſia terminanda, fuerunt de conſenſu partium electi duo arbitri, cum pleniſſima facultate iudicandi, & cum authoritate eligendi tertium in caſu diſcordiæ. Qui arbitri tulerunt eorum laudum, in quo condemnauerunt d. Aldobrandum in ſcutis centum triginta duobus; Cuius laudi fuit petita exequutio coram D. Iudice ordinario, qui exequutionem petitam conceſſit, a qua pronuncia fuit interpoſitus recurſus ad Rotam pro parte d. Aldobrandi propter exceſſum, & nouum grauamen, & damnum irreparabile, intentando beneficium capit. Rotæ 52. Circa quod multa fuerunt pro parte d. Aldobrandi deducta, & in ſpecie quod ſupradicta pronuncia D. Iudicis a quo, ſit om
1 ninò reuocanda, cum † laudum notoriè nullum, & euidenter iniquum, (vt ipſe aſſerebat) exequi mandet, contra text. *in l.4. §.condemnatum, & in l. ſi cum nulla. ff.de re iudic. & in l. ſi prætor, §. Marcellus, vbi DD. de iudic. & in l.1.* & ibi Bald. *in princ. C. de exequut. rei iudic.* Roman. *in conſil.336. nume.1.* plenè Aretin. *in conſil.56.col.1. per totam.* & in puncto Pariſ. *in conſil.24. nume.146. & ſequen. libro 2.*

Ad

Ad docendum autẽ quod tale laudum eſſet nul-
lum, & iniquum, dicebatur
2 Primò, quia latum fuit vigore † compromiſſi
nulliter facti, ex quo fuit factum in duos arbitros,
cum facultate tertium eligendi in caſu diſcordiæ,
quod videtur contra text. expreſſum *in l. item ſi v-*
nus, §. ſi in duos, ff. de recept. arbitr. & in c. innotuit,
extr. de arbitr. Simon de Pret. *in conſil. 97. nu. 31.*
3 Secundò, quia † arbitri exceſſerunt fines eorũ iu
riſdictionis, ex quo laudauerunt ſuper interuſurijs
ſeu intereſſe in compromiſſo non comprehenſis,
per l. ſi cum dies, §. ſi intra, de arbitr. Roman. *in con-*
ſil. 155. num. 1. & 2. & in conſ. 175. num. 2. Afflict.
deciſ. 117. per totam.
4 Tertiò, quia † laudum tulerunt elapſo tempore
in compromiſſo conſtituto, quo fit, vt nullum ſit
omninò iudicandum ex defectu iuriſdictionis, *l. ſi*
cum dies, §. ſi intra, de recept. arbitr. l. 1. in fine, C.
eod. Roman. *in conſil. 67. in princ.* Alexand. *in con-*
ſil. 82. num. 1. lib. 5.
5 Nec obſtare dicebatur, quod † laudum fuerit
latum in tempore prorogato; quia cum huiuſ-
modi prorogatio parti intimata non fuerit, perin-
de eſt, ac ſi facta non fuiſſet, per doctrinam Baldi,
in l. eos, §. Apoſtolos, C. de appellat. Capic. *deciſ.*
93. num. 5. Pariſ. *in conſil. 43. num. 8. & 13. lib. 1.*
plenè Dec. *in conſil. 39. in princ.* & latè Boer. *deciſ.*
283. num. 32. & infra.
Neque etiam obſtare dicebatur quod in pro-
6 ceſſu † intimata legatur ſub tali die, quia tunc tem
poris compromiſſum exſpirauerat, quo fit, vt ta-
lis intimatio in aliqua conſideratione haberi ne-
queat, cum intimatio intra tempora compromiſ-
ſi fieri debeat, vt per Pariſ. *d. conſil. 43. num. 8. lib.*
1. cum ibi adductis.
7 Quartò, quia † contineret manifeſtum erro-
rem; cum ex partitis regiſtratis in proceſſu, & ſu-
per quibus tantum fuerat factum compromiſſum,
habita ratione prætenſionum d. Aldobrandi, prę-
tenderetur clarè apparere ipſum Aldobrandum
potius creditorem eſſe d. Horatij, quam debito-
rem de ſupradictis ſcutis 132. de quibus in dicto
laudo, & propterea nullum eſſe iudicandum.
8 Quintò & vltimo, quia in eodem † laudo adeſ-
ſet enormiſſima læſio; cum condemnet d. Aldo-
brandum in ſupradicta ſumma, in qua nullo modo
poterat condemnari per ſupradicta; ex qua enor-
miſſima læſione, detegebatur iniquitas ipſius lau-
di, quæ nullitatem inducit, Anch. *in conſil. 207. nu*
me. 8. verſic. quæ iniquitas, & conſequenter efficit,
quod exequi non debeat, Pariſ. *d. conſil. 24. num.*
149. lib. 2.
Quibus tamen non obſtantibus, fuit per Rotam
noſtram contrarium deciſum, & confirmata ſen-
tentia D. Iudicis a quo: Cum enim in hoc caſu ha-
beremus claram diſpoſitionem capit. Rotæ, non
erat quærendum quid de iure communi ſit deter-
minatum: per capit. etenim Rotæ 57. diſponitur,
quod ab huiuſcemodi ſententijs ſeu laudis arbitro
rum, ſiue arbitratorum, neque appellari, ſupplica-
ri, de nullitate dici, vel querela moueri, reductio ad
arbitrium boni viri peti, ſeu ad aliquem iudicem
contra eam recurſus haberi poſſit, ſed teneatur, &
debeat quilibet iudex ſiue officialis (prout ad ſuam
iuriſdictionem pertinet) omni ſtrepitu, & appella-
tione, & qualibet exceptione, & petitione ceſſanti
bus, exequutioni mandare, & mandari facere hu-
iuſmodi ſententiam, ſeu laudum, & condemnare
delinquentem, & inobedientem, alioquin ipſe Of-
ficialis, & Iudex in ſcutis centum puniatur, in qui-
bus debeat ſyndicari. Adeſt & alia diſpoſitio dd.
capit. Rotæ *in cap.* 58. vbi denegatur audientia
impugnanti laudum, niſi prius effectualiter fuerit
depoſita pœna contenta in compromiſſo, nec-
non & in decreto excellentiſs. DD. Antianorum,
quod in caſu iſto non fuerat exequutum. Ex qui-
9 bus † videtur omnino ceſſare quidquid de iure cõ-
muni nouit determinatum, Iaſon *in l. illam, num.*
4. C. de collat. Bald. *in l. ancillæ, num. 2. in 3. notab. C.*
de furt. Crauet. *in conſil. 47. num. 2.* Dec. *in conſil.*
203. colum. finali.
Inſuper, in compromiſſo de conuentione par-
tium erat ſublata omnis facultas appellandi, que-
relandi, petendi reductionem ad arbitrium boni
viri, ſub pęna ſcutorum 200. Aderat & decretum
Excellent. DD. Antianorum per quod prohibeba
tur omnis appellatio ſub pœna in compromiſſo
10 contenta. Vnde cum idem Aldobrandus † pro-
miſerit ſtare laudo, præciſè tenebatur ei parere
actione ex ſtipulatu, Innoc. *in c. per tuas, col. 1, verſ.*
in plus, de arbitr. Franc. *deciſ. 50. num. 1. in 1. parte,*
& deciſ. 173. & 313. Surd. *deciſ. 53. num. 22.* Angel.
in conſil. 198. in fine, Roman. *in conſil. 175.* Maxi-
mè, cum tale laudum nec iniquum, nec nullum
in aliquo reperiatur, prout infra demonſtrabitur.
Ex quibus licet videantur ſublata ea, quæ in con
trarium deducta fuere, attamen magis in ſpecie re-
ſpondendo, dicitur non obſtare, dum primo loco
dicebatur, compromiſſum eſſe nullum, ex quo
fuit factum in duos, cum facultate eligendi tertium
in caſu diſcordiæ, contra text. *in l. item ſi vnus, §. in*
duos, ff. de arbitr. Quia ille text. procedit in caſu,
11 in † quo dicti duo non conſentiant in electione ter-
tij, ſecus ſi conſentiant, *vt declarat gloſ. in §. imme-*
diatè ſubſequenti, in verſ. pareatur, in fine, & Bar-
tol. *in d. §. ſi in duos,* videtur ita intelligere in eius
ſummario dum dicit, ſi duobus datur facultas eli-
gendi tertium, ſi non conſentiant, compromiſſum
non valet referendo illa verba (ſi non conſentiant)
ad immediatè ſubſequentia verba (compromiſ-
ſum non valet) prout intellexit gloſ. ſupra allegata
ex mente Bulgari. Ex alio etiam §. ſubſequenti,
in verſ. ſed vſitatum eſt, apparet etiam in duos com-
promitti poſſe, & debet iudex ſi non conſentiant
tertiam perſonam eligere, cuius authoritati parea
tur; ex quo §. apparet, quod de conſuetudine,
compromiſſa in duos poſſunt fieri, cum facultate
tertium eligendi, ſic enim ille §. intelligi debet, *ad*
notata in gloſſ. in verbo, pareatur, & in alia gloſſ. §.
antecedentis, in verbo, non valere, licet Bartol. *in*
12 *d. §. principaliter* videatur diſſentire, attamen † ſe-
quenda eſt potius ſententia gloſſæ, quam Bartoli,
cum ſit maioris authoritatis, & maximè cum ha-
beamus textum, qui hoc ad litteram dicit, *in cap.*

cum ſpeciali, extra de appell. ita tenet Bald. *in conſil. 73. in princ. verſ. ſed Franciſcus, lib. 2.*

13 Dicitur etiam,† quod *d. §. item ſi in duos*, non habeat locum in arbitratoribus, prout in caſu noſtro.

14 Neque † procedit, vbi adeſt conſuetudo faciendi compromiſſa in duos, cum nominatione tertij, prout adeſt, & ita ſeruatur, ac practicatur in hac Ciuitate Lucana, ita declarat Illuſtriſſ. Cardinal. Tuſcus, *in concluſ. 508. num. 5. & num. 19.* Decian. *Reſponſo 427. num. 5. lib. 3. cap. cum a nobis, de Arbitr.* Roman. *Singul. 164.* Carpan. *ad ſtatut. Mediol. cap. 115. numer. 15. libr. 1.* Gratian. *in deciſio. March. 236. num. 8.*

Et in omnem caſum cum iſtud compromiſſum fuerit præſentatum Excellentiſſ. DD. Antianis, ad hoc vt eſſet corroboratum, & interpoſita eorum authoritas, & ita ſupradicti Excellent. DD. fecerint, non erat locus hæſitationi ſuper validitate talis compromiſſi.

Non obſtat etiam quod ſecundo loco dicebatur, quod exceſſerint arbitri eorum facultatem, ex quo iudicauerunt ſuper interuſurijs, quod non videbatur eis permiſſum. Quia dicitur, quod immo habebant talē facultatem, cum in inſtrumento compromiſſi fuerit ipſis elargita facultas ampliſſima cognoſcendi, & decidendi omnes prætenſiones, quæ vtrique parti competere poterant occaſione dd. partitarum, & omnium contentorum in ipſis. At dicta interuſuria ſunt huiuſmodi, ergo, &c. ad notata per Decium, *in conſil. 178. in fine*, & Bald. *in l. ſolum, in fine, C. de teſtamen.* Simon de Pret. *in conſil. 124. num. 16. & conſil. 126. num. 16.*

Ad tertium dum dicebatur laudum fuiſſe latum extra tempus, dicitur, immò latum fuiſſe in tempore, cum tempus fuerit prorogatum ab Excell. Antianis, intra quod fuit ſententiatum. Nec obſtat, quod talis prorogatio non fuerit intimata intra tempus compromiſſi: quia ſufficiebat fuiſſe intimatam intra tempus prorogatum, cum non eſſet neceſſe ſeruare iſtam ſollemnitatem iuris (quatenus de iure ſubſiſteret) faciendi talem intimatio-
15 nem intra tempus compromiſſi, cum † arbitri haberent authoritatem cognoſcendi, & decidendi hanc cauſam de bono, & æquo, de iure, & de facto, & vt dicitur, *(alto & baſſo)* & prout eorum conſcientiæ videbitur, & placebit, abſque aliqua obſeruatione ſollemnitatum iuris, & ſtatutorum, tam in procedendo, quam in ſententiando, vt in compromiſſo habebatur. Et per d. cap. Rotæ 57. *in verſic. & d. arbitri*, diſponitur, quod arbitri habeant poteſtatem, ac baliam lites, & quæſtiones, audiendi, & cognoſcendi, omni ſuſpicione, & ordine, & figura iudicij, & alijs ſollemnitatibus iuris, & ſtatutorum omiſſis, & non ſeruatis, & partibus abſentibus, & non citatis. Ex quibus apertè conſtabat, quod licet non fuerit talis prorogatio intimata intra tempus compromiſſi, attamen propter omiſſionem talis ſollemnitatis, eorum laudum non vitiabatur, cum poſſent ipſi iudicare non ſeruato ordine, neque aliquibus ſollemnitatibus iuris, vt ſupra dictum eſt, & ſatis fuit, quod prorogationes, quæ ab arbitris fuerunt petitæ, fuerint etiam partibus intimatæ in tempore, quo poſſent ipſę partes dicere quidquid ipſis erat neceſſarium, ad tradita per Bart. *in Extrauag. Ad reprimend. in verbo, videbitur*, prope finem, Natta, *in conſilio 192. num. 16.* Simon de Pret. *in conſil. 129. num. 14. & conſil. 136. num. 72. & conſil. 201. num. 24.*

Ad quartum dum dicebatur laudum continere manifeſtum errorem, dictum fuit nullum apparere errorem conſideratis prætenſionibus d. Horatij, ratione intereſſe ſupradictarum partitarum, & alijs rationibus, & cauſis, quæ viſæ fuerunt iuſtæ dictis arbitris, & in dictis computis conſiderandæ, prout ipſi habebant talem facultatem ex ſupra deductis, vt poſt Bartol. tradit in terminis Simon de Pret. *in conſil. 136. num. 74. & in conſi-*
16 *lio 179. num. 2. verſic. tertio ſumus*, & † error, maximè in ſententia, numquam præſumitur, Dec. *in l. ſi librarius, ff. de regul. iur. num. 3. l. ſi poſt diuiſionem, C. de iur. & facti ignorant.* Maſcard. qui multos alleg. *in concluſ. 637. in princip.*

Vltimo loco dum dicebatur, laudum continere enormiſſimam læſionem, Reſpondetur non conſti-
17 tiſſe de aliqua læſione, & † pro iuſtitia, & rectitudine ſententiæ ſemper eſt præſumendum, & quod iuſtis, & rationabilibus de cauſis fuerit lata, *l. Herennius, §. Caia, ff. de euiction. l. manumiſſio per liberos, ff. de manumiſſ. vindic.* Bald. *in l. ſi Præſes, colum. 1. in fine, verſic. quæro an præſumatur, & in l. fin. verſicul. numquid in dubio, C. de præd. minor.* Et dato, non autem conceſſo, quod adeſſet aliqua læſio,
18 † ſtante ampliſſima facultate arbitris conceſſa in compromiſſo, potuiſſent arbitri lædere partes, ſeu earum alteram, ſaltem ex aliqua rationabili, & apparenti cauſa, ita ipſis viſa. Simon de Pret. *in d. conſil. 136. nume. 74. & conſil. 179. num. 2. verſic. tertio ſumus*, cum tamen (vt dictum eſt) læſio ali-
19 qua hic non appareret, † quæ debet plenè, & concludenter probari, vt per Crauet. & Pariſ. quos allegat Simon de Pret. *in conſil. 27. num. 17.* & Hoſtienſ. *in c. humilis, de maiorit. & obedient.*

Neque etiam obſtabat quod nondum aduenerit tempus ſolutionis ſummæ petitæ: nam clari iu-
20 ris eſt, † quod creditor in diem, poteſt agere contra debitorem, vt adueniente die ſoluat, vt per Afflict. *deciſ. 279. in fine*, Bartol. *in l. eum qui, §. qui ita, ff. de verborum ſignificat.* Innocent. *in capit. paſtoralis, de exceptio.* Oſaſch. *deciſ. 130. per totam.* Alexand. *in conſil. 95. num. 3. volum. 1.* Surd. *deciſio. 120. num. 13.*

Condemnauimus inſuper victum victori in expenſis, cum ſit recurrens, & iterum ſuccumbens, ad tradita per Doct. *in l. properandum, §. ſin autem alterutra, C. de iudic.* & per Lepid. *deciſ. 146. in fine, & deciſ. 152. in fine*, &c.

ARGVMENTVM.

Delicta quanto tempore præſcribantur. Et in re communi an poſſit ædificari.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Statutum præfigens terminum ad delicta proſequenda, elapſo dicto termino cenſetur ſublata a Iudice omnis iuriſdictio procedendi ſuper eo.*
2 *Delicta longi temporis præſcriptione tolluntur.*
3 *Quod procedit etiam ſi de tali præſcriptione non fuerit oppoſitum, quando verba legis & ſtatuti tendunt ad excludendam iuriſdictionem lapſo dicto termino, quo caſu nulla requiritur oppoſitio.*
4 *Aedificare poteſt vnuſquiſque in muro communi ſaltem vſque ad dimidiam dicti muri latitudinis, & canalia immittere.*
5 *Teſtibus plena fides eſt adhibenda, quod murus ſit communis. Et in dubio murus præſumitur communis, quando eſt poſitus inter confinia vtriuſque vicini.*
6 *In muro communi poteſt vterque ſocius trabes & ligna immittere, apodiare, & ædificare ad libitum.*
7 *Commune quod eſt, proprium etiam dici poteſt.*
8 *Poſſeſsionem rei alterius qui contendit, non dicitur turbare, ſed vti iure ſuo, ne ſuis iuribus præiudicium afferatur.*

DECISIO III.

Baptiſta Selinius fuit per ſententiam Domini Prætoris Lucenſis condemnatus ad deſiſtēdum a turbationibus illatis quibuſdam fratribus de Sanis, reſpectu ſtillicidij defluentis a tecto dicti Baptiſtæ, ſuper murum domus dictorum fratrum, & occaſione fabricę cuiuſdam tecti appodiati, ac annexi muro eorumdem fratrum. Cuius ſententia fuit per Rotam retractata.

Mota, quia quoad canalia pro ductu aquæ defluentis è ſtillicidio tecti d. Baptiſtæ immiſſa in muro, de quo agebatur, cum ex teſtibus examinatis in proceſſu ſecundę inſtantiæ probatū ſit, quod dicta canalia a multo tempore antea fuerūt immiſſa in dicto muro ab annis ſcilicet decem, & vltra; ſequitur, quod ſi aliquod delictum ex hoc capite reſultaret, eſſet ad illud præſcripta omnis actio, vt
1 per ſtatutum *in cap. 54. lib. 4.* vbi † elapſo triennio de talibus delictis non poteſt amplius cognoſci, & omnes, & ſinguli proceſſus, qui poſt dictum tempus fierent, non valent ipſo iure, & ex eis nulla ſententia ferri poteſt; ex quibus verbis omnis prorſus iuriſdictio a Iudice intelligitur remota ad illud proſequendum. Lepid. *decis. 78.* Quod etiam eſt diſpo
2 ſitum de iure communi, per quod † crimina longi temporis præſcriptione tolluntur, *l. querelam, vbi Doctor. C. ad leg. Cornel. de falſis.* Boer. *deciſio. 26.*
3 *num. 6.* Pariſ. *in conſ. 169. num. 1. lib. 4.* Et † hoc procedit etiam ſi de tali præſcriptione non fuerit oppoſitum, cum verba ſtatuti tendant ad excludendam iuriſdictionem lapſo termino, quo caſu nulla requiri tur oppoſitio, Bald. *in l. ſi eum, num. 1. in fine, ibi, niſi verba ſtatuti, ff. ſi quis caut.* Et cum ſtatutum vtatur illis verbis, (ipſo iure) ad tradita per Bartol. *in l. ex quacumque, in ſecunda lectura, numero 9. verſic. & hoc intelligendum eſt, ff. ſi quis caution.* Accedat, quia dicta canalia fuerunt immiſſa in muro communi inter dictum Baptiſtam & dictos de Sanis, vt fuit per teſtes probatum, vnde
4 ſequitur diſpoſitio iuris municipalis, quod † in muro communi poteſt vnuſquiſque ſaltem vſque ad dimidiam partem muri (prout factum fuit) immittere canalia pro aquæductu, & alijs indigentijs, vt clarè diſponitur *in cap. 132. lib. 2. ſtatutorum.* Et ēt idem eſt de iure communi, vt per Cæp. *de ſeruit. vrban. præd. cap. 62. num. 4.* & per Burſat. *in conſil. 57. num. 1. & 2. & conſil. 58. lib. 1.*

Quo verò ad ſecundum caput, de tecto annexo, ſeu apodiato dicto muro, cum ſupradicti teſtes probent (vt ſupra dictum eſt) murum illum eſſe com-
5 munem, † quibus teſtibus in propoſito plenam fidem eſſe adhibendam tradit Honded. *conſil. 80. num. 22. & 25. lib. 1.* Maſcard. *concluſ. 1144. num. 10.* Quod ēt in dubio eſt præſumendum, ex quo dictus mu rus eſt poſitus inter bona d. Baptiſtæ, & illorum de Sanis. Socin. *in conſil. 44. colum. 2. verſic. poſtremo, volum. 4.* Honded. *d. conſil. 80. numer. 19.* Menoch. *de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 73. num. 22.* & colligitur etiam *ex cap. 134. Statutorum.*

6 In † muro autem communi poteſt vterque ſocius trabes, & ligna immittere, apodiare, atque ædificare ad libitum. Theſſaur. *deciſ. 23. numer. 1. & deciſ. 41. num. 1.* Cępol. *de ſeruit. vrban. præd. cap. 40. num. 19.* Corne. *conſil. 90. num. 14. lib. 2.* Honded. *d. conſil. 80. num. 25.* Quod etiam per ſtatut. *in d. cap. 132. lib. 2.* apertè eſt determinatum, videlicet, vſque ad dimidiam latitudinis muri. Vnde cū eſſet in proceſſu probatum quod trabiculi, qui regunt, & ſuſtinent dictū tectum non capiant de dicto muro, niſi tertiam ſeu quartam partem, non poterat d. Baptiſta condemnari per D. Prætorem.

Nec obſtare viſum fuit ex inſtrumento conſtare emptū fuiſſe apodiū dicti muri, namque ex tali emptione non excluditur, quin murus eſſet communis, vt apparet ex Stat. *lib. 2. cap. 134.* vbi murus dicitur communis etiam ſi alter vicinus ad dicti muri conſtructionem nihil contulerit. Et verba illa in inſtrumento appoſita, nempe muro dictorum venditorum, non probant, quod eſſet tantummodo murus ipſorum venditorum, quia talia verba poſſunt verificari etiam reſpectu communio
7 nis, quam ipſi habebant in eodem muro, † quod enim commune eſt, proprium quoque dici poteſt. Bal. *in l. penultim. num. 15. C. de condit. inſert.* Dec. *in c. ratio, num. 4. de præbend.* Decian. *reſponſo 43. num. 33. lib. 2.* Surd. *deciſ. 263. num. 2. & num. 7. & 9.* Et quatenus dicti de Sanis prętenderent pretium apodij *vigore d. cap. 134. Stat.* debebant ad illud agere ciuiliter.

Ex his etiam tollitur, dum dicebatur d. Baptiſtam turbaſſe dictos fratres in eorum pacifica poſſeſſione, negando ipſos poſſidere dictum murum. Quia dr eum negaſſe eos poſſidere tamquam quid proprium in totum, non autem tāquam commune.
8 Et † qui contendit ſuum aduerſarium poſſidere, nō dicitur id facere animo turbandi, ſed ne ſuis iuribus præiu-

præiudicium afferatur, & ne ea indiſcuſſa relinquat, vt declarat Bened. de Aretin. *inter conſil. crim.* Zilet. *conſil.* 56. *num.* 13. *&* 14. *lib.* 1. &c.

ARGVMENTVM.

Vbi non adeſt grauamen, non datur appellatio neque recurſus.

SVMMARIVM.

1 *Statuti determinatio facit ceſſare omnem iuris altercationem.*

2 *Appellatio, ſiue recurſus non datur, quando Iudex exequitur diſpoſitionem ſtatuti, de qua eſt merus, & ſimplex exequutor.*

3 *Quo caſu ſi adeſt aliquod grauamen, illud non prouenit à Iudice, ſed a lege.*

4 *Recurſus, & appellatio non dantur, vbi non interuenit aliquod grauamen.*

DECISIO IV.

Fverat conceſſa exequutio perſonalis per Dominum Iudicem ordinariũ cõtra Sp. Vincentium Trentam, ad hoc, vt adimpleret nonnulla per eum adimplenda, a qua conceſſione fuit interpoſitus recurſus ad Rotam, quæ confirmauit pronunciam prædicti D. Iudicis.

Mota Primo ex diſpoſitione ſtatuti *in cap.* 111. *in lib.* 1. vbi determinatur, quod quando aliquis eſt obligatus ad aliquid dandum, vel faciendum alicui de Ciuitate hac vel territorio, ſi de tali obligatione appareat publicum inſtrumentum, teneatur Dom. Iudex elapſo termino intra quem factum, vel ſolutio fieri debeat, abſque alia citatione, vel cauſæ cognitione, talem debitorem capi facere ad requiſitionem creditoris, vel eius hæredum. At cum Dominus Vincentius per publicum inſtrumentum ſe obligauerit ad fauorem Sp. Alexandri Fridiani ciuis Lucenſis, quod Domina Benedicta eius vxor ratum habebit, & ſe obligabit inſolidum pro obſeruatione omnium promiſſorum per dictũ eius virum in inſtrumento compromiſſi, & laudi, ſub pœnis de quibus in eo, & hoc non adimpleuerit intra debitum tempus, merito fuit conceſſa exe-
1 quutio petita; vbi † enim adeſt diſpoſitio ſtatuti, ceſſat omnis altercatio & diſputatio iuris *l. ancillæ,* vbi Bald. *num.* 2. *C. de furt.* Iaſ. *in l. illam, numer.* 4. *C. de collat.* Crauet. *in conſil.* 47. *nume.* 2. *& in conſil.* 373. *num.* 7. Dec. *in conſil.* 103. *colum. final.* Cabal. *in conſil.* 167. *num.* 7. *&* 8.

Secundò, talis recurſus interpoſitus fuit ab exceſſu, nouo grauamine, & damno irreparabili *ad formam cap. Rotæ* 52. At in dicta pronuncia Dom. Iudicis a quo, non aderat aliquis exceſſus, quia Iu-
2 dex † exequutus fuit diſpoſitionem ſupradicti ſtatuti, de qua erat ſimplex exequutor, nec poterat aliquam cognitionem de meritis cauſæ ſumere, vt iubet ſtatutum, quo caſu non datur aliqua appellatio, nec recurſus, Alexand. *in conſil.* 95. *num.* 4. *lib.* 2. vbi de communi Roland. *in conſil.* 43. *num.* 5. *lib.* 1. Crauet. *in conſil.* 273. *num.* 14. Gabriel. *in ſuis concluſ. in titul. de appellat. concluſ.* 4. Magon. *deciſ. Lucan.* 48. *numer.* 5. Surd. *in conſil.* 358. *numer.* 4. 5. *&* 12. vbi teſtatur de magis communi, & multos allegat, *libro* 3. *& conſilio* 334. *numero* 4. *&* 5. *eodem libro.*

Non conſtabat etiam de aliquo grauamine, quia cum Iudex fuerit exequutus diſpoſitionem iuris municipalis (prout facere tenebatur) non poteſt
3 dici, quod grauet, & † quatenus ad eſſet aliquod grauamen, cum illud proueniat a lege, non a Iudice, ipſa eſt, quæ grauat, & non Iudex, qui exequitur illius diſpoſitionem, vt per Surd. *in conſilio* 334. *num.* 10. *lib.* 3. Roland. *in conſil.* 43. *numer.* 7.
4 *lib.* 1. & † vbi non adeſt grauamen, nec etiam datur aliqua appellatio, ſiue recurſus, *l.* 1. *de appellat. recipiend.* Crauet. *in conſil.* 273. *num.* 5. Magonus *deciſ. Lucana* 45. *num.* 6. *& deciſ.* 48. *numer.* 6. Anchar. *in conſ.* 297. *num.* 13.

Neque etiam aliquod damnum irreparabile in pronuncia Domini Iudicis conſiderari poterat, cum per idem ſtatutum ſit prouiſum de opportuno remedio, quod eſt fideiuſſio, qua præſtita, eſt licitum vnicuique deducere ſua iura.

Non obſtat diſpoſitio cap. Rotæ, in quo ab interlocutorijs, licet ſit prohibitum appellare, conceditur tamen infra quinque dies habere recurſum ad Rotam. Nam dicitur illud cap. loqui in ſententijs interloquutorijs iudicialiter latis, non autem in pronuncijs, quæ fiunt in camera Iudicis ſine interuentu partis, & ſine citatione, iuxta diſpoſitionem ſtatutorum.

Vlterius in dicto ſtatuto habetur, quod tunc pars poſſit tali ſtatuto vti, niſi aliter prouiſum ſit per ſtatuta & decreta. At in caſu iſto prouiſum eſt per ſtatutum præallegatum quid faciendum ſit, & traditum remedium, nempe fideiuſſionis, igitur ceſſare debet diſpoſitio *d. cap.* Rotæ.

Condemnauimus ſuccũbentem in expenſis præſentis iudicij, cum nulla viſa nobis fuerit legitima cauſa eum excuſandi, ita iubente ſtatuto *in capit.* 108. *lib.* 1.

ARGVMENTVM.

Iudex inferior quomodo poſſit ſe intromittere in cauſa coram Principe introducta.

SVMMARIVM.

1 *Cauſa ſemel in auditorium Principis introducta, numquam exit eius curiam, niſi a Principi ad Iudicem inferiorem remittatur.*

2 *Cauſa quomodocumque ſit introducta coram Principe, non poteſt Iudex inferior, etiam de conſenſu partium*

partium in ea ſe intromittere, ac etiam finita de-
legatione.

3 *Verba legis, & Principis ſemper ſunt intelligenda*
cum effectu.

4 *Verba ſemper ſunt interpretanda in potiori ſignifi-*
catu, etiam in materia, in qua eſt facienda ſtricta
interpretatio.

5 *Princeps quando demandat aliquid faciendum, &*
exequendum inferiori Iudici, cenſentur etiam de-
mandata ea omnia, quæ ſunt opportuna, ac neceſ-
ſaria ad illud perficiendum, & in totum complen-
dum.

6 *Princeps ſi mandat aliquid Iudici, qui ad illud agen-*
dum habet iuriſdictionem ordinariam, dicitur po-
tius excitare iuriſdictionem, quam delegare.

7 *Delegatus Principis de iure habet facultatem exe-*
quendi eius ſententiam ſecundum magis commu-
nem Doct. ſententiam.

8 *Iudex inferior licet de iure nihil poſſit attentare,*
quando cauſa ad ſuperiorem fuerit deuoluta, & ei
inhibitum, ne in ea ſe ingerere poſſit, ac debeat: ni-
hilominus poterit ea omnia expedire, quæ coadiu-
uant cauſam, & faciliorem exitum ei præbent, &
cum fine illius ſe compatiuntur.

DECISIO V.

CHriſtophorus de Sufficientibus,
fuerat querelatus à Marco, &
Benedicto de eiſdem Sufficien-
tibus coram Excellentiſs. Conſi
lio huius Ciuitatis Lucanæ Prin
cipe ſupremo, occaſione quarū-
dam prætenſarum turbationum in nonnullis bonis
ipſorum: & fuit per Excellentiſs. Conſilium facta
delegatio prædictarum cauſarum D. Auditori pri
marū inſtantiarum, cum facultate appellandi ad
Rotā, & cum facultate etiam tam primo, quam ſe
cundis Iudicibus in ſuo caſu reſpectiue exequendi
iudicatum; qui DD. Iudices omnes ſuas tulerunt
ſententias, & in ſpecie DD. Auditores Rotæ ap-
pellationis concesſerunt exequutionem eorum ſen
tentijs, pro quarum actuali, ac reali conſummatio-
ne præd. Chriſtophorus adijt D. Iudicem prima-
rum inſtantiarum, tamquam ordinarium, & co-
ram quo debent peti tales exequutiones, iuxta cap.
Rotæ 55. Qui D. Iudex credens carere in hoc iu-
riſdictione, remiſit d. Chriſtophorum ad Excel-
lentiſs. Conſilium, ad hoc, vt ab eo peteret quid
agendum.

Et quamuis talis pronuncia videretur funda-
ta ſuper vulgatis illis iuris concluſionibus, quod
1 ſcilicet † cauſa ſemel introducta in Conciſtorium
Principis numquam exit eius Curiam, niſi ab ipſo
Principe ad ſuum iudicem remittatur, Bald. *in l. ſi*
vt proponis, col. penult. C. quomodo & quando Iudex.
Dec. *in conſil. 137. num. 3.* Ripa, *in c. cum M. Fer-*
rarienſis, num. 198. de conſtit. Iaſ. *in l. filiusfami-*
lias, §. Diui, num. 58. de leg. 1. Imo. *in cap. licet,*
de offic. deleg. quem citat Aufrer. *in addit. ad Capel.*
2 *Toloſ. deciſ. 481. num. 4.* vbi affirmat, quod † quo-
modocumque cauſa ſit introducta coram Princi-
pe, non poteſt Iudex inferior etiam de conſenſu
partium in ea ſe intromittere, per text. *in cap. bonæ,*
verſic. nocebat, de poſtul. Prælat. Et quod cauſam,
in qua Princeps manus appoſuit, cenſeatur a quo-
cūque Iudice auocaſſe, ita vt nullus Iudex inferior
poſſit quocumque modo, etiam poſt finitam dele-
gationem, in ea ſe intromittere, habetur *ex cap. vt*
noſtrum, de appellat. l. ne cauſas, C. eod. notant Bal.
& alij, *in l. ſi vt proponis, C. quomodo, & quando iud.*
Iaſ. *in l. more, num. 66. de iuriſdict. omn. iudic.* Felin.
in cap. quoniam Abbas, in fine, de offic. delegat. Me-
noch. *in conſil. 340. num. 49.* Lancellot. *de Attent.*
parte 2. cap. 10. in princ. Gayl. *Pract. Obſeru. lib. 1.*
Obſeru. 41. num. 2, Et Lepid. *deciſ. Lucana 55. per*
totam. Surd. cum multis per eum allegatis *in deciſ.*
175. num. 5. Puteus *deciſ. 240. num. 2. per. 2.*

His tamen non obſtantibus, fuit per nos omnes
concorditer contrarium reſolutum. Moti, quia
cum per Excellentiſs. Conſilium fuerit delegata
præſens cauſa ſupradictis DD. Iudicibus, & eis
demandatum, quod poſſint, ac debeant concede-
re exequutionem iudicato, vtique iſta verba de-
bent intelligi de totali exequutione, & perfecta e-
xequutionis conſummatione, & non de ſimplici
conceſſione exequutionis, quæ niſi foret in actum
deducta, nihil operari poſſet, & ſic redderetur
3 fruſtratoria, & † verba legis ac Principis ſemper
debent intelligi cum effectu, Maſcard. *de probat.*
vol. 1. concluſ. 9. num. 10. cum ibi allegatis. Cephal.
4 *in conſil. 303. num. 68. lib. 3.* vbi quod † verba ſem-
per ſunt intelligenda in potiori ſignificatu, etiam
in materia ſtricte interpretanda, *per l. 1. §. qui in*
perpetuum, ff. ſi ager vectig. vel emphyteut. petat.
Aretin. per illum text. *in l. cum lege, ff. de teſtam.*
5 Quando † enim ſuperior demandat aliquid facien
dum, & exequendum inferiori, cenſentur etiam
demandata ea omnia, quæ ſunt neceſſaria, & op-
portuna ad illud perficiendum, & in totum com-
plendum, *cap. præterea, cap. ex litteris, de offic. de-*
legat. gloſſa *in cap. ſi quis contra clericum, de foro*
competent. vbi Abbas.

6 Verſabamur etiam in delegato Principis, † qui
ad hoc agendum habebat iuriſdictionem ordina-
riam ab eodem Principe ſibi tributam, vnde iſta
potius videtur exci[ta]tio iuriſdictionis, quam vera
delegatio, iuxta tradita poſt alios, per Andr. Gayl.
Pract. Obſeru. lib. 1. Obſeru. 41. num. 6.

7 Et † delegatus Principis de iure habet faculta-
tem exequendi ſuam ſententiam, ſecundum ma-
gis communem Doctorum ſententiam, de qua
per text. *in cap. in litteris, & in cap. paſtoralis, §.*
præterea, de offic. delegat. Menoch. *de arbitr. iudic.*
lib. 1. quæſtio. 74. num. 49. Et licet idem Menoch.
ibi num. 17. in fine, videatur aliquantulum contra-
riare, hoc tamen in caſu noſtro non poterat indu-
cere dubitationem, cum exequutio fuerit petita
coram Iudice ordinario, qui habet facultatem or-
dinariam exequendi iudicatum, vt ibidem ſentit
Menoch. & cum Princeps in hoc caſu mandet ſpe
cialem exequutionem iudicati.

Modo non obſtant, quæ in contrarium deduce-
bātur, quod cauſa ſemel introducta in Conciſtoriū
Princi-

Principis, & vbi Princeps manus appoſuit non exeat Curiam ipſius, niſi ab ipſo Principe remittatur, & quod iudex inferior non poſſit in ea ſe intromittere, cum cenſeatur auocata a quocumque Iudice, per iura allegata, & in ſpecie *per deciſ.* Lepidi 55.

Dicimus etenim ſupradicta omnia non eſſe contraria, immò conformia noſtræ reſolutioni; cum enim ſupradictæ concluſiones velint, quod ad hoc vt iudex inferior poſſit ſe intromittere in talibus cauſis, in quibus Princeps manus appoſuit, quod Princeps eaſdem deleget iudici inferiori (vt ſupradictum fuit, & in caſu noſtro fuerint iſtæ controuerſiæ inter dictos de Sufficientibus ſupradicto D. Iudici delegatæ cum expreſſa facultate exequendi iudicatum, vtique videntur conuenire cũ ſententia noſtra.

Nec etiam obſtabat quod cum dictus Iudex tulerit eius ſententiam videatur functus officio ſuo. Quia dicitur adhuc durare eius officium in demãdando exequutioni ſententiam, prout fuit expreſsè in reſcripto ſibi iniunctum. Et de iure licet Iu-
8 dex † a quo, nihil poſſit attentare quando cauſa ad ſuperiorem fuerit deuoluta, & ei inhibitum, ne amplius ſe in ea ingerat: nihilominus poterit ea omnia expedire, quæ coadiuuant ipſam cauſam appellationis, & ei faciliorem exitum præbent, & cum fine illius ſe compatiuntur, *c. cum teneamur*, vbi Abb. Imo. Franc. & Dec. *de appellat.* Et latè explicat Octauian. Veſtr. *in ſua Praxi lib. 8. cap. 4. num. 3. cum ſeq.*

Abſoluimus victum ab expenſis cum haberet primam ſententiam ad eius fauorem, Gloſſ. & Doctor. *in l. generaliter, §. ſed iuramento, C. de reb. cred.* Lepid. *deciſ. Lucana 35. in fine, & deciſ. 38. & 131.*

ARGVMENTVM.

Procurator quãdo admittatur in criminalibus, vbi agitur de pœna corporis afflictiua, reo in carceribus non conſtituto.

SVMMARIVM.

1 *Procurator non admittitur in cauſis criminalibus, quando agitur de imponenda pœna corporis afflictiua, niſi reus in carceribus ſe conſtituat.*

2 *Hoc tamen non habet locum in patre quando pro ſuo proprio intereſſe intendit filium defendere. Item in Abbate pro Monacho, & domino pro ſeruo. Etiam ſtante ſtatuto prohibente reum audiri in cauſis criminalibus niſi ſe in carceribus conſtituat.*

3 *Filius tenetur alere patrem in ſenectute conſtitutum, & præſtare ei operas ſuas.*

4 *Procurator in criminalibus licet non audiatur pro reo, niſi ipſe reus in carceribus ſe conſtituat; Attamen debet audiri ſi quis comparet non vti procurator, ſed tamquam defenſor, ad probandam innocentiam rei inquiſiti.*

5 *Procurator & defenſor differunt; quia procurator poteſt prodeſſe, & nocere, defenſor autem non poteſt præiudicare ei, pro quo interuenit.*

6 *Procurator poteſt audiri pro reo etiam in carceribus non conſtituto, quando allegatur nullitas proceſſus, & iudicis incompetentia.*

7 *Pater venit appellatione coniunctæ perſonæ.*

8 *Dictionis, nullatenus, natura eſt, comprehendere ea, quæ aliàs non comprehenderentur, & eſt dictio vniuerſalis negatiua, quæ omnia comprehendit, & denegat omnem potentiam, & ipſo iure inducit nullitatem actus.*

9 *Pena triremium dicitur capitalis, cum ſucceſſerit in locum pœnæ damnationis in metallum, & hoc etiã ſi ſit ad tempus.*

10 *Nemo ſine cauſa delinquere præſumitur.*

11 *Vindicta tranſuerſalis ex indicijs, & præſumptionibus probatur.*

12 *Inquiſitio ad hoc vt tranſmitti poſſit, ſufficit vehemens ſuſpicio ex probabilibus argumentis reſultans, licet non ſint ſufficientia ad torturam.*

13 *Fuga eſt ſufficiens indicium ad inquirendum.*

14 *Contumacia operatur, vt quis rectè condemnari poſſit.*

15 *Indicia ſuccedunt loco diffamationis.*

DECISIO VI.

PVit interpoſitus recurſus ad Rotã per Baptiſtam Selmium a pronuncia admodum Illuſtr. D. Prætoris Lucenſis, in qua declarauit d. Baptiſtã non eſſe audiendum pro filio niſi ipſo filio in carceribus cõſtituto, quã pronunciam cõfirmauimus vnanimi voto. Quãuis enim prima facie pronunciandũ videretur ad fauorẽ d. Baptiſtæ, ex quo ipſe pro ſuo proprio intereſſe, non autem tamquam procurator Selmi eius filij, aſſerebat comparere; nam de iure com-
1 muni licet caueatur, quod in † cauſis criminalibus, quando agitur de imponenda pena corporis afflictiua, non admittatur procurator ad defenſionem rei, niſi ipſe reus in carceribus ſe conſtituat, per text. *in l. penult. §. ad crimen, ff. de publ. iudic.* Gloſ. *in l. ſeruum quoque, §. ex contrario, in verſ. datur, ff. de procurat. l. 2. ff. de cuſtod. reor.* Et hoc idem per ſtatuta huius Ciuitatis caueatur, *vt in cap. 41. lib. 4.*
2 Hoc † tamen non videtur habere locum in patre, qui pro ſuo intereſſe particulari intendat filium defendere, etiam ſtante ſtatuto prohibente reum audiri in cauſis criminalibus, niſi ſe in carceribus cõſtituat, prout tradunt in terminis Bald. *in l. reos, num. 21. C. de accuſ.* Cepol. *conſil. crimin. 45. num. 4.* Rimin. ſenior *in conſil. 17. col. 2. lib. 1.* Ruin. *in conſil. 9. num. 4. lib. 5.* Roland. *in conſil. 47. nu. 31. lib. 3.* vbi inquiunt patrem pro filio, Abbatem pro Monacho, & dominum pro ſeruo poſſe in iudicio criminali ratione eorum intereſſe interuenire, non obſtante ſtatuto de quo ſupra; latè Farinacius qui teſtatur de magis communi, *in tract. de var. ac diuerſ. quæſt. num. 154.* Nam agitur de præiudicio patris,

3 patris, cum † filius teneatur alere patrem in ſenectute conſtitutum, & præſtare ei operas ſuas, Cępol. *d.conſil.*45.*& conſil.*55. *num.*2. Bald. *in d.l. reos, num.*21.*C.de accuſ.*

4 Accedat, quia præd. Baptiſta in hac cauſa † aſſerebat ſe comparere tamquam filij defenſor, ad inſtruendum iudicem de eius innocentia, vnde licet tamquam procurator audiri non poſſet, videtur tamen admittendus tamquam defenſor ad

5 probandam innocentiam filij, cum hęc † videantur inter ſe diuerſa; quia procurator poteſt prodeſſe, & obeſſe principali ſuo, defenſor autem non poteſt ei præiudicare, pro quo interuenit. Cępol. *d.conſil.*45. *num.*12.*& conſil.* 46. *numer.*6. *& ſequent.*

Inſuper ſtatutum allegatum *in cap.*41.*lib.*4. non

6 videbatur procedere quando † allegatur nullitas proceſſus, & Iudicis incompetentia, Gratus *in conſil.*73.*num.*3. *lib.*1. Marſil. *conſil.* 24. *numer.*41. Berous, *in conſil.*170. *num.*17. *&* 19. *lib.*3. Magonus, *deciſ. Lucana* 22.*num.*17. At in caſu iſto Baptiſta allegabat nullitatem proceſſus, & Iudicis incompetentiam, aſſerens fuiſſe formatam per fiſcum inquiſitionem nullis præcedentibus indicijs contra Selmum, quod vulnerauerit Vincentium Sanium ad vindictam tranſuerſalem. Igitur &c.

Quibus tamen minimè obſtantibus, fuit per Rotam reſolutum contrarium, & determinatum, quod nullo modo d. Baptiſta eſſet audiendus, niſi Selmo eius filio in carceribus conſtituto. Et hoc, quia cum in hoc haberemus claram diſpoſitionem ſtatutorum, & capitulorum additorum dicto ſtatuto, ac etiam capitula Rotæ, vtique ceſſant ſupradicta omnia, quæ de iure communi fortaſſe procedere poſſent. Nam per ſtatutum *in d.capit.*41.*lib.*4.*verſ. niſi poſt delictum*, expreſsè diſponitur, quod ſi perſona delinquens diſceſſerit à Ciuitate Lucenſi, & eius diſtrictu, intra duos menſes à die commiſſi delicti proximè computandos, nullatenus admittatur pro tali abſente procurator, ſeu coniuncta perſona. At in caſu noſtro certum erat filium d. Baptiſtæ ſe abſentaſſe a multo tempore poſt delictum, tamquam delinquentem, de quo delicto patebat ex confeſſione patris, & de abſentia ipſius conſtabat ex inſtantia ipſius Baptiſtæ, dum petebat ſe admitti ad reſpondendum pro filio abſente, & ex alijs ex proceſſu reſultantibus. Clarum eſt

7 quoque in iure, † appellatione coniunctæ perſonæ patrem etiam venire, Bart. *in l. ſed & hæ, in princip. prima quæſt. ff. de procur.* coniuncto textu, *in l.* 1. *§. finali, ff. de poſtuland.* Nec dici poteſt ſtatutum prędictum loqui in procuratore, & in coniuncta perſona, quæ tamquam procurator rei compareat, non autem quando pater comparet non tamquam procurator filij, ſed pro ſuo intereſſe, prout dicebatur

8 in hoc caſu. Nam dicimus, per † illam dictionem (nullatenus) in ſtatuto appoſitam, reum prohiberi per quamcumque perſonam, quocumque titulo, ſeu pro quacumque cauſa admitti ad reſpondendum, cum illius dictionis natura ſit comprehendere ea, quæ aliàs non comprehenderentur vt per Ruin. *in conſil.*112.*numero* 16.*lib.*5.*& in conſil.* 149.*num.*10.*lib.*2. Magon. *deciſ. Florent.*38.*numer.*12. & cum ſit dictio vniuerſalis negatiua, quæ omnia comprehendit, Ruin. *in conſil.*50. *num.* 3. *lib.*3. & denegat omnem potentiam, & authoritatem, & inducit nullitatem actus ipſo iure, vt eſt Gloſ. *in Clement.*1. *in verſic. nullatenus, & ibi Card. Zabarel. de ſent. & re iudic.* Felinus, *in cap. cum acceſſerit, numero* 7.*&* 8. *de Conſtit.* Tiraquel. *in l. ſi vnquam, in verſic. reuertatur, num.*95. *C. de reuocand. donat.* Lepid. *deciſ.*130. *colum.*2. *verſic. nec referre.* Hoc idem etiam determinatur *in cap. Rotæ* 21. necnon & per decretum factum de anno 1577. additionali ad ſtat. *pag.*4. per hæc verba. [In capitalibus reo inquiſito non comparente perſonaliter, neminem prorſus admittere poſſit ad eum defendendum ab inquiſitione contra eum formata, quicumque ſit taliter comparens, & ſub quocumque nomine compareat, vel procuratoris, vel coniunctæ perſonæ, etiam ſi ſit pater, vel excuſatoris, aut alio quouis modo, & quouis quæſito colore.] At in caſu noſtro ſumus in delicto pro quo vltra pœnam pecuniariam venit imponenda pœna triremium per quinquennium per iura municipalia huius Ciuitatis, ratione vindictæ tranſuerſalis, de qua per fiſcum d.

9 Selmus fuit inquiſitus, quæ † pœna dicitur capitalis, cum ſucceſſerit in locum damnationis in metallum, vt per Clarum, *in Praxi, §. finali, quæſt.*67. *verſic. item damnatio*, Capicius *deciſ.* 153. *numer.*3. Farinac. qui teſtatur de communi *in tit. de delict. & pœn. quæſt.*19.*num.*14. etiam ſi ſit ad tempus, vt poſt Granuc. *theorem.*3.*numer.*10.*& ſeq.* tradit Farinac. *ibi*, capitalis dicitur per text. *in l. capitalium, in princip. ibi*, proxima morti, *ff. de pœnis*, & dixit Illuſtriſſimus Cardin. Tuſcus, *in concluſ.*223.*num.*4. *& ſeq. littera P.* & Granuc. *d. theor.*3.*nu.*10.*verſic. & præfatis*, Petr. Cabal. *in tract. variar. reſolut. parte* 1.*caſu* 8. *num.*60. vbi ait relegatos in triremibus millies mori, & eorum pœnam morte naturali terribiliorem dici.

Non obſtant quæ in contrarium ſupra deducta fuerunt de perſona patris, qui poſſit comparere pro ſuo intereſſe ad defenſam filij, non obſtante ſtatuto: Quia hæc procedunt in terminis iuris communis, ſecundum quod ita fortaſſe eſſet dicendum. At nos verſamur in diſpoſitione iuris municipalis diſponentis vt ſupra demonſtratum fuit.

Nec etiam obſtat quod vltimo loco dictum fuit, diſpoſitionem ſtatuti *in d.capit.*41. non habere locum, quando allegatur nullitas proceſſus, & Iudicis incompetentia, quæ in caſu iſto reſultare videbatur, ex quo fuit formata talis inquiſitio non præcedentibus indicijs contra d. Selmum de tali vindicta tranſuerſali; nam dicitur totum contrarium reſultare ex proceſſu; nam ex depoſitionibus d. Baptiſtæ, necnon Iacobi Sanij, ac Michelini eius ſocij, apparebat de rixa ſequuta cum pugnis inter Iacobum Sanium, fratrem Vincentij vulnerati, & dictum Selmum, & poſt quattuor, vel quinque horas Selmus vulnerauit Vincentium, qui in ſuo examine confitetur ſe fuiſſe vulneratum a dicto Selmo ſine aliqua cauſa, & nullis præcedentibus verbis inter eum, & d. Selmum, ex quibus colligi poteſt,

teſt, quidquid fecit Selmus ad vindictā offenſionis
ſibi illatæ à Iacobo fratre d. Vincentij, feciſſe, &
10 ſic ad vindictam tranſuerſalem; cum † nemo ſine
cauſa delinquere præſumatur. Foller. *in conſil. crimin. diuerſ.* 138. *num.* 13. *vol.* 1. magnæ impreſſio-
nis & ita argumentari videtur Farinac. qui plures
allegat *in titul. de var. & diuerſ. crimin. quæſtio.* 7.
11 *num.* 434. cum † vindicta tranſuerſalis præſum-
ptionibus, & indicijs probetur, Farin. *in conſil.* 55.
12 *num.* 55. & † ad tranſmittendam inquiſitionem
reo abſente, ſufficit vehemens ſuſpicio ex proba-
bilibus argumentis reſultans, licet ex ea non orian-
tur talia indicia, quæ ſufficiant ad torturam, Clar.
in Praxi, §. finali, quæſt. 20. *verſic. ad formandam*,
& Farinac. *in conſil.* 5. *num.* 79. Concurrebat etiam
13 vltra prædicta † fuga Selmi, quæ etiam per ſe
ſufficiens fuiſſet, Farin. *in d. conſil.* 5. *num.* 83. Nec-
14 non & † contumacia citati, quæ conualidat indicia
præcedentia; cum d. Selmus fuerit citatus ſub pœ-
na confeſſati, & conuicti criminis, ſecundum di-
ſpoſitionem ſtatuti, cuius contumacia operatur,
vt rectè condemnari potuiſſet. Ergo multo magis,
vt teneat inquiſitio, & vigore ſtat. *lib.* 4. *cap.* 1. Iu-
dex poteſt procedere ex officio etiam infamia in-
quiſiti non præcedente, & tamen ſatis præceſſit
15 in præſenti caſu, cum præceſſerint † indicia ſu-
pradicta, quæ ſuccedunt loco diffamationis, Fari-
nac. multos allegans *in titul. de inquiſit. quæſtio.* 9.
num. 20. &c.

ARGVMENTVM.

Solutio & quietatio quando liberent debitorem, & quando non.

SVMMARIVM.

1 *Exequtio inſtrumenti debet iuſtificari ex eodem inſtrumento, quo fuit petita.*

2 *Solutio fieri poteſt illi, cum quo debitum fuit contractum, & cui facta fuit promiſſio, licet non fiat mentio de domino, & agatur proprio nomine.*

3 *Hæreditas non cenſetur delata hæredi, niſi prius adimpletis per eum contentis in teſtamento defuncti, quod hæres tenetur iuſtificare fuiſſe adimpletum.*

4 *Vſusfructus finitur morte vſufructuarij.*

5 *Hæres agens vti hæres, & declarans ſe eſſe hæredem dicitur acceptaſſe hæreditatem.*

6 *Actore probante neceſſaria ad victoriam, reus eſt condemnandus.*

7 *Error in nomine, vel cognomine, dum certum eſt id, de quo agitur, non officit veritati.*

8 *Solutio non liberat debitorem, niſi fiat vero domino, vel eius legitimo procuratori.*

9 *Mulier ſicuti non poteſt contrahere, & ſe obligare ſine requiſitis à ſtatuto, ita non poteſt inſtituere procuratorem ad eam obligandam ſine iiſdem requiſitis, niſi ad acta iudiciaria.*

10 *Mandatum requiritur ſpeciale ad annullandum, & caſſandum contractum ad vtilitatem mulieris, itē ad remittēdum eius creditum, ad tranſigendum, & ad eam obligandam.*

11 *Mandatum qui dedit ad recipiendum, confitendum, & quietandum, ac alia huiuſcemodi faciendum, intelligitur datum, quando in rei veritate, & realiter recepit id, quod confeſſus eſt recepiſſe. Secus ſi non recepit.*

12 *Et ideo ex tali confeſſione non liberatur debitor, nec præiudicatur domino.*

13 *Mandatum numquam intelligitur factum alicui ad confitendum id quod non eſt, & ad caſſandam obligationem pro eo, quod quis non recepit, quia hoc ſapit donationem, quæ non habetur in mandato.*

DECISIO VII.

FVit facta petitio per eximium virum Nicolaum Tuccium contra quoſdam fratres de Maſinis, de quadam pecuniarum quantitate, in qua vnus de dd. Maſinis fuit condemnatus ad ſoluendum iuxta petita.

In qua controuerſia licet prima facie videretur reſoluendum ad fauorem dd. fratrum abſoluendo eos a petitis.

Primò, quia actum fuit ex parte d. Spect. Ni-
colai vigore inſtrumenti manu ſer Iacobi Maca-
rini, & tamen d. inſtrumentum non erat rogatum
manu d. ſer Iacobi, ſed manu ſer Nicolai Peraci-
ni. Nec obſtare videbatur, quod poſtea fuerit de-
claratum inſtrumentum prædictum fuiſſe rogatū
1 a ſer Nicolao Peracino; quia † iudicium exequu-
tionis inſtrumenti debet iuſtificari ex eodem in-
ſtrumento, quo exequutio petita fuit, Cornaz. *de-
ciſ.* 96. *num.* 8. Corne. *in conſil.* 131. *in princ. vol.* 4.

Secundò, quatenus aſſertum inſtrumentum ma
nu d. ſer Nicolai eſſet attendendum, dicebatur ta-
men debitum dd. de Maſinis fuiſſe ſolutum Nico-
lao Riccio, tamquam procuratori D. Placentinæ
Fridianæ, cuius eſt hæres d. D. Tuccius, vt appa-
rere dicebatur ex duobus inſtrumentis penes acta
deductis, vbi fuerunt caſſata, & annullata omnia
inſtrumenta inter dd. de Maſinis, & Nicolaum
Ricciū celebrata, & obligationes exſtinctæ, quod
fieri poſſe videbatur, cum actum fuerit per dd. de
Maſinis cum d. Nicolao Riccio, & ipſe fuit qui
vendidit filatoria nomine D. Placentinæ, ex qui-
2 bus prouenit ſupradictum debitum; cum de † iure
ſolutio fieri poſſit illi, cum quo fuit contractum, &
cui facta fuit promiſſio, *l. filius, C. de pact.* vbi Bar.
& Bald. Surd. *in conſil.* 43. *num.* 2. *lib.* 1. *& deciſ.* 229.
num. 11. Ioſeph Ludou. *Com. Concluſ. concluſ.* 44.
per totam, licet non fiat mentio de domino, & aga-
tur proprio nomine, *l. qui in aliena, §. ſi is qui pu-
tat, ff. de acquir. hæred.* vbi Angel. Alexan. *in conſ.* 9.
num. 9. *lib.* 3. Natta *in conſil.* 636. *num.* 68. *& num.*
121. cum allegatis à Ludou. *in d. concluſ.*

Tertiò, quia rei conuenti fuerint admiſſi ad beneficium ceſſionis bonorum in Curia Epiſcopali, vt ex proceſſu ibidem fabricato, & in iudicio pro-

ducto coram Dom. Iudice ordinario conſtare videbatur.

Quartò, quia ex teſtamento D. Placentinæ ab eodem actore exhibito, dicebatur apparere d. D. Nicolaum non poſſe cõſequi aſſertum creditum, tum quia non eſſet ſolus hæres d. Placentinæ, ſed
3 plures inſtituerat hæredes. Tum etiam quia † d. hę reditas non cenſebatur ad eum delata, niſi prius adimpletis in eodem teſtamento contentis, quod tenebatur iuſtificare fuiſſe factum, Aret. *in conſil. 32. verſic. circa primum, vol.* 1. Grammat. *deciſ.* 58. *num.* 13.

Quintò, & vltimò, quia dato, quod d. hæreditas fuiſſet delata ad Do. Nicolaum, & alios hæredes, ei tamen non competebat actio, quia d. filatoria erant de bonis Fridiani viri d. Placentinæ, in quibus ipſa Placentina habebat vſumfructum tantum, durante eius vita, vt ex d. teſtamẽto & in
4 ſtrumento ſer Nicolai Peracini cõſtabat, & † mortuo vſufructuario extinguitur vſusfructus, *§. finitur, Inſtit. de vſufr. vbi Aret. & omnes.*

Contrarium tamen prædictis non obſtantibus fuit reſolutum, quando quidem in proceſſu apparebat, d. Sp. Tuccium eius intentionẽ optimè comprobaſſe; nam de obligatione dd. fratrum conſtabat ex inſtrumento d. ſer Nicolai, in quo conſtituerunt ſe debitores D. Placentinę, mediante perſona Nicolai Riccij eorum procuratoris, de dd. filatorijs. Et quod d. Spect. Tuccius eſſet hæres d. Placentinæ, fuit probatum per teſtamentum eiuſ-
5 dem Placentinæ. Et † agens vti hæres, & declarans ſe eſſe hæredem, dicitur acceptaſſe hæreditatem, iuxta Gloſ. *in l.* 1. *C. ſi minor. ab hæred.* Bald. *in l.* 1. *nu.* 38. *C. commun. de leg.* Aret. *in conſil.* 136. *in princ.* Natta. *in conſil.* 488. *num.* 11. Marant. *in l. is poteſt, ff. de acquir. hæred.* Fuit etiam probata
6 mors d. Placentinæ, vnde ſequitur, quod † actore probante neceſſaria ad victoriam, reus eſt condemnandus, *l. vbi, C. ad leg. Corn. de falſ. l. qui ſententiam, C. de pęnis.*

Nec obſtare viſa ſunt ea, quæ in contrarium deducebantur.

Primò enim nõ obſtat allegatus error Notarij,
7 quia dicitur † errorem in nomine, ſeu cognomine, cum certum ſit id de quo agitur, non officere veritati, vt dicit text. *in l. ſi in nomine, C. de teſtamen.* & ibi Doctores omnes, & in ſpecie Alex. & Bald. Vnde cum in caſu præſenti optimè apparet de veritate talis inſtrumenti, & de contentis in eo ad fauorem d. Sp. Tuccij, nihil erat curandum de tali æquiuoco.

Non officit quod ſecundo loco dicebatur ſupradictum debitum fuiſſe ſolutum, vt conſtare dicebatur ex duobus inſtrumentis productis. Nam dicitur talia inſtrumenta fuiſſe confecta cum Nicolao Riccio, qui non habebat facultatem exigendi, quietandi, & caſſandi inſtrumentum obligationis, & debiti dictorum de Maſinis, & ibi egit dictus Nicolaus nomine proprio, non autem procu
8 ratorio d. Placentinæ, & † ſolutio non liberat debitorem, niſi fiat vero domino, vel eius legitimo procuratori, *l. ſi ego, ff. de neg. geſt. l. eius qui in prouincia*, vbi Gloſ. & Bart. *ff. ſi certum petatur, l. qui aliena negotia, §. quamquam, ff. de negor. geſt. l. cum quis, §. 1. ff. de ſolutio.* Doctor. *in l. ſi filius, C. de pact.* Socin. iun. *in conſil.* 106. *num.* 33. *volum.* 3. Natta *in conſil.* 543. *num.* 1. Surd. *deciſ.* 229. *num.* 1. *& ſequen.* Et dato quod hoc facere voluiſſet nomine d. Placentinæ, non tamen habebat mandatum legitimum, atque ſufficiens; nam mandatum dicti Nicolai Riccij non erat legitimum, cum non eſſet confectum cum requiſitis a ſtatuto;
9 nam † ſicuti mulier ex diſpoſitione ſtatuti *lib.* 2. *cap.* 39. *&* 40. non poteſt contrahere, & ſe obligare ſine conſenſu propinqui, ita non poteſt conſtituere procuratorem ad ſe obligandum (prout fecit) ſine conſenſu propinqui, niſi ad acta iudiciaria, vt per Ioſeph. Ludou. *in deciſ. Lucana* 45. *per totam*, in terminis præſentis ſtatuti, videlicet,
10 *in cap.* 24. *lib.* 1. Et quatenus eſſet legitimum † mãdatum, non erat tamen ſufficiens, quia non ſe extendebat ad annullandum, & caſſandum contractum in vtilitatem D. Placentinæ, & remittendum eius creditum, & tranſigendum, & eam obligandum; quia ad hæc requiritur ſpeciale mandatum, vt per Ioſeph. Lud. *in concl.* 30. *verſic. quinto, & vigeſimoſecundo, & verſic. quinquageſimooctauo, & nono, & verſic. ſeptuageſimo cum ibi adductis, & allegatis.* Et hoc eo magis, quia licet etiam habuiſſet ad omnia ſupradicta ſpeciale mandatum, adhuc non poterat eo modo caſſare, & annullare inſtrumentum crediti dictę Placentinæ, & omnia alia quæcumque inſtrumenta, prout ipſe Nicolaus Riccius fecerat, non conſtando de ve
11 ra ſolutione, & ſatisfactione dicti debiti; † nam qui dedit mandatum ad recipiendum, confitendum, quietandum, & alia talia faciendum, intelligitur datum ad confitendum quando in rei veritate, ac realiter recepit id, quod confeſſus eſt ſe recepiſſe; quia ſicuti mandatum recipiendi importat naturalem, & veram receptionem, ſic etiã qualitas veræ receptionis debet apparere, cum intelligatur ſemper repetita in mandato confitendi, Bar. *in l.* 11. *§. finali, num.* 6. *ff. ſi cert. petat. per l.* 1.
12 *§. ſi mutuam, ff. ſi quid in fraud. patr.* Et † ideo ex tali confeſſione non præiudicatur domino, neque debitor liberatur, Ang. *in l. non abſtulit, C. de nouat.* Roman. *in conſil.* 352. *num.* 4. Addit. ad Bartol. *in d. §. fi. d. l.* 2. *ff. ſi cer. pet. in ver. vtilia, littera B.* Et ex hoc etiam remanet ſatisfactum alio obiecto, dum dicebatur ſolutionem poſſe fieri illi, cum quo
13 fuit contractum; quia † hoc debet intelligi de vera, & reali ſolutione, non autem de ſimplici, & verbali caſſatione inſtrumentorum, & obligationum, nihil apparente de aliqua ſolutione, & reali ſatisfactione debiti, prout in caſu iſto, quia talis non dicitur habere mandatum ad confitendum falſum, & ad caſſandam, & annullandam obligationem pro eo, quod non conſtat recepiſſe, *l. ſi procurator, ff. de condict. indeb.* quia hoc ſaperet donationem, quæ non habetur in mandato, *l. creditor, §. Lucius, ff. mandati, l. contra iuris ciuilis regulas, §. finali, ff. de pact.* Et ita argumentatur Bald. *in l.* 2. *in fine, ff. ſi cert. petat.* Et quod non fuerit fa-

ćta realis ſolutio iſtarum pecuniarum apparebat ex proceſſu ceſſionis bonorum productoa dd. de Maſinis, in quo inter alia eorum debita aſſignant in notula hoc debitum cum D. Placentina, & in eodem proceſſu procurator eorum fatetur dictam Placentinam eſſe creditricem dd. de Maſinis, & hoc eſt factum per annum, & plus poſt illud inſtrumentum caſſationis inſtrumentorum ſupradictorum, quod debitum ſi fuiſſet ſolutum per dictos de Maſinis, vtique non fuiſſet deſcriptum in dicta notula, & non fuiſſet confeſſatum ab eorum procuratore.

Tertium fundamentum adductum pro dd. de Maſinis in facto non conſiſtebat, quia Valerius vnus ex dd. fratribus principaliter obligatus, & contrà quem actum fuit, non implorauit, nec fuit admiſſus ad tale beneficium.

Ad quartum quod dictus Dom. Nicolaus Tuccius non ſit ſolus hæres Placentinæ, & quod non adimpleuerit pro ſui parte adimplenda, Dicitur quod licet vna cum eo eſſet hæres inſtitutus Ioannes frater d. Dom. Nicolai. Attamen in proceſſu conſtabat d. D. Ioannem confeſſum fuiſſe totum dictũ creditum ſpectare ad d. Spect. Nicolaum, ac etiam adimpleuiſſe ea, quæ erant adimplenda.

Ad quintum etiam dicitur apparere ex deductis in proceſſu, dictam Placentinam eſſe vere dominam dd. filatoriorum, cum ſibi fuerint aſſignagnata pro credito ſuarum dotium, & non vt ſimplicem vſufructuariam. Quare, &c.

ARGVMENTVM.

Sententia nulla ex defectu iuriſdictionis non ſortitur effectus aliquos ſententiæ.

SVMMARIVM.

1. *Verba in ſtatuto appoſita, non poſſit, ac nequeat vllo modo, directa iudici, auferunt ab eo omnem iudicandi facultatem.*
2. *Sententia eſt indiuidua, & non poteſt in vno valere, & in alio non valere.*
3. *Exceptio iuriſdictionis, & nullitatis ex ea prouenieus numquam cenſetur excluſa a ſententia, etiam ſtante ſtatuto, quod ab ea non poſſit appellari ſeu de nullitate dici.*
4. *Sententia nulla ex defectu iuriſdictionis numquam tranſit in iudicatum, etiam ſtante ſtatuto, quod non poſſit appellari, aut de nullitate dici a ſententijs.*

DECISIO VIII.

SImon Iuſtus de Marlia habuit recurſum ad Rotam a pronuncia Dom. Prætoris Lucenſis, & fuit declaratum bene fuiſſe recurſum, & malè, ac nulliter iudicatum ex pluribus.

Primò, quia ex diſpoſitione ſtat. *lib. 4. cap. 54.* in delictis, pro quibus dicti Simon, vna cum Nardino & Franciſco eius fratribus fuerat condemnátus, nempè quia eamdem rem pluribus, & pluries vendiderint, contra formam iuris, & ſtatutorum, *vt in cap. 89. & 90. lib. 4.* per ſpacium triennij erat præſcripta omnis actio procedendi ſuper ipſis. Statutum enim prædictum mandat quod poſt triennium procedi nequeat vllo modo in huiuſcemodi delictis, & omnes, & ſinguli proceſſus, qui poſt dicta tempora fierent, non valeant ipſo iure, & ex eis nulla ſententia ferri poſſit, vnde cum D. Prætor inquiſiuerit, & condemnauerit dictos fratres non ſolum elapſo dicto triennio, ſed etiam multo poſterius, igitur talis proceſſus vna cum ipſa ſententia erat ipſo iure nullus, & nulla. Immò nec dici poterat ſententia; ex quo ſtatutum prædictũ non permittit, quod ex huiuſcemodi pro-
1 ceſſu poſſit oriri aliqua ſententia. Et per † illa verba in dicto ſtatuto appoſita, non poſſit, & alia, nequeat vllo modo, intelligitur iudici ſublata omnis poteſtas iudicandi, Gloſ. *in c. 1. in ver. non poteſt, ext. de reg. iur.* Iaſ. *in l. Gallus, num. 17. ff. de lib. & poſthum.* Marſil. *in conſil. 65. num. 1. & conſil. 117.* Pariſ. *in conſil. 58. num. 36. lib. 4.* Vant. *de nullit. ex defect. iuriſd. num. 120.* Et omnem modum procedendi abnegat, qui cogitari poſſit, Gloſ. *in cap. 1. de reg. iur. in 6.* Iaſ. *in l. non dubium, num. 6. C. de legat.* Pariſ. *in conſil. 53. num. 94. lib. 3.*

2 Secundò, quia cum † ſupradicta ſententia fuerit a Rota declarata nulla quoad alios duos fratres, vna cum dicto Simone inquiſitos, & hoc ex eodem defectu iuriſdictionis non poterat quoad dictum Simonem ſuſtineri. Alex. *in l. ſæpè, num. 52. & 67. ff. de re iudic.* Quia ſententia eſt indiuidua, Surd. *deciſ. 74. nu. 9.* cum alijs per eum allegatis, & non poteſt pro parte valere, & pro parte non valere. Roland. *conſil. 7. nume. 87. volum. 3.* Afflict. *deciſ. 358. num. 7.*

Nec obſtare viſum fuit quod a dicto ſtatuto *lib. 4. cap. 39.* prohibitum ſit a ſententijs criminalibus appellare, & de nullitate dicere, niſi perſonaliter
3 reus cõpareat. Quia cum † ſimus in ſententia nulla ex defectu iuriſdictionis, talis exceptio iuriſdictionis, & nullitatis ex ea prouenientis, numquam cenſetur excluſa, Vant. *de nullit. tit. quis poſſit dicere de nullitate, num. 37.* Roman. *in conſil. 116. in fine*, Magon. *deciſ. Luc. 18.* in terminis noſtris loquens, Lepid. *deciſ. Lucana 78. in fine, verſ. nec obſtare viſum eſt*, Beccius, *conſil. 40. num. 7.* Surd. *in conſil. 301. num. 17. & 18.*

4 Nec etiam obſtat, quod † prædicta ſententia dicatur feciſſe tranſitum in iudicatum; cum clarum ſit in iure, ſententiam nullam ex defectu iuriſdictionis numquam tranſire in rem iudicatam, non obſtante ſtatuto quod non poſſit appellari, aut de nullitate dici, Socin. iunior, *in conſil. 40. & 41. lib. 2.* Borgnin. *deciſ. 28. de iudic.* Et talis ſententia non poteſt per iudicem exequutioni demandari, idem Borgnin. *deciſ. 21. in princ. de iudic.*

ARGVMENTVM.

Statuti diſpoſitio loquens de vulneribus, an locum habeat in leui vulnere. Et ex quibus circumſtantijs offenſio dicatur grauis.

SVMMARIVM.

1 *Vulnuſcula non comprehenduntur ſub diſpoſitione ſtatuti, loquentis de vulneribus; quia eſt intelligendum de vulneribus alicuius momenti, & grauibus.*

2 *Statutum loquens alternatiuè ſufficit in vno ex alternatiuis verificari.*

3 *Percuſſio grauis dicitur ex genere armorum, cum quibus illata fuit, & ex animo. Item grauis reputatur ex parte corporis in qua illata fuit.*

4 *Statuti requiſita quando interueniunt, eius quoque diſpoſitio ſuum debet ſortiri effectum.*

5 *Delictum quando graue, & quando leue reputetur, remittitur iudicis arbitrio.*

6 *Statutum loquens de vulnere, quod non comprehendat vulnuſcula, debet intelligi in leuiſſimo vulnere, puta cum ferula ſeu manu facto.*

7 *Confitens delictum leuius punitur iudicis arbitrio.*

8 *Verba (cum effuſione ſanguinis) debent intelligi de notabili quantitate.*

9 *Relatum eſt in referente cum omnibus ſuis qualitatibus.*

DECISIO IX.

THomas Scorſinus fuit condemnatus in pœnam ſtatutorum, & decretorum à Domino Prætore Lucenſi, eo quia vulneraſſet Ioſeph. Perottinũ; cuius ſentẽtia fuit per Rotam confirmata. Siquidem in proceſſu per propriam confeſſionem dict. Thomæ extitit probatum, quod ipſe cum dimidio enſe euaginato admenauerit contra d. Ioſeph. & ipſe Ioſeph. remanſerit leuiter vulneratus cum ſanguinis effuſione, licet modica, vnde viſum fuit locum eſſe diſpoſitioni ſtatuti *in capit.* 149. *libr.* 4. & decretorum additionalium de anno 1533. *pag.* 129. ex quibus imponitur pro vulneribus pęna pecuniaria, in quam fuerat condemnatus d. Thomas.

Nec obſtare viſa ſunt ea, quæ in contrarium adducebantur pro parte d. Thomæ, quod ſcilicet di-
1 ſpoſitio dictorum ſtatutorum intelligi debeat † in vulnere formali, & alicuius momenti, non autem in leui vulnere, ſeu vulnuſculo, ad tradita per Angelum, *in l. extat, in princip. ff. quod met. cauſa* Bald. *in l.* 1. *§. quod autem, num.* 1. *ff. de ædil. edict.* Angel. *in verſic. vna alia percuſſione, verſic. quæro ſtatutum, numero* 6. Aſin. *in conſil.* 114. *num.* 25. *libro* 2. *inter con ſil. crimin.* vbi teſtatur ita communiter teneri, Bertaz. *in conſil. crimin.* 85. *num.* 29. *& conſil.* 184. *numero* 10. Alexand. *in conſil.* 104. *num.* 7. *circa medium lib.* 1. *& conſil.* 186. *numer.* 1. *eod. lib.* Marſil. *in conſil.* 80. *nume.* 23. *&* 26. Idem Marſil. *in ſua Praxi crim. §. & quia, num.* 4. Quod procedere etiam ſi ſanguis exierit, pulchrè adnotarunt Angel. *in d. verbo, vna alia percuſſione, eodem ver. quæro ſtatutum,* & Bertaz. *d. conſil.* 184. *num.* 11.

Quia dicitur prædicta de iure communi procedere, per text. *in l.* 1. *§. perinde leui, ff. de ædil. edic.* vbi Bart. & Doct. *l. quæſitum, ff. de re iudic.* cum alijs ſupra allegatis. At nos verſamur in diſpoſitione ſtatuti *in cap.* 149. *lib.* 4. determinantis, quod ſi quis irato animo, & doloſè percuſſerit, ſeu vulnerauerit cum aliquo genere armorum ciuem Lucenſem;
2 puniatur, &c. Quod † ſtatutum loquitur alternatiuè per illud verbum, ſeu, & alternatiuorum ſufficit vnum adimpleri, Decian. *reſponſ.* 44. *numer.* 14. *lib.* 2. *cum ibi allegatis*. Cui ſtatuto in caſu noſtro fuiſſe contrauentum negari non poteſt; licet enim vulnus illatum videatur modicum, attamen cum ipſe Thomas cum enſe euaginato, iratoque animo percuſſerit in capite d. Ioſeph. non poſſit dici, quod non interuenerit percuſſio, & quod ſtatutum non
3 verificetur; Nec † dici poteſt leuis huiuſmodi læſio, & percuſſio, immò dicitur per eum non ſtetiſſe quin d. Ioſeph lætaliter vulneraſſet, ac interfeciſſet, ſi potuiſſet; cum animus occidendi dignoſcatur ex genere armorum, & ex parte corporis, in qua fuit illata percuſſio, *l.* 1. *§. ſed ſi claue, & ibi* Bartol. *ff. ad leg. Cornel. de ſicar. & cap. ſignificaſti, il* 2. *vbi Canoniſtæ, extr. de homicid.* not. Bartol. *in l.* 1. *§. Diuus, ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* Angel. *in tractat. de malef. in gloſſ. in verſic. ſcienter, & doloſe, in fine,* & Farinac. *in tit. de homicid. quæſt.* 126. *num.* 122. vbi dicit ſolam percuſſionem cum enſe factum oſtendere animum occidendi, *& num.* 196. affirmat percuſſionem factam in capite, inducere animum oc-
4 cidendi. Et cum † vtrumque requiſitum a ſtatuto interuenerit in præſenti caſu, nempè percuſſio cum armis, & ſanguinis effuſio, eius diſpoſitio debet habere locum, Gloſſ. & Doctor. *in l. mancipia, C. de ſeru. fugit.* Socin. ſen. *in conſil.* 55. *num.* 4. *lib.* 1. Et grauitas delicti cõſideratur ex genere armorum cum quibus percutitur aliquis, & ex parte corporis læſæ, vt ex multis aſſerit Farinac. *de delict. & pœnis, quæſt.* 18. *num.* 64. Vnde cum in caſu iſto ſit facta percuſſio cum enſe euaginato, & in capite, non poteſt dici leuis offenſio, nec leue delictum, & ita iure merito fuit arbitratum per Dominum Præto-
5 rem: nam † grauitas, & leuitas delicti remittitur iudicis arbitrio, vt notat Gloſ. *in l.* 1. *in verſ. parte, ff. de cuſtod. reor. & in cap. peruenit, extr. de ſentent. excommun.* Menoch. *de Arbit. iud. caſu* 266. *num.* 2. Farinac. *in dicta quæſt.* 18. *num.* 62. vbi multos allegat. Boer. *deciſ.* 323. *colum.* 1. *in princ.* Illuſtriſſimus Cardin. Tuſcus. *Pract. concluſ. iuris, tomo vltim. in verſic. vulnus, concluſ.* 37. *num.* 6. Baiard. ad Clarum, *quæſt.* 82. *num.* 123.

Et Doctores in contrarium allegati loquuntur
6 in delictis leuiſſimis, vt † ſi quis percuſſerit aliquem cum ferula, ſeu manu, licet ſanguinis aliqua gutta defluxerit, non punitur pœna ſtatuti, prout loquitur Aſinius *in citato conſil.* 144. *numer.* 29. *libro* 2.

& ſemper in his terminis loqui videntur allegati Doctores.

Sicuti etiam viſum fuit non obſtare quod ex quo d. Thomas faſſus fuit delictum, non videbatur pu-
7 niendus pœna ordinaria, cum de iure † confitens delictum leuius ſit puniendus, arbitrio Iudicis. Grammat. *in conſil. 69. num. 13. Clar. in Praxi, in §. finali, quæſt. 55. verſic. poteſt eſſe*. Namque dicitur per Dominum Prætorem fuiſſe diminutam pœnam iuxta quod diſponitur à ſtatuto, & ſic fuiſſe ſatisfactum & iuri communi & ſtatuto.

Neque etiam obſtare viſum fuit dum dicebatur non poſſe in hoc caſu habere locum diſpoſitionem decreti additionalis ſupra allegati, cum illud decretum loquatur per hæc verba, [effuſione di ſan-
8 gue,] quę † intelligi debent de aliqua notabili quantitate cum ita denotare videatur illud verbum, effuſione. Corſett. *in ſingul. §. effuſio, in princip.* quod in hoc caſu non videtur poſſe aliquo modo verificari. Quia dicimus, quod cum illud decretum ſe referat ad ſtatutum ſupra allegatum, certa iuris re-
9 gula eſt, quod † relatum eſt in referente cum omnibus qualitatibus ſuis, *l. aſſe toto, ff. de hæredib. inſtit.* Dec. *in conſil. 19. colum. 3.* Pariſ. *in conſil. 21. numer. 45. lib. 1.* Quo caſu referens non debet attendi, ſed relatum, Bellon. *in conſil. 23. num. 2.* Bertaz. *in conſil. ciuili 83. num. 37. Authent. Si quis in aliquo, C. de eden.* Dec. *in conſil. 63. num. 6.* Pariſ. *in conſil. 7. numero 5. volum. 3.* Cephal. *in conſil. 44. num. 14.* Menoch. *in conſil. 1. num. 45.* Surd. *in conſil. 313. num. 50. volum. 3.* &c.

ARGVMENTVM.

Doctores numquid pro debito perſonaliter capi poſſint in terminis ſtatuti.

SVMMARIVM.

1 *Doctores pro debitis ciuilibus non poſſunt perſonaliter carcerari.*

2 *Doctores qui actu legunt, qui patrocinantur in cauſis, & qui alio modo ſe exercent in legali ſcientia, hoc priuilegio potiri debent.*

3 *Procuratores non fruuntur priuilegio prædicto, cum eorum officium ſit vile. Quod tamen procedit in illis locis, in quibus pro uili reputatur. Secus vbi pro nobili habetur.*

4 *Doctor non poteſt renunciare priuilegijs Doctoratus, cum ſint inducta fauore publico, & vt talis dignitas in honore habeatur.*

5 *Doctores non poſſunt capi perſonaliter etiam ſtante ſtatuto quod quilibet perſonaliter capi poßit, non obſtante quocumque priuilegio; quia per talem clauſulam non cenſetur derogatum priuilegijs in corpore iuris inſertis.*

DECISIO X.

PVerat conceſſa exequutio perſonaliter detinendi Mag. Dom. Hippolytum de Benedictis, pro debito ciuili, quæ fuit annullata & in totum reuocata. Et hoc quia ex priuilegio Doctoratus apparebat d. Dom. Hippolytum eſſe vtriuſque iuris Doctorem laureatum in almo Gymnaſio Piſano, per vul-
1 garem iuris ſententiam, quod † Doctores pro debitis ciuilibus non poſſint perſonaliter capi, ac detineri, vt eſt text. *in l. Medicos,* vbi Gloſ. *in verſiculo exhiberi,* & Doct. omnes, *C. de profeſſ. & medic. lib. 10.* Tiraquel. *de Nobilit. cap. 20. num. 136.* Menoch. *de Arbit. iud. lib. 1. quæſt. 88. num. 7.* latiſſimè Farinac. *in titulo de carcer. & carcer. quæſtio. 27. numero 77.*

2 Nec dicatur † quod dictum priuilegium competat tantummodo Doctoribus actu legentibus, non autem alijs, vt dixit Bartol. *in dicta l. Medicos,* & Aret. *in §. item Romæ, num. 2. in fine, ff. de excuſat. tutor.* Caſtr. *in prima conſtit. Cod. colum. 2.* Quia ſecundum magis receptam Doctorum ſententiam eadem priuilegia competunt etiam Doctoribus, qui patrocinantur in cauſis, ſeu alio modo ſe exercent in legali ſcientia, Rip. *in l. Centurio, nu. 17. ff. de vulgar. & pup. & in l. 1. nu. 133. ff. ſol. matr.* & nouiſſimè Iac. Ben. *in tract. de priuil. Iuriſconſ. par. 3. priuil. 96. num. 5.* Alios allegat idem Farinac. *in ſupracit.* loco *num. 83.* affirmans recentiores omnes hanc opinionem tenere, vſuque ſeruari. At cum d. Dominus Hippolytus patrocinetur in cauſis quotidie in hac Ciuitate Lucana, & ſe exerceat in legali ſcientia coram omni tribunali, dici non poteſt non debere frui tali beneficio.

Et quamuis dictus Dominus Hippolytus exer-
3 ceat † officium procuratoris, quod dicitur exercitium vile, & propterea multi dicant, quod tales non debeant potiri priuilegijs Doctorum, Rolan. *in conſil. 66. num. 38. volum. 1.* Tiraquel. *in ſupra allegato loco*, hoc tamen habet locum in illis locis, in quibus tale exercitium procuræ pro vili habetur, ſecus eſt in illis locis, in quibus pro nobili reputatur, prout eſt in hac Ciuitate, in qua nobiles viri ſeſe honorificè exercent in hac profeſſione, & digni reputantur, quod connumerentur in numero Excell. Decurionum, & ſupremorum Magiſtratuum huius Excel. Reipublicæ gradus obtineant, vt in ſimili de procuratoribus almę Vrbis Romæ dicitur a Veſtrio *in Praxi, in titul. de procur. cauſ. ſacri Palat. cap. 19.* & latiſſimè Borgn. *deciſ. 41. num. 21. & 23. cum ſeq.*

Sicuti etiam viſum fuit non obſtare, quod dicitur ex aduerſo dictum Dominum Hippolytum cōſenſiſſe tali exequutioni contra eum concedendæ. Quia dato etiam, quod in hoc conſenſiſſet, non tamen dicendum eſt amiſiſſe beneficium priuilegij,
4 quia † Doctor non poteſt renunciare priuilegio Doctoratus, cum ſit inductum fauore publico, & vt Doctoratus ſuprema dignitas præſeruetur, nec aliquo

aliquo modo vilipendatur, vt idem dicit Farinac. *in ſupracitato loco num.84.cum ibidem allegatis.*

Non obſtat *cap.116.lib.1.*ſtat.vbi enumerantur omnes perſonæ,quæ ſunt exceptuatæ, vt non poſſint perſonaliter capi, inter quas Doctores non enumerantur. Quia dicitur hoc ſtatutum eſſe declaratum per aliud ſtatutum poſterius, *nempe in cap.2. lib.6.* vbi prohibitum eſt iudicibus concedere licentiam capiendi perſonas prohibitas capi pro debitis ciuilibus, inter quas de iure prohibitæ ſunt capi perſonæ Doctorum, vt ſupra dictum fuit. Im-
5 mò dicitur † ſupradicta priuilegia procedere etiã ſi ſtatuto caueretur, quod quilibet pro debito ciuili perſonaliter capi poſſet, non obſtante quocumque priuilegio; nam ob hoc non poterit capi perſonaliter Doctor; quia propter talem clauſulam, non obſtante quocumque priuilegio, non cenſetur derogatum priuilegijs in corpore iuris clauſis, Ripa, *in cap.cum ſit Romana, num.54.de reſcript.* Matthesil. *Singul.59.* Iacob. Ben. *in ſupra citato priuileg.49.num.4.par.2.* Farinac. *in citat. loco de carcer. & carcerat. quæſt.27.num.81.*

Abſoluimus reos ab expenſis, cum haberent primam ſententiam ad eorum fauorem, gl.& Doctor. *in l.generaliter, §.ſed iuramento, C.de reb. credit.* Lepid. *deciſ.35. in fine, & deciſ.38.& 131.*

ARGVMENTVM.

Delicta quando puniantur pœna ordinaria, & quando extraordinaria pœna.

SVMMARIVM.

1 *Delictum ad hoc vt poſſit puniri pœna ordinaria debet eſſe plenè probatum, & probationes debent eſſe luce meridiana clariores.*
2 *Teſtis non repetitus parte præſente, vel citata, in criminalibus nihil omnino probat.*
3 *Quod eo magis procedit, quando iudex per viam accuſationis & parte inſtante procedit.*
4 *Teſtis non repetitus non facit indicium.*
5 *Teſtis depoſitio, quæ per neceſſe non concludit, parum, aut nihil probat.*
6 *Non poteſt dici illud eſſe, quod ab eo contingit abeſſe.*
7 *Teſtis ſingularis non probat, maxime in criminalibus ad effectum puniendi.*
8 *Teſtis non repetitus facit præſumptionem.*
9 *Teſtis de certa ſcientia iunctus cum præſumptione facit plenam probationem.*
10 *Ex iudicio indubitato poteſt quis condemnari in pœnam pecuniariam ſine exſilij.*
11 *Teſtes in caſu neceſſitatis non citata parte examinati, probant.*
12 *Impoſſibilitas excuſat facientem actum minus ſollemnem, vel contra formam ſtatuti.*
13 *Ex indicijs ſolis, & præſumptionibus, licet vrgẽtiſſimis, & indubitatis non poteſt aliquis condemnari in pœnam ordinariam alicuius delicti, & maximè in pœnam corporalem.*
14 *Teſtis ſingularis, & contrarius, nihil probat, cum contrarietas, & ſingularitas reddant eius dictum inualidum.*
15 *Teſtis dictum debet concludere per neceſſe.*
16 *Coniecturæ, & præſumptiones plenè probant, quando in ſuo genere ſunt perfectè probatæ.*
17 *Propter indicia vrgentiſſima, & validiſſima poteſt quis condemnari in pœnam extraordinariam pecuniariam.*

DECISIO XI.

Dominicus Arlianus fuit condemnatus à D.Prætore in pœnam banni, ſeu exilij, & pecuniariam ſub prætextu, quod vulneraſſet in capite quemdam Camillum de Barga. Quæ ſententia fuit per Rotam reformata, & moderata, abſoluendo d.Dominicum à pœna banni & exilij, & condemnando eum in pœnam pecuniariam prout fuerat condemnatus a d. D.Prætore.

1 Moti, quia in † criminalibus ad hoc vt quis poſſit puniri pœna ordinaria alicuius delicti, neceſſe eſt quod tale delictum ſit plenè, & perfectè probatum & quòd probationes ſint luce meridiana clariores, vt habetur *in l.fin.C.de probat.* Maſcard. *concluſ.497.num.2.* Gabriel. *in conſil.169.* Alex. *conſil.66. num.1. vol.1.* Dec. *conſil.11. num.11.* At in caſu iſto quod ſupradictus Dominicus vulnerauerit in capite Camillum de Barga cum claue, & cum ſanguinis effuſione, viſum fuit nobis non fuiſſe perfectè probatum, ita vt potuerit condemnari in pœnam ordinariam talis delicti, prout fuit condemnatus à prædicto D. Prætore. Quando quidem ad hoc probandum pro parte fiſci, tres teſtes
2 fuerunt examinati, quorum vnus † cum non fuerit repetitus parte præſente, vel citata, nihil omninò probare, maxime in criminalibus duximus, vt clara iuris regula eſt, Abb. *in cap.2.num.8.*& ibi Felin. *num.9. de teſtib.* Clar. *in praxi, quæſt.11.verſic. item quæro, in princ.* vbi teſtatur de communi, Maſcard. *de probat. lib.1. concluſ.496. num.11.* vbi etiam de communi teſtatur, Cacheran. *conſil.64. num.22.* & ita ex communi praxi obſeruari affirmat.
3 Quod † eo magis procedit, quãdo iudex per viã accuſationis, & parte inſtante procedit, prout in hoc caſu, glo. *in capit.2. de teſtib. in ver. admonendus verſic. idem eſt in accuſatione.* Alberic. *in tractatu de teſtib. cap.7. num.38.* vbi ait, quod hoc eſt clarum
4 in iure, qui † quidem teſtis non repetitus nec etiam facit aliquod indicium, Abb. *in d.cap.2. num.14. de teſtib.* vbi vult, quod nec etiam modicum indicium faciat; quem ſequitur ibi Aret. *num.1. in 1. notab. & num.11. & num.15.* Felin. *num.3.* Dec. *num.54.* vbi teſtantur de communi. Gabriel. *Com. concluſ. tit. de citat.concluſ.1.num.241.& 243.* Maſcard. *de probat. lib.1. in præfat. quæſt.5. num.37. & lib.3. concluſ.1366. num.1.* Oſaſch. *deciſ. Pedemont.79. num.18. verſic. nec etiam facit indicium,*

Burſat. *conſil.* 203. *num.* 110. Hippolyt. Riminal.
in conſil. 233. *nu.* 95. vbi quod nec etiam modicum
indicium faciunt, *& num.* 101. Farinac. *de oppoſit.*
contra exam. teſtium, *quaeſt.* 72. *cap.* 2. *a num.* 87. *vſ-*
que ad num. 90.

Alius vero teſtis non deponebat præciſè de de-
5 licto, nec eius dictum † per neceſſe concludere vi-
debatur, ideo depoſitio eius parum, aut nihil pro-
bare videbatur, *l. non hoc*, *C. vnde legit.* Cornaz. *de-*
ciſ. 13. *num.* 28. *verſic. tertius autem*, Barz. *deciſ. Bo-*
6 *non.* 84. *num.* 1. Nec † dici poterat illud eſſe, quod
ab eo contingere poteſt abeſſe, *l. non hoc*, *C. vnde*
legit. Accedat etiam, quod d. teſtis cum ſolus de-
ponat de claue in manibus dicti de Barga poſt fi-
7 nitam rixam, † eſt ſingularis in ſuo dicto, & ideo
regulariter non probat, *l. nihilominus*, *& ibi glo.* 3,
q. 9. *c. tam litteris*, *de teſtib.* Pariſ. *conſil.* 57. *num.*
17. *lib.* 1. Gabriel. *titul. de teſtib. concluſ.* 2. *num.* 1.
Maxime in criminalibus, & ad effectum condem-
nandi, Clar. *in praxi*, *§. finali*, *quaeſt.* 50. *num.* 18.
verſic. & haec concluſio. Alba *conſil.* 25. *num.* 1. Hip-
polyt. de Marſil. *in praxi*, *§. diligenter*, *col.* 3.

Tertius vero teſtis nihil deponebat, quod tale
vulnus fuerit illatum per d. Dominicum.

Nec obſtare viſa ſunt ea, quę pro parte fiſci ad-
ducebantur, quod dictum primi teſtis deponentis
de claue in manu d. Dominici ſtatim ſedata rixa,
cum ſit de certa ſcientia, talis depoſitio ſufficiens
videatur ad probandum fuiſſe percuſſionem factã
cum d. claue per dictum Dominicum, cum con-
currant duæ coniecturæ, & præſumptiones, ſeu
adminicula, quod vulnus prędictum fuerit illatum
cum d. claue. Prima ex veriſimilitudine ipſa, quæ
dictat pugnis non inferri vulnera in capite cum ſan
guinis effuſione, ſed ferro. Altera eſt quod ſecun-
dus teſtis cum claue fuiſſe factã percuſſionem de-
8 ponat, qui licet non probet, quia † non fuit repeti-
tus, vt ſupra dictum eſt, facit tamen præſumptio-
nem, *per deciſ. Rot. Rom.* 133. *in fine ex recollectis*
per Farinac. & per eumdem Farinac. *in conſil.* 16.
num. 18. Ex quibus dicebatur ſatis concludenter
fuiſſe probatum a Dominico fuiſſe percuſſum Ca-
9 millum cum d. claue, ex † quo teſtis de certa ſcien-
tia, iunctus cum præſumptione, facit plenam pro-
bationem in criminalibus, vt per Crauet. *in conſil.*
35. *num.* 15. & Farinac. *in conſil.* 33. *num.* 36.
10 Deinde quod † ex indubitato indicio quod re-
ſultabat contra d. Dominicum, potuerit puniri ea
pœna, in qua fuit condemnatus, cum non fuerit
corporalis ſed pecuniaria, & exilij, per ea quæ tra-
dit Farinac. *quaeſt.* 86. *num.* 117. & Ioſeph Ludou.
concluſ. 45. *in princip.*

Poſtremo, quod licet ſecundus teſtis non fuerit
repetitus, eius tamen dictum debeat attendi, ex
quo per fiſcum fuit adhibita diligentia perquiren-
di eum, & nuncius inuenire illum cum non po-
tuerit ad effectum citandi vt ſe ſubijceret exami-
ni pro tali repetitione, quo caſu videtur habere
11 locum concluſio illa, quod † teſtes in caſu ne-
ceſſitatis non citata parte examinati, probent, Il-
luſtriſs. Cardin. Tuſcus, qui plures allegat *in con-*
cluſ. 163. *num.* 78. *littera T. tomo vltimo.* ſicuti po-
nit etiam nonnullos caſus ad idem facientes idem
Illuſtr. Card. Tuſcus, *concl.* 19. *littera N. nu.* 15. 26.
& 34. *tomo* 5. & per Marſil. *in l. de vnoquoque*, *nu-*
12 *me.* 51. *&* 63. *ff. de re iudic.* nam † impoſſibilitas ex-
cuſat facientem actum minus ſollemnem, vel con-
tra formam ſtatuti, vt ait idem Illuſtriſs. Cardin.
Tuſcus, *in d. concluſ.* 19. *num.* 51. & Marſil. *in l.* 1.
§. præterea, *num.* 87. *ff. de quaeſt.*

Nam quoad primum, & ſecundum fundamen-
tum, dicitur per dictum duorum teſtium pro parte
fiſci examinatorum, & repetitorum, nihil aliud re-
ſultare, niſi indicia, & præſumptiones, quod d. Do
minicus intulerit illud vulnus dicto Camillo in ca-
pite; nam nec primus, nec ſecundus teſtis aſſeritur
vidiſſe Dominicum vulnerantem Camillum. At
ſecundum veram, receptam, ac magis commu-
13 nem ſententiam, ex † ſolis indicijs, & præſumptio-
nibus, licet vrgentiſſimis, ac indubitatis, non po-
teſt aliquis condemnari in pœnam ordinariam ali-
cuius delicti, & in ſpecie in pœnã corporalem, vt
dicit Farin. qui multos allegat *in tit. de reo confeſſo*
& conuicto, *quaeſt.* 86. *nu.* 110. *& num.* 112. *&* 113.
& in fin. num. 117. & Ioſeph. Ludou. *in conſil.* 45.
col. 4. *verſic. Stat igitur communis concluſio*, Lepid.
deciſ. Luc. 149. *in princip.* Boer. *deciſ.* 163. *num.* 6.
Menoch. *in conſil.* 82. *num.* 144. *vol.* 1. Honded. *in*
conſil. 106. *num.* 63. *vol.* 1. & Farinac. *in alleg. con-*
ſil. 33. *num.* 36. & Doctores ex aduerſo allegati lo-
quuntur quando teſtis vnus deponit de certa, &
indubitata ſcientia delicti, quod non eſt in præſen-
ti caſu, in quo nullus teſtis ita deponit, vt in termi-
nis tradit Cornaz. *in allegat. deciſ.* 13. *num.* 24. &
quando teſtis eſt omni exceptione maior, tam cir
ca eius dictum, quam circa perſonam, Decia n. *re-*
ſponſo 92. *num.* 34. *vol.* 2. *cum ibi allegatis.* Sed præ-
14 fatus teſtis patiebatur exceptiones, tam † circa e-
ius dictum, quia eſt in ſua depoſitione ſingularis,
& ſibi ipſi repugnans, quæ ſingularitas, & contra-
rietas dictum teſtis reddit inualidum, Gabr. *Com.*
concluſ. tit. de teſtib. concluſ. 2. *num.* 1. Pariſ. *in conſ.*
57. *num.* 17. *vol.* 1. Clar. *in praxi*, *§. finali quaeſt.* 14.
nu. 18. quam circa perſonam, cum ex fide in pro-
ceſſu regiſtrata appareat cum alias fuiſſe pro male-
15 ficio condemnatum, & cum (vt dictum eſt) † eius
depoſitio non concludat per neceſſe, *l. nam hoc*, *C.*
vnde legit. Barz. *deciſ. Bonon.* 84. *num.* 1. & Cornaz.
in d. deciſ. 13. *num.* 28.
16 Inſuper dicimus, quod † coniecturæ, & præſum-
ptiones tunc plenè probant in criminalibus, & ſuf
ficiunt ad condemnandum, quando in ſuo genere
plene, & perfectè eſſent probatæ, Ludou. *comm.*
Concluſ. concluſ. 45. *in fi. verſic. regulariter*, Maſcard.
concluſ. 1233. *num.* 31. *vol.* 3. Surd. *in conſil.* 132.
num. 58. *verſic. & ſicuti*, *vol.* 1. Farinac. *d. quaeſt.* 86.
num. 95. *vbi de communi*, *cum multis allegatis.* At in
hoc caſu de tali coniectura conſtat tantum ex dicto
primi teſtis, qui eſt vnicus, & patitur defectus ſu-
pradictos, igitur non poterant dici probatæ tales
coniecturæ, & talia indicia, vt erat neceſſe.

Non obſtant etiam ea, quæ vltimo loco dice-
bantur deſumpta ab Illuſtriſs. Card. Tuſco, quod
teſtes non repetiti probant in caſu neceſſitatis, quã
do

do fuit adhibita diligentia, nec fuit poſſibile teſtem reperiri pro eo repetendo, vt colligitur ex eodem Illuſtriſſimo Tuſco, *in d. concluſ. 163. num. 78. littera T. vlt. tomo, & concluſ. 19. littera N. nu. 15. & 26. tomo* 5. Nam dicitur, Illuſtriſs. Card. Tuſcum loqui in ciuilibus, in quibus ea procedunt, non autem in criminalibus, in quibus habemus cõmunes Doctor. opiniones, quæ ſupra adductę fuerunt, quod tales teſtes non probent. Et in præſenti caſu non poterat conſiderari caſus neceſſitatis, de quo loquitur Illuſtriſs. Cardin. Tuſcus; cum per alios teſtes potuerit hoc probari, ex quo fuit tale delictum commiſſum in platea publica, vbi aderant multi alij, qui hoc poterant teſtificari.

Duximus nihilominus dictum Dominicum eſſe
17 condemnandum † in pœnam pecuniariam tantum, propter indicia vrgentiſſima, & validiſſima, quæ contra eum vigebant, propter quæ eſt clarum in iure, poſſe inquiſitum condemnari in pœnam extraordinariam, & pecuniariam. Ioſeph. Ludou. *concl.* 45. *colum.* 4. vbi teſtatur de communi, Lepid. *deciſ.* 149. *ver. & ſatis in propoſito.* Ruin. *in conſil.* 10. *num.* 7. *lib.* 5. Farinac. *in Praxi, in tit. de reo confeſſo & conuicto, quæſt.* 86. *num.* 87.

ARGVMENTVM.

Dominium bonorum in diuiſione aſſignatorum quomodo probetur. Ratificatio quando ex curſu temporis etiam longiſſimi non præſumatur.

SVMMARIVM.

1 *Actor agens vigore inſtrumenti dicitur habere eius intentionem fundatam.*

2 *Ratificatio non ſolum verbis inducitur, ſed etiam facto.*

3 *Ratificatio ex curſu triginta annorum pręſumitur interueniſſe.*

4 *Titulus prior eſt attendendus cum traditione, nec eſt curandum de poſteriori.*

5 *Inſtrumentum diuiſionis probat dominium, & poſſeſſionem rerum diuiſarum, & in partem obuentarum.*

6 *Verba principaliter, & diſpoſitiuè prolata in diuiſione probant quoad omnes diuidentes.*

7 *Verba enunciatiua inter contrahentes etiam ad alium finem prolata, plene probant.*

8 *Bona minorum alienata ſine ſollemnitatibus requiſitis a* l. 3. C. de præd. minor. *poſſunt ab ipſis minoribus recuperari, etiam non reſtituto pretio.*

9 *Ratificatio non inducitur, niſi interueniat ſcientia vera contractus cum omnibus ſuis qualitatibus, quæ eſt probanda.*

10 *Ratificatio tacita requirit eaſdem ſollemnitates, quas expreſſa.*

11 *Referens plenè probat, quando eſt certum relatum.*

12 *Teſtes de auditu probant contra partem producentem plenè, etiam ſi nullum eſſet examen.*

13 *Contractus ſunt indiuidui, qui vel in totum valere, vel in totum corruere debent.*

DECISIO XII.

FVit appellatum ad Rotam per Dominum Hieronymum de Blãchis a ſententia Dom. Iudicis primarum inſtantiarum, ad fauorem Dominorum dę Dattis. In qua licet prima facie pronunciandum videretur ad fauorem dictorum de Dattis, prout pro-
1 nunciauerat Domin. Iudex a quo, eo quia ex † publico inſtrumento conſtabat Sp. Paulinum Manfredum tam nomine proprio, quam Cæſaris, & Manfredi eius fratrum vendidiſſe Sp. Petro Datto quamdã petiam terræ in Communi Curſanici ex quo videbatur ſatis doctum de eorumdem Dominorum de Dattis dominio, & vſucapiendi conditione, *§. per traditionem, Inſt. de rerum diuiſ. l. 1. cum toto tit. ff. de publicis in rem act.* Natta *in conſil.* 439. *num.* 9.

Secundò, quia non videbatur conſtare de identitate, immò apparere de diuerſitate terræ venditæ DD. de Dattis, a terra in emphyteuſim conceſſa prædictis de Curſanico, qua diuerſitate ſtante videbatur dicendum dictum de Manfredis tacitè ratificaſſe dictam venditionem, ex quo non fuit
2 contradictum; cum † ratificatio non ſolum verbis ſed facto ipſo inducatur, *l. Paulus reſpondit, ff. rem rat. hab.* Aret. *in conſil.* 128. *num.* 6. Menoch. *de recuper. poſſ. remed.* 15. *num.* 113. & 118. Immò, ſi ex-
3 preſſa † ratificatio fuiſſet neceſſaria ex curſu temporis triginta, & plurium annorum pręſumi videbatur talis ratificatio, ad tradita per Doct. *in l. ſciendum, de verbor. oblig.* Angel. *in l. qui aliena ff. de acq. hæred.* Dec. *in conſil.* 222. *num.* 6. Socin. iunior *in conſil.* 22. *num.* 12. & in terminis ratificationis Pau. de Caſtro, *in conſil.* 1. *lib.* 1. Maſcard. *de probationibus, concluſ.* 1261. *num.* 11. & Menoch. *de præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 132. *per totam.*

Tertiò dicebatur, quod etiamſi conſtitiſſet Spectab. Manfredum in ſua emphyteuſi comprehen-
4 diſſe dictam terram, tamen ſtante pari titulo, † attendendus eſt prior cum traditione, & non eſt curandum de poſteriori, *l. quoties, C. de rei vendic. l. ſi autem, §. ſi duobus, ff. de public.* Alex. *in conſil.* 14. *in fine, lib.* 1. Couar. *var. reſolut. lib.* 2. *cap.* 19. Gabriel. *Com. Concluſ. in tit. de empt. & vendit. concluſ.* 2. *num.* 1. & maximè concurrente prætenſa poſſeſſione dictorum de Dattis per tot annos dictæ terræ.

Prædictis tamen non obſtantibus, fuit per Rotam reuocata ſententia D. Iudicis a quo, & pronunciatum ad fauorem dd. fratrum de Curſanico, necnon & d. Blanchi. Quandoquidem de bono eorum iure conſtabat ex inſtrumentis productis, vbi apparebat dd. de Curſanico dictam terram in liuellum acquiſiuiſſe a Spect. Manfredo de Manfredis, qui erat verus dominus dictæ terræ, & aliarum in liuellum eiſdem conceſſarum, cum eas in diuiſione

inter

inter ipſos fratres facta in eiuſdem Manfredi portionem perueniſſe appareret: necnon ex inſtrumento diuiſionis inter eos factæ, quæ † inſtrumenta, & in ſpecie inſtrumentum diuiſionis optimè probant dominium, & poſſeſſionem rerum, & bonorum diuiſorum, & in partem obuentorum. Socin. *in conſil.46. lib.3.* Magonus *deciſ. Lucana 96.*
6 *num.6.* Et præſertim cum, ſint † verba principaliter prolata propter ſe, & diſpoſitiua in dicta diuiſione, quæ quoad omnes probant, *cap. ſi Papa, de priuileg. in 6.* Menoch. *in conſil.504.num.39.lib.6.*
7 Mandoſ. ad Roman. *in conſil.19. littera C.* Et † enunciatiua verba inter contrahentes habent plenum robur, etiam emiſſa propter aliud, Alexand. *in conſil.18. lib.5.* Pariſ. *in conſil.77.num.30. lib.3.* Aymo *de antiq. tempor. par.1.num.46.*

Nec obſtare viſa ſunt ea, quæ in contrarium adducebantur, quod ſcilicet Spectab. Petrus de Dattis, acquiſiuerit dictam terram a dicto Spect. Paulino Manfredo titulo emptionis, vt ex inſtrumento conſtare videbatur. Quando quidem viſum fuit prædictum inſtrumentum in præſenti caſu parum, aut nihil fore attendendum, cum talis venditio fuerit facta a dicto Paulino, non ſolum nomine proprio, ſed etiam vice, ac nomine Cæſaris & Manfredi eius fratrum minorum, pro quibus de rato promiſerat, & quod, cum primum eſſent effecti maiores, dictum inſtrumentum ratifirent. At tantum abeſt quod dicti fratres tale inſtrumentum ratificauerint, quod immò potius totum contrarium factum fuerit; ex quo dictus Manfredus prædictam terram in emphyteuſim poſt talem venditionem conceſſit dd. de Curſanico, ac etiam fuerit facta diuiſio inter dd. fratres, & aſſignata in portionem dicto Manfredo, vt ſupra dictum fuit. Immò, cum talis venditio fuerit facta de prædijs minorum, non concurrentibus requiſitis *a l.3. C. de præd. minor.* ac a ſtatutis Ciuitatis, videtur inualida facile dicenda, quo ca-
8 ſu † minor ſine ſolutione pretij poteſt bona eius ſic alienata vendicare, Maſcar. *Concluſ.1164.lib.3.* D. Andreas Fachineus celeberrimus Iuriſconſultus, conciuis meus, ac conſanguineus recolendæ memoriæ, *lib.2. ſuarum doctiſſimarum controuerſiarum iuris cap.46.* vbi Additionator, & Maſtril. *deciſ.13.num.20.*

Nec etiam obſtare viſum fuit, dum ex aduerſo dicebatur, per lapſum tanti temporis tacitè fuiſſe ratificatam talem venditionem per dictos fra-
9 tres: quia reſpondetur † ratificationem non induci, niſi data ſcientia vera contractus cum omnibus ſuis qualitatibus, quæ hic nullo modo apparebat, Aymo *in conſil.197. num.14.* Et debet legi tenor inſtrumenti, Natta *conſil.636. num.194.* Siluan. *in conſil.93. num.12.* Gabriel. *in conſil.36. nume. 60.* Oſaſch. *deciſ.119. nume.27.* Idem Dominus meus Fachineus, *in conſil.72.num.4. & 5.lib.1.*
10 Et † tacita ratificatio durante ætate minori dd. fratrum, non poterat induci, ex quo tacita requirit eaſdem ſollemnitates, quas expreſſa, Berous *in conſil.134. num.5. lib.1.* Surd. *in conſil.29. num. 121. lib.1.* Menoch. præceptor meus, *in conſil.404. num.13.* Poſt minorem verò ætatem conſtabat de alienatione in dd. de Curſanico, & ſic de contraria voluntate, & de diuiſione inter dictos facta, & de conſignatione dd. terræ in portionem dicti Manfredi, ex inſtrumento liuelli cum dd. de Curſanico, in quo fit mentio a Notario de tali diuiſione,
11 & cum † ſit certum relatum; referens plenè probat Oſaſch. *deciſ.23.num.41.* Tiraquel. *de leg. connub. gloſ.7. nu.182.* Dec. *in conſil.47. & 474.nu.5.* Cephal. *in conſil.16. num.32.*

De identitate verò plenè apparebat ex teſtibus
12 examinatis, † non ſolum pro dd. de Blanchis, verum etiam ex teſtibus partis aduerſæ, quorum vnica depoſitio plenè probat contra producentem, etiam de auditu, & etiam ſi examen eſſet nullum, Veral. *deciſ.268. par.3.* Farinac. *de teſtib. quæſt.62. num.226.* Viuius *deciſ.172.num.9.lib.1.*

Et ex prædictis remanebat ſublatum vltimum fundamentum de prioritate tituli cum traditione, *per l. quoties, C. de rei vendic.* & poſſeſſione prætenſa dictæ terræ, ſtante inualiditate ſupradictæ venditionis, quæ nec etiã pro parte dicti Manfredi poterat ſubſiſtere, reſpectu mixturæ, ac intereſſe mi-
13 norum; cum † contractus ſit indiuiduus, qui vel in totum valere, vel in totum corruere debet, *l. cum quæritur, de admin. tutor. l. ſi ita ſtipulatio, in fine, de oper. libert.* Surd. *deciſ.33. nume. 6. & deciſ.70. nume.7.*

ARGVMENTVM.

Delicta caſualiter commiſſa qua pœna ſint punienda.

SVMMARIVM.

1 *Delictum non eſt punibile vbi non adeſt dolus, nec animus offendendi.*
2 *In delictis animus, & voluntas, non autem exitus eſt attendendus.*
3 *De exitu autem quis tenetur, quando conſtat aliquẽ habuiſſe animum, & voluntatem offendendi.*
4 *Occidens aliquem caſualiter, & ſine dolo, ſed culpa tantum interueniente, pœna tantum extraordinaria eſt condemnandus.*
5 *Conſuetudo loci eſt attendenda in imponendis pœnis.*
6 *Iudex ex cauſa poteſt pœnas minuere, & commutare, prout ſibi videbitur, & hoc maximè in arbitrarijs.*
7 *Iudex in arbitrarijs redargui, & reprehendi non poteſt.*
8 *Pena banni dicitur pena corporalis.*
9 *Statuta ita ſemper ſunt intelligenda, ne inutilis, & ſuperflua eorum diſpoſitio reddatur.*
10 *Quando cauſa agitur cum fiſco, reus eſt abſoluendus ab expenſis, quia fiſcus, nec ſoluit, nec repetit expenſas.*

DE-

DECISIO XIII.

NImis rigoroſa nobis viſa fuit ſententia D. Prætoris Lucenſis, per quam fuit condemnatus Vincentius Spinetus ſutor in pœnam exilij per annos octo; eo quia projjciendo quaſdam forfices ſutorias animo offendendi quemdam Ioan. Baptiſtam piſtorem, cum quo verbis altercabatur, & ipſe Io. Baptiſta euadens ictum, caſu cum dicta forfice fuit percuſſus quidã iuuenis, nomine Sebaſtianus Bellius, qui ante apothecam d. Vincentij ſtabat, ex quo vulnere d. Sebaſtianus breui temporis interuallo obijt.

Quandoquidem pro comperto habuimus, in ta
1 li † delicto non adfuiſſe animum, nec occidendi, nec aliquo modo offendendi ſupradictum Sebaſtianum, & per conſequens non adeſſe dolum, quibus ceſſantibus delictum non committitur, neque punitur, *l. quod Reipublicæ, ff. de iniur. l. 1. §. Diuus*
2 *Adrianus, ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* cum in † delictis attendatur animus, & voluntas, non autem exitus, & veritas, vt dicit tex. *in l. Diuus Adrianus, ff. ad leg. Cornel. de ſicar. l. ſi quis ſeruo, C. de furt.* Tiraquel. *de pœn. cauſa* 52. *num.* 2. Anton. Gomez. *de delict. tomo* 3. *cap.* 3. *tit. de homicid. num.* 15.

Cum tamen negari non poſſit, quin d. Vincen-
3 tius † habuerit animum offendendi d. Ioan. Baptiſtam ex tali proiectione d. forficis, viſum fuit ipſum teneri de omni exitu, & euentu, Bartol. *in d. l. Diuus Adrianus, num.* 1. *ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* Tiraquel. *de reuocand. donat. in verſicu. reuertatur, num.* 353. Farinac. *de reo confeſſo & conuicto, quæſt.* 87. *num.* 8. & ſic de delicto in perſonam d. Sebaſtiani commiſſo, quod puniri debeat, in quo cum tantummodo culpa adfuerit, non autem dolus, & talis culpa fuerit per nos iudicata non leuis; ex quo ante d. apothecam aderant multi qui ad d. rixam verboſam cucurrerant, vnde d. Vincentius debebat facilè credere poſſe aliquem ex aſtantibus of-
4 fendere ex tali proiectione. Propterea † cenſuimus fore puniendum in pœnam banni per quinquennium tantum, prout fuit comprobatum factum Ignatij Proconſulis à Diuo Adriano, qui pro huiuſcemodi delicto culpoſo quemdam in quinquennium relegauit, vt refert Vlpianus *in l. lege Cornelia, la 2. ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* ſequitur Cepol. *in conſil.* 41. *num.* 9. & Farinac. *de pœn. temper. quæſt.* 87. *num.* 73. Magonus *deciſ. Lucana* 36. *num.* 2. idem Farinac. *in titul. de homicid. quæſtio.* 126. *num.* 44. ſiue in pęnam carceris per ſpatium vnius anni; quia quotidie in hac ciuitate practicatur, & per decreta excellentiſſimi Conſilij ſeruatur, quod pœna exilij, & pœna carceris inſimul concurrãt, & datur electio condemnato, vel in bannum, vel in carcerem ire, per illud tempus, quod fuerit de-
5 terminatum. Et † in pœnis imponendis Iudex debet ſeruare loci conſuetudinem, *l. ſi quis reus, ff. de cuſtod. reor.* Farinac. *de delict. & pœn. quæſt.* 17. *nume.* 18. Vnde pro indubitato habuimus, in hoc nos non poſſe errare ſequentes veſtigia ſapientiſſimi, ac iuſtiſſimi Senatus. Et in iure ſatis clarum
6 eſt, † Iudicem poſſe ex cauſa pœnas minuere, & commutare; prout ſibi iuſtum videbitur, Dec. *in cap. cauſis, num.* 18. *de offic. delegat.* communem affirmat Viuius, *lib.* 1. *comm. opin. opin.* 165. Alex. *in conſil.* 122. *num.* 2. *lib.* 5. *& conſil.* 79. *num.* 4. *eod. lib. vbi de magis communi teſtatur*, Paulus Granut. *Theorem.* 17. *num.* 6. Farinac. *de delict. & pœnis, quæſt.* 17. *nu.* 14. & maximè quando ſumus in his, quæ pendent ex arbitrio iudicis (prout in præſenti
7 caſu) quia † Iudex in arbitrarijs reprehendi, ac redargui non poteſt, Bart. *in l.* 1. *in fine, ff. de leg.* 2. Calcan. *conſ.* 38. *num.* 8. Iaſ. *in l. ſi ſic legatum, num.* 5. *de leg.* 1. Paris de Puteo, *de Syndicatu, tit. de pot. iud. num.* 1. cum alijs relatis a Farinac. *de delict. & pęn. quæſtio.* 17. *num.* 25. Menoch. *de arbitr. quæſt.* 70. *num.* 7. & hoc videtur abſque vlla dubitatione procedere ſtante diſpoſitione ſtatuti *in cap.* 23. *lib.* 5. vbi apertè diſponitur, quod Iudex appellationis poſſit reformare, corrigere, emendare, ſupplere, & nullam, vel aliquam declarare, prout iuſtum fuerit, pro vtraque parte primam ſententiam.

Nec obſtare viſa ſunt ea, quæ pro parte fiſci dicebantur, nempè, quod ab huiuſcemodi pęna banni non detur appellatio ex diſpoſitione ſtatuti *lib.* 5. *cap.* 5. *in princ.* vbi quod a ſententijs corporalibus in cauſis criminalibus nõ poſſit appellari ſancitum
8 eſt. At † pœna banni eſt corporalis, Clar. *in praxi, §. final. quæſt.* 84. *in princ.* Farinac. *de pęn. temper. quæſt.* 87. *num.* 73. & idem Farinac. *de delict. & pœn. quæſt.* 18. *vbi de communi teſtatur*. Magon. *deciſ. Lucana*, 36. *num.* 24. Boſſius *de carcerat. fideiuſſ. num.* 7.

Quia dicitur prædictum ſtatutum non habere locum in ſententijs banni generaliter conſideratis, ſed quando tales ſententiæ fuerunt contra contumaces latæ, vt patet ex verſic. ſubſequenti, [item à bannis] &c. necnon *ex cap.* 55. *lib.* 4. Quod ſtatutum ſi ita generaliter intelligeretur, vt comprehenderet ſententias banni quaſcumque, vtique eſſet ſuperfluum, dum poſtea diſponit circa ſententias bannorum. Et diſpoſitio d. verſicul. [item a bannis] eſſet prorſus fruſtratoria, quod non eſt di-
9 cendum; cum † ſtatuta ſemper ita ſint intelligenda, ne inutilis & ſuperflua eorum diſpoſitio reddatur, Roland. *in conſil.* 61. *num.* 14. *vol.* 3. Crauet. *in conſil.* 84. *num.* 2. Pariſ. *in conſil.* 66. *num.* 9. *vol.* 2. Barzius, *deciſ. Bonon.* 26. *num.* 24. & ita quotidie ſeruatur, vt patet *ex deciſ. Lucana Magonij* 24. *& deciſ.* 36. *& alijs*; ex quibus conſtat à talibus ſententijs dari appellationem.

Fuit d. Vincentius abſolutus ab expenſis, quia
10 agebatur cum fiſco, qui † nec ſoluit, nec repetit expenſas, Lepid. *deciſ. Lucana*, 26. *in fine.*

ARGVMENTVM.

Qui vult vti aliqua diſpoſitione, debet adimplere omnia in ea contẽta.

Vel

Vel ſaltem oſtendere, quod per eum non ſtetit, quin adimpleuerit adimplenda.

SVMMARIVM.

1 *Laudum quod tranſitum fecit in iudicatum debet omninò exequutioni demandari.*

2 *Exequutio laudi, ſeu ſententiæ non eſt concedenda, niſi petens talem exequutionem pro parte ſua adimpleuerit omnia pro ſui parte adimplenda.*

3 *Fruſtra petit, qui quod debet, non adimpleuit.*

4 *Fallit quando per eum non ſtetit, quia fieret adimplementum, quia tunc habetur ac ſi adimpleuiſſet adimplenda.*

DECISIO XIV.

HAbuit recurſum ad Rotam Dom. Liuia de Camagliano à quadam ſententia D. Iudicis primarum inſtantiarum, in qua ei detegatur exequutio cuiuſdam laudi contra Paulum eius priuignum, quam exequutionem duximus omninò concedendum: eo
1 quia ſupradicta Liuia habebat † laudum ad eius fauorem, quod tranſitum fecerat in iudicatum, cui erat danda exequutio, ſiue inſpecto iure municipali, ſiue iure ciuili, namque ita diſponitur per capit. Rotæ 55. & per ſtat. *lib. 1. cap. 111.* Et ſecuudum iura communia, per text. *in l. ſi ſe non obtulit, §. ſi ex conuentione, ff. de re iudic.* Bartol. *in l. minor 25. annis cui fideicommiſſum, num. 1. ff. de minor. cum vulgarib.*

Nec obſtare viſum fuit, dum ex aduerſo dice-
2 batur, quod ex quo d. Liuia † pro ſui parte non adimpleuit adimplenda, hoc eſt non fecerit inuentarium, nec præſtiterit fideiuſſionem (prout tenebatur ex forma d. Laudi) non poterat etiam pete-
3 re, & obtinere eius exequutionem, fruſtra † enim petit, qui quod debet non adimpleuit, *cap. fruſtra, de regul. iur. in 6.* Brun. *conſil. 48. col. 1. verſic. ſecundo moueor*, gloſ. *in l. ſi non fuerit, ff. de iure iur. & in l. ſi emptione, §. item ſi emptori, ff. de actione empt.* Alex. *conſil. 49. col. 2. lib. 2.* Crauet. *in conſil. 151. num. 10.* Nam dicitur non ſtetiſſe per d. Liuiam, quin hoc adimpleuerit, cum in proceſſu pluries obtulerit ſe paratam adimplere adimplenda per eam, quatenus per d. Paulum fuiſſet ei data notula bonorum mobilium, & immobilium hæreditatis paternæ, ſine qua erat ſibi impoſſibile conficere inuentarium, & ſatiſdare, & quæ bona erant penes dictum Paulum, quod cum non fuerit factũ per ipſum Paulum, non poterat talis negligentia, ſeu (vt argui poterat) malatia ipſius nocere d. Liuiæ, cum ea, quæ ſupra dicta ſunt de adimplemen-
4 to, non habeant locum † quando non ſtetit per adimplere debentem, quin fieret adimplementum, quia tunc habetur pro adimpleto, Simon de Pret. *in conſil. 28. num. 7. & conſil. 159. num. 2.* per regulam *l. iure ciuili, ff. de condit. & demonſtr. & l. qui operas, ff. locati*, Ludou. *Comm. Concluſ. concluſ. 14. illatione 94. limit. 2.*

ARGVMENTVM.

Priuilegia competentia vni ex correis, quando ad alios extẽdantur.

SVMMARIVM.

1 *Scriptum pro recognito habitum etiam in contumaciam, habet exequutionem paratam.*

2 *Exceptiones competentes vni ex correis, competunt etiam alijs, quando exceptiones ſunt reales.*

3 *Fallit quando tales exceptiones et priuilegia eſſent perſonalia, quia non excedunt perſonam priuilegiatam.*

4 *Priuilegia extenduntur de vna perſona ad aliam, quando bona ſunt communia, quia priuilegium reale bona complectitur.*

5 *In expenſis condemnandus eſt, quando quis iuſtam cauſam appellandi non habet.*

DECISIO XV.

SPectabilis Petrus Rapõdus habuit recurſum ad Rotam a pronuncia Do. Iudicis primarum inſtantiarum, in qua concelſerat exequutionem perſonalem contra eum vigore ſcripti priuati pro recognito habiti in contumaciam. Et talis recurſus fuerat interpoſitus ab exceſſu, nouoque grauamine ad formam cap. Rotæ 52. At cum nihil fuerit probatum de tali exceſſu, & grauamine, immò cum de bono iure Dom. Flaminij Caſſanei actoris nobis conſtiterit, merito fuit confirmata ſententia Dom. Iudicis à quo. Namque de credito d. Fla-
1 minij conſtabat ex † ſcripto in cõtumaciam pro recognito habito, quod plenam probationem facit, vt per ſtat. *cap. 97. lib. 1.* & mereri exequutionem, tradit Magon. *deciſ. Lucana 15. num. 30. & per totam*, & cautum eſt per decretum Excell. Conſilij.

Nec obſtare viſum fuit, quod in eadem obligatione eſſet comprehenſus Spectab. Iusfredus eius pater, qui tempore relaxatæ exequutionis erat cõſtitutus in ſuprema dignitate Vexilliferatus Excellentiſs. Reipublicæ, qui erat in eodem chirographo inſimul obligatus cum d. Petro, & propterea dicebatur eius priuilegium competere conſocio in dicta obligatione; & quemadmodum dictus Dom. Iusfredus non poterat propter talem dignitatem nec conueniri, nec capi, ſic nec etiam d. Spect. Petrus, vt per Marſil. *in ſingul. 180. num. 3.*
2 cum † exceptio competens vni ex correis, competat etiam alteri, *l. omnes exceptiones, ff. de except.* Alex. *in conſil. 149. lib. 2.*

Quoniam dicitur, quod cum dictum priuilegium ſit perſonale, *l. pars litterarum, ff. de iudic.* Alexand. *in conſil. 86. num. 1. lib. 1.* Dec. *in l. in omnibus,*

uibus, num.3.ff.de reg.iur. Non poterat extendi ad
3 perſonam d. Petri, nec ei prodeſſe; cum † perſo-
nam ipſam priuilegiatam non egrediatur, *l. priui-
legia, & l.in omnibus cauſis, vbi Dec.de reg.iur.l.1.
ff.de mand. Princ.& in cap.priuilegium, de reg. iur.
in 6.* Surd. *in conſil.127.nu.67.lib.1.* Roland.*conſ.
61.num.10.lib.4.*

Et exceptiones, quæ competunt vni ex correis;
competere etiam alteri, intelligendum eſt, quando
exceptiones ſunt reales, vel rei cohærentes, non au
tem perſonales, vt expreſsè declaratur *in l. exce-
ptiones, la 2.ff.de except.& in l. & hæredi, §. vlt.ff.
de pact.* Dinus, *in c.priuilegium, num.3. de reg.iur.
in 6.* Marſil. *in rubr.de fideiuſſor.num.267,* Aretin.
in conſil.33. nume. 2. & 3. & Barz. *decis. 78. per
totam.*

Ad authoritatem Marſil. *in d. Singul.* 180. re-
ſpondetur, loqui Marſilium de immunitate pro-
pter numerum liberorum, quæ dicitur maximè fa
uorabilis, & cum a lege concedatur, potius dici-
tur beneficium, quam priuilegium, & ideo exten
ditur, & non reſtringitur, vt latè probat Surdus
in decis.123. per totam.

4 Vlterius extenſionem † fieri de priuilegio ad ſo
cium, dicitur, quando bona ſunt communia, quia
priuilegium reale bona complectitur, vt decla-
rat Alex, *in conſil.122.num.17.ubi adden.li.4.* Sur.
in conſil.525.lib.4. Odd.*de reſtit.in integr.quæſt.50.
num.8.* & Roland.*d.conſil.61.num.11.*

Nec viſum fuit condẽnandum fore dictum Pe-
trum in pœnam quarti pluris, vt pars aduerſa pe-
tebat, allegans *d.cap.Rotæ 53. in fine, in verſic. de-
beant etiam.* Quia dictum capitulum loquitur,
quando fuerit recurſum a pronuncia de præcepto,
ſine termino exequendo affirmatiua tãtum, in quo
caſu nos modo non verſamur. Sed fuit tantummo
5 do † condemnatus in expenſis, cum iuſtam cauſam
recurrendi non habuerit, *ad text.in l.eum qui teme
re, ff.de iud.l.properandum, §.ſin autem alterutra, C.
de iudic.* vbi Doct. Et præſertim in cauſa appella-
tionis. Aſin *in praxi in §.32.cap.2.ampliat.6.decis.
Toloſ.222.* Mynſing. *Obſer.89.centur.2.* Magon.
decis. Lucana, 59.in fi.

ARGVMENTVM.

Fundans ius ſuum in inſtrumento in-
ueſtituræ, ſibi ab aliquo conceſſæ,
debet plenè probare de iure inue-
ſtientis, maximè quando agitur rei
vendicatione.

SVMMARIVM.

1 *Fundans ius ſuum ſuper inueſtitura, tenetur docere de iure & dominio inueſtientis.*

2 *Dominium, vbi principaliter in iudicio deducitur, debet concludenter probari, nec ſufficiunt præſumptiones ex inſtrumentis, & poſſeſſione prouenientes.*

3 *Immò nec per plura inſtrumenta dominium probatur inueſtientis.*

4 *Aſſertio procuratoris quod habeat mandatum in cauſa non ſufficit.*

5 *Iuri ſuo quilibet renunciare poteſt.*

DECISIO XVI.

PRocurator Dominæ Magdalenæ
Iacomini, appellauit ad Rotam à
ſententia Dom. Iudicis primarum
inſtantiarum, lata ad fauorem quo
rundam fratrum de Maſſa Maci-
naria, quæ ſententia fuit per nos
reuocata. Eo quia, prædicti fratres actores non
probauerint, quæ pro eorum parte erant proban-
da, & præcipuè de dominio, & iure eorum, a qui-
bus ipſi cauſam habere prætendebant. Eſt enim
1 in iure ſatis clara Concluſio, quod † quando aliquis
fundat ius ſuum in inueſtitura ſibi ab aliquo con-
ceſſa (in quibus terminis verſabamur) debet plenè
probare de iure inueſtientis, maximè quando agi-
tur (prout hic agebatur) rei vendicatione, alias non
poteſt obtinere, vt voluit Caſtr. *in conſil. 133. Iſte
Martinus, in princip.lib.2.* & Crauet. *in conſil. 124.
numer.11.* Natta, *in conſil.456. numer. 1.* Aluarot.
de emphyt.quæſt.9.num.10. Purpurat. *in conſil.455.
num.38.*

Neque obſtare viſum fuit inſtrumentum em-
phyteuticæ conceſſionis, ſuper quo erat fundata in-
tentio dictorum actorum, & probatum de iure ip-
ſorum, maximè ſtante prætenſa poſſeſſione per eos
2 per plures annos continuata. Quia † quotieſcum-
que dominium per viam petitionis principaliter in
iudicio deducitur (vt hic factum fuerat) tunc de
dominio eſt plenè, & concludenter probandum,
nec ſufficit illa probatio præſumpta ex inſtrumen-
to, vel poſſeſſione oriens, *l.in rem, ff.de rei vendicat.*
Bartol.*in l.quidam in ſuo, num.4.ff.de cond.inſt.* Ripa,
in cap.ſæpè, nu.60.de reſtit.ſpol. Socin. *in conſil.266.
num.10.lib.2.* Bellamera, *in conſil.41.num.10.* Ro-
land.*conſil.46.nu.21.in 3.*

3 Immò, nec † etiam per plura inſtrumenta pro-
batur dominium concedentis, Crauet. *in d.conſilio
124. numero 10.* Purpurat. *dicto conſil. 455. num.4.*
Rolan.*in conſil.46.nu.22.lib.3.& num.25.* Alexan.
in conſil.10.num.3.lib.4.

Et eo magis hoc erat dicendum in caſu iſto, ex
quo procurator non docuit de aliquo legitimo man
dato ad concedendum talem inueſtituram ab eo
4 conceſſam, prout erat neceſſe. Nec † ſufficiebat
eius aſſertio, & allegatio duorũ inſtrumẽtorum ad
probandũ tale mandatũ, quę numquam fuerũt ex-
hibita, talem enim ſolam aſſertionem non probare
talem facultatem, clari iuris eſt, Anton.de Butr. *in
cap.illud, de præſumpt.* Bald. *in l.ad probationem, in
fine, C. locat.* Alexand.*in conſil.136.Viſo & exami-
nato, numer.11.lib.1.l.fin.ff.de interrog. action.* Idem
Alexand. *in conſilio 202.ſuper cauſa, colum.3. num.
3.lib.2.* Dec.*in conſil.539.In inclita Ciuitate Ianuæ,
in princip.*

Nec etiam obſtabat nullitas oppoſita talis ap-
pella-

pellationis,ex quo in termino citationis ad reſpon-
dendum libello nullus comparuit, quo caſu ex di-
ſpoſitione ſtatuti *lib.1.cap.16.colum.finali*, libellus
remanſerat circumductus. Sigiſmund. Scaccia *de
iudic.lib.1.cap.91*. Tum quia per proceſſum ad vlte
riora in cauſa tacitè fuit renunciatum tali nullita-
5 ti, cum † quilibet poſſit iuri ſuo renunciare, *l.in
conſcribendo,cum ibi not.C.de pact.* Tum etiam,quia
talis nullitas non poterat amplius probari,cum ela-
pſi eſſent decem dies vtiles poſt publicatum pro-
ceſſum dati ad concludendũ in cauſa per *capitulum
Rotæ 47*. Et in termino prædicto cum non fuerint
producti dies vtiles, nec amplius produci poſſent
per d.cap.47.non poterat cognoſci, an in termino
eſſet facta comparitio, necne, & ſic, an libellus eſ-
ſet circumductus. Vnde talis nullitas, tamquam
non probata, non debuit haberi in aliqua conſi-
deratione.

ARGVMENTVM.

Vxor mortuo eius viro pro conſequu-tione dotium ſuarum quomodo agere debeat.

SVMMARIVM.

1 *Agens vigore inſtrumenti dicitur habere intentionem probatam,& exequutionem paratam.*
2 *Mulier pro ſuis dotibus non poteſt agere contra tertios poſſeſſores,niſi excuſſis bonis mariti.*
3 *Inſtrumentum locationis, item fructuum perceptio probant optimè poſſeſſionem.*
4 *Mulier mortuo eius viro poteſt retinere illius bona, quæ prius eo viuente iure familiaritatis poſſidebat, pro reſtitutione ſuarum dotium.*
5 *Quod procedit in bonis proprijs mariti, non autem in his, quæ alieno nomine poſſidebat.*
6 *Et hoc eſt verum etiam ſi mulier prætenderet ignorantiam.*
7 *Tertius comparens in iudicio dicitur verus actor.*

DECISIO XVII.

DOmina Magdalena Nucorini mediante eius procuratore fecit recurſum ad Rotam occaſione ſententiæ contra eam latæ per Dominum Iudicem Ordinarium, ad fauorem Dom. Iuniperæ de Benedictis. Quæ ſententia fuit per nos confirmata. Et hoc, quia de bono iure dictæ Dom. Iuniperæ uiſum fuit conſtare ex inſtrumento, ex quo apparebat,quod ager, de quo controuertebatur,fuerat ab eadem Dom. Iunipera emptus a Paſquino Nucorino marito dictæ Magdalenæ, cum pacto recomperæ, & locationis, & quod eidem fuerat locatus pro annis nouem, ex quo de eius dominio, & poſ-
ſeſſione plene conſtare dicendum erat, & apparebat ex teſtibus examinatis quod d. Paſquinus dum
vixit ſoluit affictus d. terræ eidem Dom. Iuniperæ,
1 quod † inſtrumentum plenè probabat eius intentio
nem, & habebat exequutionem paratam, vt per
ſtat. *lib.1.cap.111.& cap.122*. Necnon & de iure
communi, vt per Angel. *in l. intereſt, in vlt. notab.
C.de ſolut.* Maſcard. *de probat. concluſ. 906. num.1.
volum.2.* Roland. *in conſil.40.num.8.lib.2.* Surd. *in
conſil.224.num.2.* Barzius, *deciſ.20.num.7.& deciſ.
27.num.14.& deciſ.40.num.2.*

Nec obſtare viſum fuit, quod dicta Magdalena tamquam vxor d. Paſquini prætenderet habere potiora iura ſuper dicta terra ratione ſuarum dotium, & ad hoc exhibebat inſtrumentum ſolutionis earumdem de ſumma ſcutorum trecentum. Dicitur enim

Primò, quod erat neceſſe pro parte eiuſdem
Magdalenæ prius excuti bona mariti, ad hoc vt
haberent locum prætenſa per eam aduerſus tertios
poſſeſſores. Eſt enim veriſſima in iure concluſio,
2 quod † mulier non poteſt agere contra tertios poſ-
ſeſſores pro ſuis dotibus, niſi excuſſo prius marito,
ſiue excuſſis eius bonis, Bart.& Doctor. *in l.ſi con-
ſtante,in 2.quæſtio.3.quæſt.princip. ff.ſolut.matrim.*
Campeg. *in tractat. de dote, quæſt.15*. Et hanc eſſe
communem opinionem refert Bal. Nouel. *in tract.
de dote,in 8.parte,quæſt.penult.*& de magis commu
ni teſtatur Neguſant. aſſerens in iudicando ſequen
dam eſſe *in tractat.de pignor.in 2.par. in 4. membro,
num.61.& in 8.parte,num.23.* Eamdem ſententiam
vti communem ſequitur Crauet. *in conſil. 263. co-
lum.3.*& alij, quos ipſe allegat,& Roland. *in conſil.
9.num.5.lib.1.* Et hoc eo magis erat dicendum, eo
quia ex proceſſu, & teſtibus examinatis videbatur
conſtare adeſſe bona mariti, ex quibus poterat de
ſuis dotibus ſatisfieri. Alexan. *in conſil.10.num.12.
vol.2.*& Doctor. *in l.fin.ff.ſi cert.petat.*

Accedat quod ex actis Mag.Officij ſuper viduis,
& pupillis, necnon ex primo teſte examinato ap-
parebat,quod poſt mortem viri D.Iunipera rece-
pit affictus d. terræ, & ex alijs teſtibus, ac inſtru-
mentis conſtabat, quod ipſa verè tenebat & poſſi-
3 debat d. terram, & non d. Magdalena, cum † in-
ſtrumentum locationis, & fructuum perceptio,
probent hoc clarè, Benintend. *deciſ.12.in fine*, A-
lex.& Doctor. *in l.ſi colonus, §. ſi conductor,ff.de ac-
4 quiren. poſſeſſ.* Vnde ſequitur, quod licet † mulier
mortuo viro poſſit retinere bona illius, quæ prius
eo viuente iure familiaritatis poſſidebat, pro reſti-
tutione ſuarum dotium, Bartol. *in l.ſi filio, la pri-
ma, ff.ſoluto matrim.* Dec. *in conſil.232.*Bald.No-
uel. *in tractat. de dote, parte 8. priuileg.6.limit.13.
num.20.* Roland. *in conſil.77. num. 27. lib. 1.* Hoc
5 tamen † tamen non procedit in bonis, quæ alieno
nomine detinebâtur, Ruin. *in conſil.51.nu.4.lib.4.*
6 Burſat. *in conſil. 9. num. 4.* & hoc † etiamſi mulier
prætenderet ignorantiam, quod ad alium ſpecta-
rent,ſecundum Ruin. *in d.conſ.51.num.6.*Borgnin.
de vſufruct. mulieri relicto, num. 202. & alios quos
allegat, & ſequitur Magon. *in deciſ. Lucana 64.
num.3.cum ſequent.*

Vltimo loco etiam videbatur obſtare, quod d. Magdalena non poſſet conſequi petita, quia non

ſoluit

ſoluit datium prout requirebatur ex diſpoſitione ſtatuti, *lib. 1. cap. 23. verſic. nono.* Et licet ipſa comparuerit tamquam tertia pro ſuo intereſſe, attamē
7 de iure † tertius comparens in iudicio, etiam dicitur verus actor, Neuizan. *in conſil. 20. num. 34. in fine*, latè Didac. *pract. quæſt. cap. 13. in princip. & cap. 14. 15. & 16.* Afflict. *deciſ. 235. num. 6.* Benintend. *deciſ. 65. num. 5.* & ſic tenebatur ſoluere datium, &c.

ARGVMENTVM.

Beneficium appellationis non datur confitenti debitum.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſus non appellat.*
2 *Reſponſio ſimpliciter facta, & non qualificata refertur ſemper ad præcedentem interrogationem, & ab ea declaratur.*
3 *Contumaciæ pœna eſt debiti confeſſio.*
4 *Ex confeſſione iudiciali notorium inducitur.*
5 *Appellatio in notorijs non eſt admittenda.*
6 *Non debet is audiri contra id, quod ſponte confeſſus eſt.*
7 *Hæres tenetur ex confeſſione defuncti.*
8 *Defunctus, qui agnouit debitum, videtur ſe cōſtituiſſe ſoluturum.*
9 *Contumax per fictionem dicitur confiteri debitum.*

DECISIO XVIII.

Appellauit ad Rotam Do. Lucia de Galantibus, a ſententia Do. Iudicis ordinarij ad fauorem Spectab. Thomæ Nardutij prolata. Et fuit per nos pronūciatum non eſſe deferendum tali appellationi. Moti

Primò, ex vulgari, & communiter recepta ſen-
1 tentia, quæ habet, † confeſſum in ciuilibus non admitti ad appellandum, *cap. cum ſpeciali, §. porro, de appell. & ibi Abb. & Doctor. communiter in cap. Romana, §. ſin autem, vbi Ioan. Andr. Dom. & Franc. de appellat. in 6.* Capella Toloſana & ibi Aufrer. *num. 176.* Didac. *pract. quæſt. cap. 23. num. 5. verſic. ſecunda concluſio*, vbi de communi fidem facit Bredor. *de appell. par. 1. tit. 13. in verſic. ex confeſſione*, qui etiam teſtatur de conſuetudine ita ſeruari.

Quod autem Blaſius pater d. Luciæ confeſſus fuerit ſe eſſe debitorem d. Spect. Thomæ de ſumma petita apertè colligebatur ex eius comparitione, in qua habita notitia de quodam actu facto eius nomine à quodam prætenſo eius procuratore, ſe opponente petitis per d. Spec. Thomam, in actis dixit d. comparitionem non fuiſſe factam de eius voluntate, & ratam non habuiſſe, nec velle habere, & talem comparentem non habere aliquod mandatum ab eo, aſſerens eſſe, & eſſe velle contumacem, & nolle litem habere cum d. Spect. Thoma eius domino, de eo quod ipſi debet. Ex quibus verbis manifeſtè colligebatur ipſum Blaſium fateri ſe eſſe debitorem d. Thomæ, & licet non exprimeret de quanta ſumma, nihilominus fateri dicen-
2 dum erat de ſumma petita; cum † reſponſio ſimpliciter facta, & non qualificata, ſemper referatur ad præcedentem interrogationem, & ab ea declaretur, *§. præterea, Inſtit. de inutil. ſtipul.* Alex. *in conſil. 75. num. 11. lib. 5.* Socin. *in conſil. 16. num. 55. lib. 4.* Ruin. *in conſil. 169. num. 6. lib. 4.* Beccius *in conſil. 55. num. 5.* & ſic ad petitionem factam.

Secundò, ex eiuſdem dicto, dum aſſeruit ſe velle eſſe contumacem, colligitur ſe velle ſupponere
3 pœnæ † contumaciæ, quæ eſt debiti confeſſio, & ſe velle haberi pro confeſſo. Cum igitur præfatus Blaſius & fictè, & verè, tacitè, & explicitè confeſ-
4 ſus ſit tale debitum, † ex qua confeſſione iudiciali notorium inducitur, *cap. Piſanis*, & ibi Butr. & Aretin. *de reſtit. ſpoliat. cap. fin. in fine, extra, de cohabit. cleric. & mulier.* Bald. *in l. 2. in fine, C. de re*
5 *iud.* Ideò merito reiecta fuit præſens † appellatio, cum in notorijs non ſit admittenda, *c. cum ſit Romana, cap. conſuluit, & cap. peruenit, vbi Doctor. de appell.* Clar. *in praxi, §. fin. quæſt. 9. verſic. Secundus eſt caſus*, Marſil. *in repetit. l. 1. verſic. item no-*
6 *toriè criminoſus, C. de rapt. virgin.* Et † cum non debeat quis audiri contra id quod ſponte confeſſus eſt, *cap. per tuas, extra de probat. l. generaliter, C. de non numer. pecun.*

Quod autem de perſona d. Blaſij iam defuncti dictum eſt, dicitur etiam locum habere in eius hæ-
7 redibus, tum, quia † hæres obligatur ex confeſſione defuncti, Bald. *in l. 1. col. penult. verſic. de vno quæro, C. ne ex delict. defunct.* cum vna eademq; perſona cum defuncto cenſeatur, *§. 1. in Auth. de iureiuran. a morien. præſt. l. hæredem*, vbi Dec. & Cagno.
8 *ff. de reg. iur.* Tum, quia † defunctus, qui agnouit ſe debitorem, videtur ſe etiam conſtituiſſe ſoluturū, & quia agebatur de exoneratione conſcientiæ defuncti Roman. *in conſil. 149. num. 4. & conſil. 201. num. 5.* Capic. *deciſ. 4. num. 12. & 13.*

Et quod hæres appellare non poſſit ſi contra eū agatur de confeſſione defuncti, in terminis Abbas determinat poſt alios quos refert, *in c. cum ſpeciali, §. porrò*, vbi etiam Imo. & Doct. *nu. 23. ext. de app.*

Nec obſtat dum ex aduerſo dicebatur, non poſſe conſiderari aliquam contumaciam in d. Blaſio, nec poſſe dici contumacem, ex quo re uera comparuit, & protulit verba de quibus ſupra, &c. Quia dicitur plus operari illa verba dum dixit ſe velle eſſe contumacem, quam contumacia ob non com-
9 paritionē, † per quam tantummodo quis tacitè efficitur contumax, & confeſſus ſummæ petitæ. At per iſtā explicitè dicitur confeſſus, & ſe ſuppoſuit voluntariè pœnis contumaciū, vt ſ. dictū fuit, &c.

ARGVMENTVM.

Onera realia quomodo rei adhereāt, & tranſeant in quēcūque poſſeſſorē.

SVMMARIVM.

1 *Onus appoſitum rei ſemper concomitatur rem ipſam ad quemcumque tranſeat poſſeſſorem.*
2 *Præſcriptio non currit, quando quis iure familiaritatis, & amicitiæ vtitur aliqua re.*
3 *Præſcriptio non currit, vbi adeſt mala fides.*
4 *Mala fides authoris nocet ſucceſſoribus in præſcribendo.*
5 *Venditor tenetur de euictione rei venditæ quandocumque.*
6 *Quem de euictione tenet actio, eumdem agentem repellit exceptio.*
7 *Legatarius in re legata hæres eſſe de iure dicitur.*
8 *Nemo plus iuris in alium transferre poteſt, quam ipſe habeat.*
9 *Condictio in rem ſcriptam, ſequitur rem ipſam.*
10 *Onus impoſitum perſonę pro rebus, ſequitur illum ad quem res tranſit.*
11 *Obligatio perſonalis non afficit ſingularẽ ſucceſſorẽ.*

DECISIO XIX.

DOmina Iulia Fagnina appellauit ad Rotã occaſione ſententiæ contra eam prolatæ a Do. Iudice primarum inſtantiarum, ad fauorem Excel. Phyſici D. Marci Antonij Menochij. Quam ſententiam Rota confirmauit, eo quia ſupradictus Do. M. Antonius ex inſtrumentis in actis productis adeo viſum fuit habere eius intentionem fundatam, vt minime ei officere poſſent ea, quæ in contrarium deducebantur. Namque ex inſtrumento apparebat fuiſſe alienatam domum, in qua aderat feneſtra, de cuius clauſura, ſeu craticulatione nunc agebatur a Reuer. D. Dominico Menochio tam pro ſe, & omni ſuo iure, ac intereſſe, quam vice, & nomine Franciſci eius patris, & Dom. Marci Antonij eius nepotis, Spect. Thomeo Barilio cum pacto expreſſo, & conuento inter partes, quod d. Thomeus teneretur (prout promiſit) facere omninò claudere feneſtram prædictam, illamq; nullo vmquam tempore perpetuo aperire, cui oneri ipſe Thomeus dictam domum ſuppoſuit, atque ſubmiſit, ita vt in quemcumque ipſa tranſiret quomodocumque, ſemper cum dicto onere tranſire deberet, aliter dictus Dominicus ad talem aſſignationem non deueniſſet, vt latius habetur in prædicto inſtrumento, quod poſtea fuit ratificatum per d. Dom. Marcum Antonium, & Franciſcum. Ex quo apparebat, quod onus, & obligatio prædicta claudendi dictam feneſtram, tranſiueret in quemcumque ſucceſſorem cum ipſamet domo;
1 cum tale onus † eſſet appoſitum rei, & non perſonæ, & cum ipſa re ſemper verſaretur, ex traditis per Cępol. *de ſeruit. vrban. præd. cap. 2. num. 13. necnon in cap. 62. de feneſtra, num. 2.* & in his terminis Bald. *in l. fin. quæſt. 5. de contrahen. empt.* quem refert Afflict. *in deciſ. 282. num. 2.* Et talis res ad quemcumque vadit, ſemper tranſit cum ſuo onere, *l. traditio, ff. de acquir. rerum domin. l. alienatio, ff. de contrahen. empt. l. ſi prædium, C. de euictio. l. ſi conuenerit, §. ſi fundus, ff. de pignor. action. l. ſi debitorem, C. de diſtrac. pign. cum non ſit, de decimis, c. ex litteris, de pignoribus.*

Poſt nonnullos deinde annos hæc eadem domus mortuo d. Thomeo cum perueniſſet ad Gaſparem eius filium, ac hæredem, ab eo fuit vendita Leonardo Andreotto, cum quo conuenit vt ipſe Leonardus teneretur d. feneſtram claudere, & qui Andreottus d. domum D. Iuliæ actrici legauit, cuius legati vigore ipſa modo domum iſtam detinebat, ac poſſidebat.

Nec obſtare viſa ſunt ea, quæ pro parte d. D. Iuliæ deducebãtur, quod ſcilicet adeſſet præſcriptio quinquaginta ferè annorum, per quod ſpatium tẽporis habitatores d. domus habuerunt vſum d. feneſtræ pro haurienda aqua ex puteo communi. Quia ex teſtibus examinatis erat probatum, talem vſum fuiſſe conceſſum, ac permiſſum ipſis habita-
2 toribus iure † familiaritatis, ac amicitiæ, ex quo clarum eſt in iure, nullum ius oriri ad præſcribendum, vulgata *l. qui iure familiaritatis, vbi Doctor. ff. de acqui. poſſ.* Berous *in conſil. 58. num. 9. lib. 3.*

Ex ijſdem etiam teſtibus habebatur habitatores eiuſdem domus habuiſſe, notitiam, ac ſcientiã talis obligationis claudendi feneſtram, & in ſpe-
3 cie prædictam Iuliam, & ſic adeſſe † malam fidẽ in ipſis poſſidentibus, & inhabitantibus domum hanc, quę impedit pręſcriptionem omni tempore, *c. finali, de præſcr. c. poſſeſſor, de reg. iur. in 6.* Crauet.
4 *in conſil. 146. num. 1. & 6.* Et † mala fides authoris in tali caſu nocet etiam ſucceſſoribus, Roman. *in conſil. 201. num. 7. in fine.* Crauet. *in conſil. 146. num. 7.* Gabriel. *de præſcript. concluſ. 1. num. 57. cum alijs per eum allegatis.*

Sicuti etiam minimè obſtare viſum fuit dum dicebatur, quod ex quo d. D. Marcus Antonius extitit fideiuſſor, quando Gaſpar Barilius vendidit d. domum Leonardo, tamquam liberam, & non alicui oneri reali ſubiectam, & pro illius manutentione, & euictione fideiuſſor exſtitit, & principaliter ſe obligauit, ſequitur, quod quemadmodum ſi iſta domus ſub prætextu talis ſeruitutis realis ab aliquo moleſtaretur, ipſe Dom. Marcus Antonius teneretur eam defendere, & liberare vigore d. pro-
5 miſſionis, † vt per Cornaz. *deciſ. 109. per totam,* Surd. *deciſ. 165. num. 6. & 11. & in conſil. 525. num. 21.* Laderch. Excellentiſs. *in conſil. 130. num. 1. cum ſeq.* & Surd. *in conſil. 13. num. 29.* Dec. *in conſil. 483. num. 18.* Fabian. de Monte, *de empt. & vendit. quæſt. 6. princ. num. 64.* Beccius *in conſil. 106. num. 18.* Ita dum ipſemet infert moleſtiam, vtique
6 venit repellendus, per regulam, † quem de euictione tenet actio, eumdem agentem repellit exceptio, *l. vindicantem, ff. de euiction. l. exceptio, vbi Gloſ. C. eod.*

Nam dicitur, quod cum d. Iulia ſit legataria ip-
7 ſius Leonardi de hac domo, & † de iure legatarius in re legata dicatur hæres, *l. id tempus, §. vnico, ff. de vſucap.* Iaſ. *in l. ſi hæredis ſeruus, num. 10. ff. de leg. 1.* Bald. *in l. inſtrumenta, num. 3. C. de fideicommiſ.*

Bart.

Bart. *in l.in conuentionalibus, ff. de verb.ſign.* tam-
quam hæres in dicto domo tenebatur etiam ad pa
cta, & promiſſiones, quaſcumque circa ipſam do-
mum factas a Leonardo; & ſicuti ipſe Leonardus
non habebat ius vtendi tali feneſtra, ſed tenebatur
eam claudere, ita quoque eius legataria non pote-
8 rat habere plus iuris, quam ipſe teſtator; cum † ne
mo plus iuris in alium transferre poſſit, quam ipſe
habeat, *l. nemo plus, ff. de reg. iur. l. alienatio. ff. de
contrab. empt. l. traditio, ff. de acquir. rerum domin.*
Cephal. *in conſil.4. nume.* 10. Socin. iun. *conſil.97.
num.69.vol.2.*

Accedat, quia ad hoc vt dici poſſet fuiſſe re-
nunciatum per D. Marcum Antonium primæ o-
bligationi de claudendo feneſtram, erat neceſſe
hoc ex aliquo apparere; ſed non ſolum hoc non ap
parebat, ſed potius totum contrarium, ex quo
in vltimo inſtrumento, in quo exſtitit fideiuſſor
Dom. Marcus Antonius, fuit renouatum pactum
de craticulando dictam feneſtram, & ſic quoad
talem craticulationem in aliquo non erat obliga-
tus, tamquam fideiuſſor, cum de hoc non fideiuſ-
ſerit, & talis renouatio obligationis de craticu-
lando, cum eſſet correſpectiua ad primam obliga
tionem realem, necnon ad diſpoſitionem ſtatuti
in capit. 129. lib. 2. per quod imponitur obligatio
9 realis; ex quo † condictio quæ ex eo reſultat eſt in
rem ſcripta actio, & ſequitur ipſam rem, iuxta
tradita per Tiraq. *de retractu conſanguin. §. octauo,
Gloſ.5. num.8.* cum alijs, &c. Vtique eſt cenſenda
quoque iſta noua obligatio eiuſdem, & non diuer-
ſæ naturæ, cum reſpiciat principaliter rem ipſam,
l. iuriſgentium, §. pactorum, ff. de pact. & ſine ipſa
re adimpleri non poſſit. Vltra quod etiam de iure
10 communi † onus impoſitum perſonæ pro rebus,
ſequitur illum ad quem res tranſit. Anto. de Butr.
in conſil.60. num.1. Et contrahentes cenſentur ſi-
biipſis velle minus præiudicare, quam fieri poſſit,
ad tradita per Doct. *in l. quidquid adſtringendæ, ff. de
verb. oblig.*

Et ex his etiam videtur ſatisfactum, dum dice-
batur ex inſtrumento vltimo loco celebrato non
eſſe inductam ſeruitutem aliquam in re ipſa, ſed
11 ſolum reſultare † obligationem perſonalem, quæ
non afficit ſingularem ſucceſſorem, *l. 1. §. ſi hæ-
res, ff. ad Trebell.* Cephal. *in conſil.352. nume.23.*
Bart. *in l.3. §. opus, ff. de alien. mutan. iud. cau. fact.*
Cepol. *de ſeruit. vrban. præd. capit.2. nume. 6.* Iaſ.
in l. finali, num.4. ff. de noui oper. nunciat. Aretin. *in
conſil.25. num.3. & conſil.70. num.2.* Surdus *in con
ſil.17. num.10. & deciſ.236. nu.8.* Nam, dato, non
autem conceſſo, per ſupradicta, quod obligatio
oriens ex dicto inſtrumento vltimo, eſſet perſona-
lis, concurrunt tamen in tali obligatione craticu-
landi, & realis, & perſonalis obligatio; cum pri-
mæ reali obligationi non fuerit renunciatum, ſed
potius de nouo per ſecundam renouata ſit. Vnde
non poterat negari quin ſemper vigeat realis obli-
gatio. Et ex alijs ſuperius adductis, &c.

ARGVMENTVM.

Mulier quando obligetur ſine ſollem
nitatibus requiſitis.

SVMMARIVM.

1 *Locupletari nemo debet cum alterius iactura.*
2 *Emptor de iure tenetur ſoluere pretium rei emptæ.*
3 *Sententia nulla ex defectu iuriſdictionis poteſt per
iudicem appellationis confirmari, ſi ſuper meritis
foueat bonum ius.*
4 *Vxor ſine conſenſu viri non poteſt ad aliquid ſe obli-
gare, neque contrahere.*
5 *Hoc tamen non procedit, quando ex tali contractu
eſſet effecta locupletior.*

DECISIO XX.

Domina Angiola de Andriettis ap-
pellauit ad Rotam a ſententia D.
Prætoris Lucenſis lata ad fauorē
Dominicę Vendugliolæ, quæ ſen
tentia fuit per nos confirmata, cū
conſtaret tam per teſtes examina-
tos, quam per confeſſionem d. Angiolæ in contu-
maciam, eo quia non reſpōdendo poſitionibus fue
runt declaratæ haberi debere pro confeſſis, ipſam
habuiſſe quædam monilia aurea pro pretio ſcuto-
torum quadragintaquattuor a d. Dominica, & ea
dem monilia vendidiſſe, ſeu diſtraxiſſe, & eorum
pretium in vſus proprios conuertiſſe. Quocirca
omnis æquitas poſtulabat, quod ipſa teneretur ſol
1 uere pretium eorumdem, ne alias † locupletare-
tur cum aliena iactura, contra tex. *in l. nam hoc na-
tura, ff. de condict. indeb. c. locupletari, de reg. iur. in 6.*
2 Et † de iure emptor tenetur ad ſoluendum pre-
tium rei emptæ, *§.1. Inſtit. de empt. & vend.* Ma-
gon. *deciſ. Lucana 17. num.28. & num.33.*

Nec obſtare credidimus, dum ex aduerſo dice-
batur, primò de nullitate ſententiæ prædictæ, ob
defectum iuriſdictionis, ex quo ſupponebatur Do.
Prætorem non eſſe Iudicem competentem, cum
eius iuriſdictio verſetur tantum circa cauſas crimi
nales, *per cap. Rota* 10. non autem in ciuilibus, in
quibus verſabamur. Quia quidquid ſit de hoc, cū
cōſtaret nobis de bono iure in meritis d. Domini-
3 cæ licuit nobis talem † ſententiam, licet nullam ex
tali defectu iuriſdictionis confirmare, vt per Alex.
in conſ.111. per totum, lib.5. cum multis allegatis,
& per Vant. *de null. ex defectu proceſſ. nu.8. & tit. ſi.
fol. pe. nu.132.* & Granut. de magis communi atte-
ſtantem *Theor.17. ante nu.3.* vbi ēt multos allegat.

Secundò, nec etiam obſtare viſum fuit ſtatutū,
4 quod † mulier non poſſit ſe obligare ſine conſenſu
viri, *in c.39. lib.2.* & per Surd. *dec.164. nu.6.* ita de
iure communi idem eſſe teſtantem.

5 Quia eius † diſpoſitio non habet locum quando
mulier eſſet facta locupletior (prout erat in caſu
iſto) eſſet enim iniquū quod ipſa potiretur rebus,

ſeu pecunijs ex ipſis retractis, & non ſolueret pretium, vt tradunt Alexand. *in l. more, col. 2. de acqui. hæred. & in l. mutuum, ff. eod.* quem refert Granuc. *theor. 25. limit. 14.* & in terminis Lamberteng. *de contract. mulier. gloſ. 24. nume. 1. & ſeq.* Roman. *in conſil. 316. & conſil. 453.* vbi latè addentes, &c.

ARGVMENTVM.

Quidquid fuerit attentatum pendente appellatione, tam in ciuilibus, quam in criminalibus cauſis eſt reuocandum.

SVMMARIVM.

1 *Conſuetudo cenſenda eſt tamquam altera lex.*
2 *Male captus debet ſtatim, & abſque impenſa relaxari.*
3 *Birruarij ſine licentia in ſcriptis nullũ capere poſſunt.*
4 *Pendente appellatione nihil eſt innouandum.*
5 *Quod procedit non ſolum in ciuilibus, ſed etiam in criminalibus cauſis.*
6 *Appellatio operatur ſuſpenſionem iuriſdictionis Iudicis a quo; ita vt in cauſa vlterius non poſſit procedere, & ſi procedat proceſſus redditur nullus.*
7 *Per appellationem ſententia ita remanet exſtincta vt nullum poſſit effectum operari.*
8 *Pendente appellatione ſententia criminalis non poteſt exequutioni demandari.*

DECISIO XXI.

QVidam Puluerarius fuerat de mandato D. Prætoris carceratus tamquam fideiuſſor cuiuſdam Saluatoris Molendinarij condemnati in pęnam ſcutorum ſexaginta, eò quia vendiderat frumentum contra diſpoſitionem decretorum Excellentiſs. Conſilij; & inſtante d. Puluerario excarcerari, Rota pronunciauit fore excarcerandum firma remanente fideiuſſione. Et hoc quia per decretum Excellent. Conſilij, ac inueteratam conſuetudinem ſemper in hac ciuitate fuit obſeruatum, quod fideiuſſiones in criminalibus, niſi fuerint ad archiuium tranſmiſſæ, non poſſint exequutioni demandari, cum
1 debeant mandata ex archiuio extrahi, quæ† conſuetudo cum ſit in viridi obſeruantia, cenſenda eſt tamquam altera lex, *Inſtit. de iure natur. gent. & ciuil. §. ſine ſcripto*, & Bald. appellat eam legem tacitam, quia omnes virtutes legis habet, *in l. de quibus, ff. de legib. l. legis virtus, ff. eod. cap. conſuetudo, 1. diſtinct.* & conſuetudo ſeruanda eſt, *l. minimè, & l. de quibus, de legib. l. ſemper in ſtipulationibus, ff. de regul. iur. leg. 1. C. quæ ſit longa conſuet. & cap. licet ex ſcripto, de foro competen. Clement. Dudum, de ſepult.* At cum fuerit captus dictus Puluerarius antequã dicta fideiuſſio fuerit ad archiuium tranſmiſſa, fuit declarata nulla talis captura.

Secundo, quia birruarij, qui illum ceperunt, nõ habebant aliquod mandatum (quod conſtaret) de capiendo, cum deberet capi ex archiuio tale mandatum, vbi nondum erat talis fideiuſſor deſcriptus, & per conſequens non poterat haberi mandatum aliquod. Sed habemus claras iuris conclu-
2 ſiones, quod† de facto & non ritè captus debet ſtatim, & abſque impenſa de facto relaxari, *l. finali, §. nullo, de libero homine exhib.* Paris de Puteo *de Syndicatu, in verbo, captura, capitu. 3. incipiente, Captus illicitè, num. 1. & in verſic. carcer, cap. 2. num. 8.* Angel. *de malefic. in verbo, quod fama publica, nume. 9.* & multi alij, quos refert, & ſequitur Farinac. *de carcer. & carcerat. quæſt. 27. num. 146.* Et cla-
3 rum eſt in iure, quod † birruarij non poſſunt aliquem capere ſine Iudicis licentia, & in ſcriptis. Farinac. *d. quæſt. 27. num. 8.* per text. *in l. neminem, C. de exhib. reis, & in quæſt. 32. num. 31.* Quam tenentur oſtendere illi, contra quem volunt eam exequutioni demandare, *l. prohibitum, C. de iure fiſci*, Farinac. ibidem, ex quo etiam veniebat relaxandus dictus carceratus.

Tertiò, cum penderet appellatio principalis debitoris coram Rota, non erat ipſe fideiuſſor moleſtandus, & detinendus in carceribus, & ſic videatur attentatum, & ſecũdum regulam communem attentata appellatione pendente veniunt reuocan
4 da, cum † appellatione pendente nihil ſit innouandum. Dec. *conſil. 97. num. 1. lib. 1.* Lancellot. *de*
5 *attent. appell. pend. in præfat. num. 77.* & in † condemnato criminaliter (prout in hoc caſu) quod non poſſit contra eum procedi appellatione pendente, not. latè idem Lancellot. *ibidem, num. 89.*
6 Necnon quia† talis appellatio operatur ſuſpenſionem iuriſdictionis Iudicis a quo, ita vt non poſſit vlterius procedere in cauſa, & ſi procedat, proceſſus eſt nullus, Lancellot. *ibidem num. 109.* & effectus talis ſuſpenſionis non ſolum operatur circa principales, verum etiam reſpectu tertij. Lancel-
7 lot. *vbi ſupra, num. 111.* Et † ſententia ita per appellationem cenſetur exſtincta, vt nullum operetur effectum, vt *ibidem* Lancell. *num. 117.*

Et ex hoc etiam tollitur dum pro parte fiſci dicebatur, quod dato quod iſte fuiſſet malè carceratus, cum tamen conſtaret, quod eſſet tamquam fideiuſſor condemnatus, non videbatur relaxandus; quia malè captus benè detinetur, quoties conſtat de iuſta cauſa detentionis, iuxta vulgaria.

Quia dicitur, quod cum principalis appellauerit, & modo à Rota declarari debeat, an ſit locus appellationi, non poteſt dici benè detentus, donec hoc fuerit per Rotam declaratum; quę procedunt non ſolum in criminalibus, verum etiam in ciuili-
8 bus, & propterea † pendente appellatione, ſententia criminalis non poteſt exequutioni demandari, ſicuti nec ciuilis. Lancell. *de attent. vbi ſupra in 4. ampliat. num. 1.* Et ad prædicta facit doctrina Bal. *in l. ambiguitates, C. de teſtament. ordin. num. 3.* & Ioan. Baptiſta Cauat. *in tractat. de homicid. & alijs crimin. excuſan. conſil. 1. num. 23.*

ARGV-

ARGVMENTVM.

Agẽs Saluiano interdicto quę debeat ſeruare; & an excuſſio principalis debitoris requiratur.

SVMMARIVM.

1 *Saluiano interdicto ad hoc vt locus ſit, duo ſunt per actorem probanda, poſſeſſio debitoris tempore contractus, vel hypothecæ, ſeu poſt, & poſſeſſio rei conuenti tempore iudicij moti, & num. 3. 4. & 5.*

2 *Libelli verba oſtendunt quæ actio ſit intentata.*

6 *Probatio nulla eſt maior quam proprij oris confeſſio.*

7 *Inſtrumenta & ſententiæ inducunt probationem claram, & veritatem manifeſtam.*

8 *Saluiano interdicto vtili contra tertios poſſeſſores agi non poteſt, niſi excuſſo principali debitore, ſecundum vnam opinionem.*

9 *Contraria tamen opinio eſt magis communis.*

10 *Interdicta omnia poſſeſſoria ſunt ſummaria & in eis ſummariè eſt procedendum.*

11 *Excuſſio non datur vbi ſummariè agitur.*

12 *Excuſſio non eſt neceſſaria vbi conſtat de notoria paupertate debitoris principalis.*

13 *Paupertas probatur quando teſtes deponũt aliquem non eſſe ſoluendo.*

14 *Excuſſio non requiritur vbi conſtat debitorem latitare.*

15 *Sententia abſolutoria ab obſeruatione iudicij ſaluo iure melius agendi, non eſt merè diffinitiua, ſed interloquutoria habens vim diffinitiuæ.*

16 *Cauſa appellationis eſt eiuſdem naturæ & effectus cuius eſt cauſa principalis, ſeu prima. & num. 17.*

18 *Iudex appellationis poteſt confirmare ſeu reformare primam ſententiam nullam ex lapſu inſtantiæ, ſi in reliquis foueat iuſtitiam.*

19 *Lapſus inſtantiæ, quando procurator pluries inſtetit pro expeditione cauſæ, non nocet.*

20 *Mulier eſt in integrum reſtituenda aduerſus lapſum inſtantiæ.*

21 *Abſoluendi ſunt rei ab expenſis, quando primam ſententiam reportauerunt ad eorum fauorem.*

DECISIO XXII.

Illuſtris admodum & veneranda D. Siluia Lilia de Bedinis medio eius ꝓcuratore appellauit ad Rotam a ſententia contra eam prolata per D. Iudicem primarum inſtantiarum ad fauorem nonnullorum de Brenis; & fuit pronunciatum per Rotam bene appellatum, & malè iudicatum: Et hoc quia
1 ad effectum vt quis poſſit obtinere in iudicio† Saluiani interdicti (quod in hac cauſa erat intẽtatum) duo ſunt ante omnia probanda. Primum eſt poſſeſſio debitoris tempore contractus, ſeu hypothecæ, vel poſt. Alterum poſſeſſio rei conuenti tempore moti iudicij, quibus probatis, actor obtinere debet, aliàs ſecus. Neguſant. *de pignor. par. 8. memb. 3. num. 10. & memb. 1. num. 6. & 7.* At cum d. D. Siluia agat tali remedio, vt patet ex verbis in con-
2 cluſione libelli appoſitis, ex † quibus percipitur qua actione agatur, Becc. *in conſil. 89. num. 1.* Bart. *in l. certi condictio, ff. ſi cert. petat. in princip.* Alex. *in conſil. 121. Viſo proceſſu, col. 1. lib. 1.* Et appareret hæc probaſſe, merito erat ad eius fauorem pronunciandum.

Nam quoad primum extremum, quod ſcilicet
3 agens † teneatur probare poſſeſſionem ſui debitoris tempore contractus, vel poſt, voluerunt Bart. *in l. 1. ff. de Saluiano interd. num. 3. & in l rem alienam, num. 5. in fine, ff. de pignor. action.* Aret. *in §. item Seruiana, num. 9. Inſtit. de action.* Afflict. *deciſ. 383. num. 2.* Theſſaur. *deciſ. 175. num. 2.* teſtans de communi, Surd. *deciſ. 140. num. 4.* Menoch. *de adipiſcen. poſſeſſ. remed. 3. num. 101.* Rota Romana *deciſ. 444. num... parte 1. in nouiſſim.* Et hoc viſum fuit fuiſſe probatum per d. D. Siluiam, ex quo ex teſtibus in proceſſu examinatis conſtabat Bartho-
4 lomęum Lottinum principalem debitorem † poſt contractam d. obligationem, bona, de quibus agitur, poſſediſſe, quod ſufficere videtur, vt tradit Roland. *in conſil. 14. num. 13. lib. 1.* Natta *in conſil. 617. num. 11. & 12.* Borgnin. latè *in deciſ. 27. num. 2. verſic. & intentans, lib. 2.*

Quo verò ad ſecundum extremum, quod Ber-
5 nardinus Brenus, ac eius filij tempore motæ † litis tenerent, ac poſſiderent bona, de quorum poſſeſſione nunc agitur, quod etiam erat probandum, vt per Bart. *in l. rem alienam, num. 5. ff. de pignor.* Socin. ſen. *in conſil. 112. num. 6. lib. 4.* Satis fuit probatum in proceſſu, dum procurator dd. de Brenis fatetur poſſediſſe ſuos principales bona, de quibus agitur, & habere facultatem ea dimittendi, ac re-
6 laxandi in caſu legitimæ euictionis, & ſic ex † propria confeſſione partis, cuius nulla maior exſtat probatio, Riminal. iunior, *in conſil. 125. lib. 2. & 570. num. 10. & ſequen. lib. 5.* Rota Romana *in nouiſſim. deciſ. 98. par. 2.* Ludou. *deciſ. Lucenſ. 5. num. 5.* Decian. *reſponſo 40. num. 44. lib. 4.* Hondedeus *in conſil. 83. num. 73. lib. 1.*

De credito autem d. D. Siluiæ, & iuribus ſuper
7 bonis petitis optimè conſtabat ex proceſſu, & † ſententijs ad eius fauorem latis, quæ in iudicatum tranſitum fecerant, necnon & ex inſtrumentis exhibitis (quæ omnia) clari iuris eſt, inducere probationem probatam, & veritatem manifeſtã, Bar. *in l. pupillus, C. de oper. publ.* & Dec. *in conſil. 682.*

Nec obſtare viſa ſunt ea, quæ in contrarium deducebantur, &

Primo dum dicebatur, non potuiſſe agere d. D.
8 Siluiam † vtili Saluiano interdicto contra tertios poſſeſſores, non facta prius excuſſione principalis debitoris, ſicuti agebat, vt videtur voluiſſe, Becc. *in conſil. 89. num. 7.* Theſſaur. *deciſ. Pedem. 52. num. 6. & deciſ. 175. num. 5.* Dec. *in l. fin. num. 22. ff. ſi cert. pet.* Rota Ianu. *deciſ. 90. num. 10.* Oſaſch. *deciſ. Pedem. 2. num. 11.* Natta *in conſ. 521. lib. 3.* Bertrand. *in conſ. 113. num. 7. lib. 3. & alij multi.*
9 Quia dicitur † contrariam ſententiam, quod ta-

lis excuſſio non ſit neceſſaria, magis communem &
receptam videri, & in praxi ſeruari, cum in iudicio
Saluiani interdicti non admittantur illæ exceptio-
nes, quę requirunt altiorem indaginem, cum merè
poſſeſſorium ſit, Menoch. de adipiſc. poſſeß. remed. 4.
num. 18. & de recuper. poſſeß. remed. 14. numer. 38. &
num. 33. Ripa, in rubr. ff. de pignor. num. 19. & alij re-
lati per Menoch. in alleg. locis, Rota Romana, in
nouiſſim. diuerſor. deciſ. 34. num. 23. par. 2. Ac etiam
30 quia † omnia interdicta poſſeſſoria dicuntur ſum-
maria, & in eis ſummariè eſt procedendum Gloſſ.
in l. 3. § ſciendum, in verſiculo ſummatim, ff. ad exhib.
31 Oſaſch. deciſ. 1. num. 5. Sed vbi † ſummariè agitur
ceſſat exceptio excuſſionis Soc. ſen. in conſil. 14. co-
lum. vltim. lib. 1. Theſſaur. deciſ. 52. num. 1. & 2. atte-
ſtans de magis communi opinione, quam ſequuti
ſunt innumeri, & in ſpecie Socin. ſen. author huius
opinionis, in conſil. 80. numero 2. lib. 3. Crauet. conſil.
201. num. 44. Roland. in conſil. 9. nume. 39. & conſil.
14. lib. 1. Surd. deciſ. 32. num. 14. atteſtans de com-
muni, & alij, quos refert, & ſequitur nouiſſimè
Bartholom. Scappuc. Rauennatenſis, in ſuo tracta-
tu de Saluiano interdict. quæſt. 18. num. 7. affirmans
ab hac opinione hodie canonizata in ſcholis & fo-
ro in iudicando, & conſulendo non eſſe receden-
dum; quam etiam nouiſſimè communi obſeruan-
tia receptam eſſe teſtatur Stephan. Gratian. de-
ciſ. Marchiæ 25. num. vltim. & magis communem
atque æquiorem dicit idem Gratian. deciſ. 15. num.
8. & etiam ita in hac Rota ſæpius fuiſſe iudicatum
comperimus.

32 Accedat, quod cum dictus Bartholomæus † ob
notoriam paupertatem eſſet effectus non ſoluen-
do, vt fuit per teſtes probatum, hoc caſu non erat
neceſſaria excuſſio, Gloſſ. Bartol. & alij, in l. finali,
ff. ſi cert. petat. Purpurat. in l. de conditione, numer. 55.
C. de pact. Angel. in Auth. Hoc ſi debitor, C. de pignor.
Anan. in conſil. 52. in fine, verſic. ſecundo poteſt re-
ſponderi. Marian. Socin. in conſil. 24. Grat. conſilio
43. volum. 2. Grammat. conſil. 34. in fine. Barzius de-
ciſ. Bonon. 20. num. 38. Capic. deciſ. 54. in fine, Veral.
deciſ. 273. num. 10. par. 2. Grat. in conſil. 63. num. 43.
lib. 2. Borgnin. deciſ. 27. num. 4. Angel. in Auth. Hoc
33 ſi debitor, C. de pignor. Et † paupertas dicitur proba
ta, quando teſtes deponunt aliquem non eſſe ſol-
uendo, vt in hoc caſu, iuxta doctrinam Pauli de Ca
ſtro, in conſil. 41. in fine, libro 1. & per Iaſonem in §.
item ſi quis, Inſtitu. de action. numer. 74. Et eſt inanis
actio, quam inopia debitoris excludit, l. naturalis,
ff. de dolo.

34 Non erat † etiam neceſſaria talis excuſſio, quia
ex teſtibus examinatis apparebat dictus Bartholo-
mæum latitare, quo caſu excuſſio nón requiritur,
Guid. Pap. deciſ. 570. Gabriel. concluſ. 1. num. 47.
titul. de fideiuſſ. & ſufficit probare paupertatem
præſumptiuè tantum, & non notoriè, Grat. in
conſ. 62. colum. fin. volum. 2. Neguſ. de pignor. part. 1.
in 8. membro, num. 37. & 38.

Secundò, dicebatur pro parte dd. de Brenis, inſtã
tiam præſentis cauſæ fuiſſe elapſam, ſicuti etiam di
cebatur perempta inſtãtia primi iudicij; nam cum
35 † ſententia primi Iudicis eſſet abſolutoria ab obſer
uatione iudicij, ſaluo iure melius agendi, non dici-
tur talis ſententia merè diffinitiua, ſed interloquu-
toria habens vim diffinitiuæ, Honded. in conſil. 21.
num. 7. lib. 1. Borgnin. deciſ. 7. numer. 2. Marañta, in
Speculo, par. 5. principali, num. 50. Berous, in conſilio
101. num. 10. cum ſeq. lib. 3. Vnde inſtantia cauſæ e-
rat quindecim dierum vtilium, vt per cap. Rotæ 52.
quos fuiſſe elapſos ex calculo ipſo prætendebatur.
Quia dicitur quoad inſtantiam præſentis iudicij
appellationis ex calculo ipſo apparere adhuc dura-
re, prout per nos fuit pronunciatum diebus præte-
ritis calculatis calculandis, maximè cum debuiſ-
ſent addi inſtantiæ dies octo, quibus fuit per binas
vices diſputatum ſuper admiſſione capitulorum
ex diſpoſitione capit. Rotæ 35. Necnon dies tres pro-
pter oppoſitionem factam de lapſu inſtantiæ, iuxta
capit. Rotæ 54. Et hoc, quatenus inſtantia eſſet tan-
tummodo dierum quindecim ad formam capituli
Rotæ 52.

Prætendebatur etiam pro parte dictæ Dom. Sil
uiæ, inſtantiam eſſe dierum triginta, iuxta cap. Ro-
tæ 51. quia ſententia prima erat lata in cauſa ordi
naria; cum in ea fuerit per viam ordinariam pro-
36 ceſſum, vt ex actis apparebat, & † cauſa appella tio
nis eſt eiuſdem naturæ, & eodem modo regulari de
bet, prout cauſa prima vel principalis, vt tenet An-
gel. per illum textum, in l. 1. ff. an per aliq. cauſ. appel.
re. poſſ. dicens, quod vbi cauſa principalis eſt ſum-
maria, ſic erit cauſa appellationis, & econtra: quia
eiuſdem naturæ cenſetur cauſa appellationis, cuius
eſt ipſa cauſa principalis, Gloſſ. in capit. illud, 12. di-
ſtinct. Bald. in ſua Margharita, in verſic. appellatio,
verſic. antepenult. Innocent. in cap. vt ſpeciale, de ap-
pellat. idem Bald. in l. in hoc iudicio, ff. famil. erciſcun.
37 vbi inquit, quod † appellatio non mutat naturam
cauſæ principalis, Imola, in l. 1. §. libelli, colum. pe-
nultim. ff. de appellat. Alexand. in conſil. 66. volum. 2.
Iacob. Aemilian. in conſil. 68. numer. 4. 5. & 6. & ita
fuiſſe aliàs declaratum in hac Rota apparebat ex
deciſionibus manuſcriptis.

Quo verò ad inſtantiam primi iudicij, non vide
batur curandum; quia quatenus etiam pronuncia
Dom. Iudicis a quo, eſſet nulla ob lapſum inſtantię;
38 Attamen clarum eſt in iure, quod Iudex † appella-
tionis poteſt confirmare, ſeu reformare ſententiam
primi Iudicis, licet nullam ex tali defectu, conſti-
to de bono iure ſuper meritis, & quod ita veniret
pronunciandum, Magon. deciſ. 25. num. 45. & deciſ.
92. num. 33. In Lucanis. Alexand. in conſil. 112. Viſo
themate, lib. 5. vbi de communi teſtatur, Borgnin.
deciſ. 25. num. 18. Bartol. in l. ſi vt proponis, la prima,
C. quomod. & quand. iudic. Alexand. in conſil. 67. circa
finem, & conſil. 73. num. 11. & conſil. 181. numer. 15.
lib. 6. Gramuc. theorem. 17. num. 1. Ruginel. de appell.
§. 11. Gloſſ. 1. cap. 1. num. 35. At cum clara videren-
tur iura dictæ Dominæ Siluiæ, vtique ad eius fauo
rem erat pronunciandum, omiſſa huiuſcemodi dif-
ficultate. Cephal. in conſil. 223. num. 22. vbi multos
allegat, Vantius, de nullitat. quib. mod. ſent. null. re-
par. poſſ. num. 129. Accedat etiam, quod per dictam
Domin. Siluiam fuit petita reſtitutio in integrum,
quatenus inſtantia fuiſſet lapſa, & eidem fuit con-

ceſſa

ceſſa per Dominum Iudicem, & eius pronuncia transiuerat in iudicatum, quod facere vtique d. D.
19 Iudex debuit, ex quo quatenus fuiſſet † lapſa, non euenerat culpa ipſius, cum pluries eius procurator inſteterit pro ſentẽtia, & proteſtatus fuerit de lapſu inſtantiæ vt dicit Abbas, *in cap. Venerabilis, numero 9. verſic. ſi verò impedimentum, ext. de iudic.* vbi
20 de communi teſtatur. Et † tanto magis in caſu noſtro cum ſimus in muliere vt de communi teſtatur Ioan. de Amic. *in conſil. 6. numer. 22.* Roman. *in l. 2. numer. 44. ff. de re iudic. verſic. puto tamen.* Berous, *in cap. cum ſit Romana, numero 50. de appell.* quem refert & ſequitur Oddus *de reſt. in integ. quæſt. 71. art. 6. num. 92.*

21 Abſoluimus † dd. de Brenis ab expenſis præſentis iudicij, cum haberent primam ſententiam ad eorum fauorem, quo caſu veniebant abſoluendi, Gloſſ. & Doctor. *in l. generaliter, §. ſed iuramento, C. de reb. credit.* Lepid. *deciſio. 35. in fine, & deciſ. 38. & 131.* &c.

ARGVMENTVM.

Emphyteuta ceſſans in ſolutione canonis, quomodo, & quando cadat à iure ſuo.

SVMMARIVM.

1 *Emphyteuta non ſoluens canonem debito tempore, cadit a iure ſuo, etiam ſi deficiat in vno nummo.*

2 *Et hoc multo magis vbi adeſt clauſula, ſi fuerit ceſſatum in integra ſolutione, quæ verba etiam verificantur in vno nummo.*

3 *Debitor ſoluens creditori, nec exprimens in quam cauſam ſoluat, creditor poteſt eligere in quam cauſam velit accipere.*

4 *Emphyteuta deficiens vno anno in ſolutione canonis, quod poſſit anno ſequenti ſupplere; ſed contrarium verius.*

5 *Solutio facta à debitore creditori, cenſetur facta in extinctionem debiti antecedentis, & non ſubſequentis, tamquam in duriorem cauſam.*

6 *Non poteſt cumulari id quod fuit ſolutum minus annis præcedentibus cum eo quod ſoluitur annis ſubſequentibus ad euitandam caducitatem.*

7 *Interpretatio ſemper eſt capienda talis, vt euitetur caducitas.*

8 *Iudex non debet eſſe benignior ipſa lege.*

9 *Emphyteuta excuſatur a caducitate ob paupertatem.*

10 *Paupertas autem ad hoc vt excuſet, eſt probandum non eueniſſe culpa illius, qui eam allegat.*

11 *Ruſticitas, & ignorantia non excuſat a caducitate ob non ſolutum canonem; quia agitur de iuris rigore conſeruando.*

12 *Alteri per alterum non debet iniqua inferri conditio.*

13 *Qualis qualis petitio ſufficit, & ſuccedit loco libelli, vbi agitur ſola facti veritate inſpecta.*

14 *Traditio alicuius rei pretio æſtimatæ ſapit venditionem, non autem mutuum.*

15 *Res data creditori cenſetur data pro eo debito, pro quo talis res conuenit, maximè ſi impleat ſummam debitam.*

16 *Connexa debent in totum acceptari, cum non poſſint ſcindi & ſeparari.*

DECISIO XXIIII.

SPectabilis Aemilius Meius, de anno 1580. conceſſerat ad Liuellum Andreæ Martinello conducenti pro ſe, & ſuis filijs legitimis & naturalibus per lineam maſculinam deſcendentibus vſque ad quartam generationem incluſiuè, vnam clauſuram terrarum de quibus in inſtrumento, &c. in quo inter alia adeſt pactum expreſſum, quod ſi dictus emphyteuta, vel eius ſucceſſores ceſſauerint per biennium continuum in ſolutione integra dicti annui cenſus, cadat, & cadant, & cecidiſſe intelligantur ab omni iure præſentis liuelli, & melioramentorum ſuper dd. bonis factorum, & dd. bona cum dd. melioramentis ad d. Dominum Aemilium ac eius hæredes quoad vtrumque dominium, vtile ſcilicet, & directum reuertãtur, & vtile dominium cum directo conſolidetur. Modo cum ex actis appareret d. Andream per biennium cõtinuum ac vlterius ceſſaſſe a ſolutione integra dicti canonis, merito ſtante conuentione, & pacto expreſſo, de quo ſupra, fuit per Rotam pronunciatum bona prædicta in commiſſum cecidiſſe, vtileque dominium fore, ac eſſe cum directo conſolidandum. Quod autem per biennium continuum fuerit ceſſatum ab huiuſcemodi integra ſolutione, apparebat ex partitis ſolutionum factarum ſingulis annis per d. Andream, in quibus conſtabat, quod vltimis duobus annis proximè præteritis, a tempore motæ litis in antea, non fuiſſe canonem integrè ſolutum; nam de anno 1606. non fuerunt ſoluta niſi ſextaria quinquaginta duo grani, & de anno 1607. ſextaria quinquaginta ſex, & canon erat de ſextarijs ſexaginta quolibet anno. Vnde ſequebatur, quod non ſolum ſecundum pactum, de quo ſupra, verum etiam ſecundum diſpoſitionem iuris communis, caducitas fuerat incurſa; vera eſt enim in iure illa cõcluſio, quod
1 † ſi ceſſatum fuerit in ſolutione canonis debito tempore, non ſolum in toto, ſed etiam in parte quamuis minima, incurritur caducitas, ſecundum magis communem Doctor. ſententiam, de qua per Iaſon. *in l. 2. num. 53. C. de iure emphyt.* Corbol. *de cauſ. priuat. ob non ſolut. canon. ampliat. 5. num. 7. & numer. 13.* vbi multa adducit, Bald. *in l. cum allegas, in 7. oppoſit. C. de vſur.* Speculat. *de locat. §. nunc aliqua, quæſt. 29.* vbi Andr. Sicul. *in addit. in littera E.* Pract. Papienſ. *in forma libel. quo ag. ad fict. præſt. & rei relaxationem, in ver. fictum, d. temp. num. 5. argum. l. obſignationem, cum ibi notat. C. de ſolut. & l. tutor, §. Lucius, ff. de vſur.* Clar. *in §. emphyteuſis, quæſt. 8. verſ. hoc autem,* vbi teſtatur de magis communi.

Et hoc eo magis in iſto caſu erat dicendum, pro-
2 pter illa † verba in ipſo pacto appoſita, videlicet [ſi fuerit ceſſatum in integra ſolutione,] quæ verificantur,

rificantur, etiam ſi in vno nummo fuerit ceſſatum: ab integra ſolutione, cum etiam quando deficiat nummus tantum, ſemper verum ſit dicere, non fuiſſe integrè ſolutum, vt ex ſupra allegatis Docto. apparet, necnon ex Cabal. *in conſil. deciſiuo* 77. *numero* 4. *& numero* 7. *&* 8. Cephal. qui de communi teſtatur *in conſil.* 139. *numer.* 18. Clar. *in §. emphyteuſis, q.* 8. *num.* 4. *verſ. hoc autem de plano.*

Nec obſtare viſa ſunt ea, quæ in contrarium deducebantur, &

Primò, quod d. Andreas de anno 1606. non ſolum ſoluerit ſupradicta ſextaria quinquaginta duo, ſed etiam alia octo, vt ex ijſdem partitis conſtabat, & ſic facere ſummam ſextariorum ſexaginta. Quia dicitur dd. ſextaria octo fuiſſe ſoluta pro totidem receptis anno præcedenti a d. Spectabili Aemilio, vt ex dd. partitis conſtabat, in quibus fuit declaratum per d. Spectabilem Aemilium dd. ſextaria octo fuiſſe reſtituta pro totidem ab eo habitis, quod quidem facere poterat, per text. *in l.* 1. *ff. & C. de ſolut.*
3 in quibus clarè determinatur quod ſi † debitor ſoluens, non declarauerit in quam cauſam intendat ſoluere, creditor poteſt eligere in quam cauſam velit accipere. Vnde cum hoc non declarauerit dictus Andreas tempore ſolutionis, vtique potuit hoc facere ipſe Spect. Aemilius, per prædicta iura, per quæ idem tradit Maſcard. *de probat. concluſ.* 1319. *num.* 4. & Menoch. *de præſump. lib.* 3. *præſump.* 136. cum ibi allegat.

Nec etiam obſtat, quod a quattuor annis citra, nempè ab anno 1604. vſque ad annum 1607. quo cœpit iudicium, videatur integrè ſolutus canon fa-
4 ciendo † coaceruationem de eo quod ſolutum fuit vno anno ad computum alterius anni, vt videtur velle Guid. Pap. *deciſ.* 174. *num.* 1. Rimin. *in conſilio* 74. *num.* 6. Quia reſpondetur, quod prædicta nec in facto, nec in iure conſiſtebant; In facto, quia ex partitis, & calculis apparebat fuiſſe ceſſatum in integra ſolutione canonis, & licet vno anno fuerit ſolu-
5 tum † aliquid pluris, quam importaret canon, illud tamen plus erat debitum pro annis antecedentibus, nec erat ſufficiens ad integram ſatisfactionem annorum præcedentium. Et omnis æquitas, ac ius ſuadebant, quod tale plus ſolutum caderet in extinctionem debiti antecedentis, *l.* 1. *C. de ſolut. l.* 2. *&* 3. *ff. eod.* potius quam debiti ſubſequentis, *arg. l.* 4. *ff. de action. empt. l. manumiſſionis, ff. de iuſt. & iure.* Corbol. *de cauſ. priua. ob non ſolut. cano. ampl.* 5. *num.* 18. Surd. *deciſ.* 317. *num.* 6. In iure autem clara &
6 magis communis Doctor. ſententia eſt, non † poſſe cumulari, ac coaceruari illud quod minus fuit ſolutum annis præcedentibus, cum eo quod ſoluitur annis ſubſequentibus pro penſionibus debitis annis ſubſequẽtibus ad euitandam caducitatem. Corbol. *de cauſ. priuat. ob non ſolut. cano. ampliat.* 5. *num.* 13. *cum ſequent.* Iaſ. *in l.* 2. *num.* 57. *verſic. ſed fortius, C. de iure emphyt.* vbi de magis communi Io. Andr. *in addit. Speculat. in §. nunc aliqua, num.* 92. *littera A.* Addit. ad Guid. Pap. *deciſ.* 174. *in fi.* cum hoc ſit in præiudicium domini directi, & contra pactum.
7 Secundò, non obſtabat quod in † huiuſcemodi cauſis ſemper facienda ſit benignior interpretatio, vt non inducatur caducitas. Cephal. *in conſil.* 347. *num.* 37. cum ſit pœna, *l.* 2. *C. de iure emphyt. l. pen. ff. de pœn.* Dec. *in l. ſemper in obſcuris, num.* 5. *ff. de pœn.* & ideo quælibet cauſa excuſat, Burſat. *in conſil.* 26. *numer.* 38. Quia prædicta procedunt in dubio, ſecùs eſt quando ſumus in claris, vt in præſenti caſu, in quo habemus claras diſpoſitiones iuris communis, & pacta, ac conuentiones expreſſas, quibus omni-
8 nò ſtandum eſt, † nec iudex eſſe debet benignior lege, *capitulo ſanè, il* 2. *de offic. delegat. §. oportet, in Authent. de iudic.* latè Tiraquel. *de pœn. temper. numero* 3.
9 Non obſtat etiam, quod ſimus in paupere, † & paupertas excuſet a caducitatis pœna, Bald. Marſil. Crot. Roman. & alij, quos allegat & ſequitur Corbol. *de cauſ. priuat. ob non ſolutum canonem, limit.* 29. *in princip.* Quia talis paupertas in proceſſu non fuerat probata, & quod ex hac cauſa non fuerit ſibi
10 poſſibile ſoluere, vt erat neceſſe. Ac etiam † quod culpa propria in paupertatem non inciderit, quia tali caſu non excuſaret ipſa paupertas, quia caducitas incurreretur, *l. penultim. ff. de iure dot. Bal. in cap. Sedes Apoſtolica, de reſcript.* & alij quos allegat, & ſequitur idem Corbol. *in ſupradicto loco.*
11 Item, quod ſimus † in ruſtico litterarum ignarò ac iurium; quia talis ruſticitas, & ignorantia non excuſat à caducitate ob nõ ſolutum canonem: quia agitur de iuris rigore conſeruando, Gloſſ. *in l. iuris ignorantia, la* 2. *ff. de iur. & facti ignor.* Alexan. *in conſil.* 14. *num.* 1. *& vlt. lib.* 2. Berous, *in conſil.* 120. *num.* 28. *lib.* 1. Menoch. *de arbitr. iud. lib.* 2. *caſu* 194. *num.* 21. cum alijs alleg. per Corbol. *in d. titul. de cauſ. priuat. ob non ſolut. canon. ampl.* 17. *per totam.*

Tertiò, non obſtabat allegatio ex aduerſo nullitatis proceſſus, eo quia acta non fuerunt geſta per legitimum procuratorem habentem mandatum, eo quia intra terminum & in prima comparitione non produxerat aliquod mandatum, vt requirit ſtat. *lib.* 1. *cap.* 26. *verſic. eatenus ſtatuimus, & capit. Rotæ* 42. *verſic. & ſic actoris.* Tum etiam, quia cum cauſa iſta tranſcenderet ſummam flor. 26. ad 36. non videbatur potuiſſe procedi per viam ſimplicis citationis, ſed erat procedendum per viam libelli, vt per ſtat. *lib.* 1. *cap.* 16. *in princip.* Nam quoad primum dicitur, quod in prima cõparitione cum comparuerit Domin. Aemilius, non tenebatur aliquod mandatum producere, cum ipſe eſſet principalis in cauſa, & licet per duas vices eius nomine comparuerit vti procurator Dominus Aloyſius Turretinus, qui licet non docuerit de mandato, ex hoc tamen nihil aliud reſultabat, niſi quod amplius non audiretur, vt diſponitur *per cap. Rotæ* 42. *& ſtat. lib.* 1. *cap.* 26. Et acta ipſius non poterant in aliquo officere d. Domino Aemilio, cum eſſent facta a perſo-
12 na non habente facultatem aliquid agendi, & † alteri per alterum non poteſt iniqua inferri conditio, *cap. alteri, de regul. iur. in* 6. Roman. *conſil.* 241. *num.* 5. Ancharan. *conſil.* 140. *in princip.* Qui duo actus etiam quod eſſent nulli, cum non continerent ſubſtantialia, nihil nocere poterant d. Domino Aemilio, Cornaz. *deciſ.* 39. *in fine*, poſtea cum ſucceſſerit legitimus procurator, non videtur in aliquo cõtra-

uentum

uentum ſtatutis. Quo verò ad ſecundum dicitur,
quod cum talis citatio contineat ſubſtantiam pe-
titionis, & cum fuerit facta cum termino trium
dierum, ſuccedit loco libelli, tum, quia in omnibus
cauſis in hac curia proceditur ſola facti veritate
inſpecta, & nulla ſollemnitate iuris communis ſer
uata, ſummariè, & de plano, ſine ſtrepitu, & fi-
gura iudicij, vt diſponitur *in capit.14. lib.1. ſtat.*
13 Et de iure communi quando † proceditur ſola fa-
cti veritate inſpecta, ſufficit qualis qualis petitio,
Menoch. *de arbitr. lib.1. quaeſt.18. per totam; & in
tractat. de adipiſcen. poſſeſſ. remed.4. num.471.* Tum
etiam, quia *in cap.15. ſtat. lib.1.* diſponitur quod in
qualibet cauſa loco libelli admittatur qualiſcum-
que petitio qualitercumque formata, *& cap.16.* ex
aduerſo allegatum diſponit, quod offeratur peti-
tio, quæ petitio verificabatur etiam in ſupradicta
citatione, cum in ea comprehenderentur ſubſtan-
tialia petitionis.

Quarto loco non obſtabat, quod liberculus Spe
ctab. Aemilij, in quo erant deſcripta iſta computa,
dati, & recepti, fuerit tantummodo per d. An-
dream acceptatus in partibus fauorabilibus, &
propterea quoad partitam ſextariorum octo, quæ
dicebat Spect. Aemilium accepiſſe pro totidem
debitis per d. Andream anno præcedenti, debere
quidem probare, quod receperit d. ſummam tam-
quam quid ſibi fauorabile, qualitatem autem in d.
partita appoſitam, quod ſcilicet receperit ad com-
putum debiti anni præcedentis, non probare con-
tra eumdem Andream, Honded. *in conſil.39. num.
67. & ſeq. lib.2.* & hoc tanto magis cum fuerit d.
14 frumentũ † pretio æſtimatum quod ſapit venditio
nem, *§.1. Inſtit. de empt. & vendit.* non autem mu-
tuum; quare ei videbatur ſolum actionem compe-
tere ad pretium conſequendum, *§. cum autem em-
ptio, Inſtit. de empt. & vendit.* non autem ad repe-
titionem frumenti, vt eſt de natura mutui, *l.2. vbi*
15 *Doctor. ff. ſi cert. petat.* Vnde cum † frumentum
fuerit datum, videtur datum pro eo debito, pro
quo res, quæ datur cõpenit, maximè cum impleat
ſummam debitam, & ſic pro canone alleg. Socin.
iun. *in conſil.85. num.10. lib.2.* Menoch. *de præ-
ſumpt. lib.3. præſumpt.136. num.18.* Nam reſpon-
detur, quod licet per d. Andream fuerit accepta-
tus ſupradictus liberculus in fauorabilibus tãtum,
& non in præiudicialibus, ſeparatio tamen, quam
ipſe ſupponebat, quoad probationem ſolutionis,
non poterat habere locum, eo quia verſabamur in
16 connexis, † & propterea ipſe tenebatur talem par
titam in totum acceptare, nec iſta poterant diui-
di, neque connexio ſcindi. Bartol. *in l. Aurelius,
§. idem quæris, ff. de liber. legat.* Boer. *deciſ.339.
num.3. & ſeq.* Alex. *in conſil.87. lib.1. & conſil.2.
num.22. vol.4.* Rota Romana, *deciſ.272. lib.2. di-
uerſ.* Menoch. *de arbitr. caſu 93. num.21. & caſu
95.* Surd. *deciſ.258.* Crauet. *de antiquit. temp. par.
1. §.5. num.76.* ſicuti etiam non ſubſiſtebat alia
oppoſitio quod non ſimus in mutuo, ſed in vendi-
tione frumenti, eo quia fuerat pretio æſtimatum.
Quia dicitur ex eodem liberculo apparere omnes
partitas frumenti receptas a d. D. Aemilio ſemper
fuiſſe eodem pretio æſtimatas, tam illas, quæ ſolu-
tæ fuerunt pro canone, quam alias quocumque mo
do ſolutas, & ſic hoc potius ex ſtylo ſeruato in com
putis inter eos, quam ex intentione partiũ contra-
hendi vel mutuũ, vel venditionẽ. Sed quocumque
modo eſſet, cum D. Aemilius declarauerit in quã
cauſam acceperit d. frumentũ, prout facere pote-
rat, per text. *in d. l.1. C. de ſol.* vtique ceſſabat ob-
iectum; cum ſiue fuerit mutuatum frumentum di-
catur facta reſtitutio de octo ſtarijs mutuatis cum
octo reſtitutis, & ſic quantitas in hoc etiam adæ-
quaret ſummam debitam, prout d. Andreas etiã in
ſuo caſu præſupponebat implere ſummam debitã;
ſi vero fuiſſet venditum, dicitur ipſum frumẽtum
ſuccedere loco pretij, & ex eo fuiſſe ſatisfactum d.
D. Aemilium de ſuo credito; cum ita acceperit &
declarauerit D. Aemilius in eius liberculo. &c.

ARGVMENTVM.

Fideiuſſor principaliter obligatus pro re conducta ad certum tempus, non tenetur pro tacita reconductione inducta per perſeuerãtiam conductoris in re locata patiente locatore expirato dicto tempore.

SVMMARIVM.

1 *Nemo ſine actione experitur.*
2 *Obligationes, & contractus non debent operari vltra intentionem agentium.*
3 *Conductor elapſo termino conductionis perſeuerans in re conducta cenſetur eam tacite reconduxiſſe.*
4 *Fideiuſſor non tenetur pro tacita reconductione, quæ fit per perſeuerantiam conductoris in re conducta patiente locatore.*
5 *Tacita renouatio locationis operatur vt prima locatio dicatur prorſus extincta, & inducta noua locatio ſeparata a prima.*
6 *Tot dicuntur locationes, quot anni.*
7 *Fideiuſſio eſt ſtrictè interpretanda, nec eſt extendenda vltra id quod in ea eſt dictum.*
8 *Statuta non recipiunt extenſionem, ſed ſtrictè, & ad litteram ſunt intelligenda.*
9 *Fideiuſſores principaliter, & inſolidum obligati dicuntur rei debendi, & eorum obligatio principalis, & non acceſſoria dicitur.*
10 *Fideiuſſores non tenentur ad ea, quæ eueniunt tempore prorogato.*
11 *Iuramentum habet vim ſpecificæ expreſſionis in caſu, qui poteſt comprehendi.*

DECISIO XXIV.

SEbaſtianus Maſinus habuit recurſum ad Rotam a ſententia Dom. Auditoris primarum inſtantiarum, lata ad fauorem Iacobi, ac Nicolai Brunotti. Et fuit talis ſen-
tentia

tentia reuocata eo quia ſupradicti Iacobus, ac Nicolaus carebant omni actione petendi, & conſequendi petita; cum enim per ſtatut. *in libro 2. capitulo* 118. ſit cautum, quod in cauſis affictuum & penſionum (de quibus erat quæſtio) agi poſſit pro tempore dumtaxat decem annorum, pro maiori autem, & vlteriori tempore agi non poſſit vllo modo, & conſtet ex inſtrumento locationis exhibito, non ſolum annos decem fuiſſe elapſos a tẽpore locationis, vſque ad tempus moti iudicij, ſed etiam viginti ſeptem, propterea viſum fuit non potuiſſe vllo modo ad petita agere; cũ fuerit per
1 dictum ſtatutũ præſcripta omnis actio, & † nemo ſine actione poſſit experiri, *vulgata l. ſi pupillus, §. videamus, ff. de neg. geſt.*

Secundò, quia ex ſupra allegato locationis inſtrumento conſtabat, d. Sebaſtianum tantummodo fideiuſſiſſe pro annis quattuor, quibus finitis, erat etiam finita eius obligatio, nec amplius quo ad ipſum durabat locatio; cum tantum ſe obliga-
2 uerit pro dd. quattuor annis, & † obligationes, & contractus non debent operari vltra intentionem agentium, *l. obligationũ ſubſtantia, ff. de action. & obligat. l. ſi ego, & l. non omnis, vbi Doct. ff. ſi cert. petat.* Magon. *deciſ. Lucana* 5. *nu.* 27. *& deciſ.* 28. *nume.* 28.

Et licet prætenderetur Franciſcum Biagiottũ, & Philippum eius filium conductores domus, de quorum affictibus agebatur, & pro quibus d. Sebaſtianus fideiuſſerat pro annis quattuor, vt ſupra di-
3 ctum eſt, continuaſſe in locatione domus, † & ex hoc videretur facta tacita reconductio dictæ domus ex primo inſtrumento, cum conductor in re conducta videatur permanſiſſe patiente locatore, non obſtãte, quod terminus locationis in inſtro appoſitus eſſet finitus, vt diſponit ſtat. *lib. 2. c.* 103. *in fine.* Et eſt de iure communi. Doct. *in l. item quæritur, §. qui impleto, C. locat. & in l. legem, C. eodem.* Alexand. *in conſil.* 76. *in princip. lib.* 5. Ruin. *conſil.*
4 61. *num.* 5. *in fine, lib.* 1. Prædicta † tamen habent locum, quoad ipſum principalem conductorem, non autem quoad fideiuſſorem, quia ſatis clara in iure videtur ea concluſio, quod fideiuſſor non tenetur pro tacita reconductione, ſiue renouatione locationis, quæ fit per perſeuerantiam conductoris in re conducta patiente locatore, vt per text. *in l. ſi cum Hermes, ff. locati.* Corneus *in conſil.* 125. *vol.* 1. Decian. *reſponſo* 72. *num.* 12. *vol.* 2. Menoch. *in conſil.* 120. *num.* 28. Borgnin. *deciſ.* 44. *num.* 82. *par.* 1. Galeſ. *ad form. oblig. Camer. num.* 23. Caroc. *de locat.* teſtans de veriori opinione, *par.* 3. *quæſt.* 23. *num.* 4. vbi multos allegat, & ratio eſt manifeſta: quia in dicta locatione, ſeu tacita reconductione non interuenit cõſenſus fideiuſſoris, & propterea prima non poteſt dici renouata, & repetita in iſta tacita reconductione quoad ipſum fideiuſſorem, vt per Borgnin. *loco ſupra citato.* Quinimmò
5 prima † locatio poſt finitum tempus intelligitur penitus exſtincta, & tacita reconductio dicitur noua locatio ſeparata a prima, Bellon. *in conſil.* 87.
6 *nu.* 17. *cum ſeq.* & alijs alleg. per eum. Et † tot dicuntur locationes, quot anni, Afflict. *deciſ.* 365. *num.* 7. Bart. *in l. qui ad certum, ff. locati.* & Bald. *in l. item quæritur, §. qui impleto, ff. locati.* Fideiuſ-
7 ſiones † enim ſunt ſtrictè interpretandæ, nec poſſunt extendi vltra id, quod in eis fuit dictum, latè Barz. *deciſ.* 70. *num.* 84. *&* 85. cum multis alleg. Et ſtatutum præallegatum loquitur de principali conductore, non autem de fideiuſſore, ad quem
8 non poteſt fieri extenſio; cum in † ſtatutis non ſit permiſſa aliqua extenſio, ſed ſtrictè, & ad litteram ſint intelligenda, Bald. *in l. teſtamentum, in fine, C. de teſtam. ordin. & in l. iubemus, §. fin. C. ad Trebel.* Bologn. *conſil.* 86. Vnde cum ex inſtrumento locationis appareret dictum Sebaſtianum tantummodo fideiuſſiſſe pro annis quattuor, & domum fuiſſe detentam per annos 26. Ideo non poterat condemnari, prout fuerat condemnatus.

Nec obſtare viſum fuit, dum ex aduerſo dicebatur, ipſum Sebaſtianum in inſtrumento non interueniſſe, tamquam ſimplicem fideiuſſorem, ſed tamquam principaliter, & inſolidum obligatum, vt legitur in inſtrumento, quo caſu tenetur tamquam principalis, alleg. Deciſ. Martæ, *Voto* 103.
9 *num.* 3. ex quo † fideiuſſores inſolidum, & principaliter obligati, rei debendi dicuntur, & eorum obligatio non dicitur acceſſoria, ſed principalis. Natta, *in conſil.* 262. *&* 345. Decian. *Reſpon.* 72. *num.* 5. *lib.* 2. Alex. *in conſil.* 32. *nu.* 10. *lib.* 4. *& conſil.* 29. *num.* 35. *cum ſeq. lib.* 7. Corneus *in conſil.* 214. *lib.* 2. Iaſ. *in conſil.* 58. *nu.* 4. *lib.* 3. Couar. *in c. quamuis, par.* 2. *§.* 6. *nu.* 3. *de pact.* Quia dicitur hoc procedere durante tempore obligationis, quia tunc dicitur eo modo obligatus, ſed exſtincto prædicto tempore, dicitur etiam exſpirata talis obligatio, vt ſupra ex pluribus fuit demonſtratum.

10 Dicimus etiam, quod † fideiuſſor non tenetur pro his, quæ eueniunt tẽpore prorogato, & ſic ad penſiones tali tempore decurſas, vt declarat Alex. *in conſil.* 72. *colum.* 1. *in fine, vol.* 6. Tiraquel. *de retractu conuent. §.* 1. *gloſ.* 7. *num.* 32. & alij multĩ, quos allegat Gabriel. *in tit. de fideiuſſ. concl.* 3. *num.* 4.

Ad Martam in alleg. Voto 103. reſpondetur, eum loqui in terminis diuerſis, quia ibi fideiuſſor tenebatur pro pẽſionibus tacitæ reconuentionis, eo quia iam inceperat eas ſoluere, & ſic recognouerat debitum, & conſenſerat obligationi, & conuentioni, vt ibi dicitur, quod ſecus eſt in caſu de quo hic agebatur, *& ſub num.* 3. loquitur in terminis in quibus ille bancherius principaliter, & inſolidum ſe obligauerat ad reſtitutionem rei conductæ, & ad alia, & ſic durabat adhuc obligatio, &
11 aderat † iuramentum, quod habet vim ſpecificæ expreſſionis in caſu, qui poteſt comprehendi, vt dixit Bald. *in l.* 1. *C. cõmod.* per text. *in l. cum pater, §. filius matrem, de leg.* 2. Socin. *in conſil.* 70. *num.* 1. *vol.* 3. Quod iuramentum non aderat in præſenti caſu; Et ibidem Marta non firmat hanc concluſionem, ſed loquitur cumulatiuè, immò in principio ponit contrarium, & Doct. allegati per Martam, loquuntur in alijs terminis. &c.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Multa non eſt concedenda ſine cauſę cognitione.

SVMMARIVM.

1 *Multari non poteſt quem culpa non reddidit obnoxium.*

2 *Ad hoc vt aliquis multari poſſit, non ſufficit ſolus actus inobedientiæ, ſed requiritur dolus, & contemptus, & debent examinari cauſæ antequam aliquis multetur.*

3 *Multæ impoſitio eſt nulla non dato termino ad faciẽdum defenſiones; quia ille, qui non obedit ex aliqua cauſa etiam iniuſta non debet puniri.*

4 *Tertius comparens in iudicio pro ſuo intereſſe, & incontinenti docens de ſuis iuribus, debet audiri, & poteſt opponere ſuas exceptiones, & facere quod iudicium differatur.*

DECISIO XXV.

FVit interpoſitus recurſus per Sèbaſtianum Ghiuiſanum ad Rotam, a pronuncia D. Iudicis ordinarij, ad fauorem Heleonoræ, & Ioſeph Corbolani iugalium, quã pronunciam duximus reuocandam: Moti, quia viſum fuit ſupradictum D. Iudicem grauaſſe per eius pronunciam dict. Sebaſtianum, ex quo ex proceſſu eidem conſtare poterat ſuper rebus mobilibus ſequeſtratis eſſe controuerſiam, ad quemnam de iure ſpectarent, vnde non debebat ita feſtinanter multare d. Sebaſtianum, ex quo non conſignaſſet bona nonnulla ipſis iugalibus, non audita contraria parte ſuper iuribus ſuis, nec aliquo modo prouiſo eius indemnitati; propterea non videtur fuiſſe in aliqua culpa, non pa-
1 rendo præcepto; cum de iure non † poſſit multari
quem culpa non reddit obnoxium, *l. multarum, C. de mod. mul.* Roland. *in conſil.* 47. *lib.* 2. *num.* 20.
2 Nec † ſufficit ſolus actus inobedientiæ, ſed dolus,
& contemptus requiritur, & prius examinari debebant cauſæ per d. Sebaſtianum allegatæ, antequam multaretur, vt latè per Cartar. *deciſ. Ianu.* 130. *num.* 11. *& deciſ.* 37. *num.* 15. vbi habetur,
3 quod † impoſitio multæ eſt nulla non dato termi-
no ad faciendum defenſiones: quia ille, qui non obedit ex aliqua cauſa, etiam iniuſta, non debet puniri, Calder. *in conſil.* 11. Gemin. *in cap. nullus, de verb. ſignific.* 11. *diſtinct.* Decian. *reſpon.* 14. *num.* 10.
4 *lib.* 4. & tanto magis ſtante † comparitione alte-
rius tertij pro ſuo intereſſe, qui multa deduxerat in proceſſu, quæ indigebant aliqua cognitione, docens de intereſſe, ac iure ſuo ſtatim, ac incontinenti per plura inſtrumenta. & clari iuris eſt, quod tertius in iudicio, & comparens, & docens incontinenti de ſuo iure debet audiri, & poteſt opponere ſuas exceptiones, & facere, quod iudicium differatur. Bartol. *in l. ſi quis libertatem, num.* 1. *ff. de petit. hæred.* Didac. *Pract. quæſt. cap.* 14. *num.* 4. *verſic. nos vero vſque ad finem,* Ioſeph Ludou. *deciſ. Peruſ.* 26. *num.* 26. *l. ſi a quo, ff. de rei vendicat. &c.*

ARGVMENTVM.

Obligationes contrahentiũ non verbaliter tantum, ſed cum effectu ſunt adimplendæ.

SVMMARIVM.

1 *Paria ſunt aliquid non facere, vel facere, ſed non eo modo, quo quis tenetur.*

2 *Præſentatio alicuius rei, ſupponit copiam, & præſentiam rei, & præſentia viſionem eiuſdem rei.*

3 *Contrahentium verba, & diſpoſitiones hominum debent intelligi cum effectu in actu practico deducto, non autem verbaliter tantum.*

4 *Contrahentium intentio debet ſortiri finem ſuum, nec debet reddi eluſoria.*

DECISIO XXVI.

AGebatur cauſa coram Rota inter Franciſcum Perottinum ex vna, & Martinum Pauli de Vrciano parte ex altera, occaſione cuiuſdã exhibitionis ſeu præſentationis nonnullorum boum facienda per d. Martinum. In qua licet prima facie dicendum videretur præfatum Martinum fuiſſe liberandum a petitis, ex quo per ipſum videretur facta penes acta exhibitio prętenſorum boum, necnon ęſtimatio, ac oblata electio d. Franciſco dimittendi, vel retinendi, iuxta formam inſtrumentorum ſuper hoc celebratorum.

Re tamen maturius conſiderata fuit per nos reſolutum ad fauorem d. Perottini, quod ſcilicet d. Martinus non adimpleuerit pro ſui parte, quę erãt adimplenda, & quod teneretur ad intereſſe partis; non enim ad hoc vt dici poſſit d. Martinum adimpleuiſſe ea, ad quæ tenebatur, iuxta tenorem inſtrumentorum, (quod erat) prędictos boues præſentare, ſubhaſtari facere, damnum, & lucrum per medium bona fide diuidere, & electionem locatori offerre, verbalem illam declarationem, & oblationem penes acta emanatam, ſufficere nobis viſum fuit, ſed erat neceſſe dd. boues verè, & realiter ad præſentiam d. locatoris, ſiue in loco publico ciuitatis, vbi videri poſſent, ab eo adduci, ibique ſubhaſtari dando electionem locatori, retinendi,
1 vel dimittendi, iuxta promiſſa; † paria enim ſunt,
aliquid non facere, vel eo modo, quo fieri debet, non efficere, *l. non putauit, §. non quaris, ff. de bonor. poſſeſſ. contra tabul. l. quoties, ff. qui ſatiſdare cogant.* Neque etiam in hoc caſu dici poterat fuiſſe factã aliquam ſaltem legitimam præſentationem dd.
2 boum; cum † prę̨ſentatio ſupponat copiam, & prę-
ſentiam

ſentiam reí, & pręſentia viſionem, & contrectationem eiuſdem, Bal. *in l. ſi non ſpeciali, C. de teſtam.* At cũ dictos boues neque locator, neque notarius (vt ipſe penes acta fatebatur) aſpexerint, ſequitur, quod non fuerit facta eorum vera, & realis præſen
3 tatio: nam † verba contrahentium, & diſpoſitiones hominum debent intelligi cum effectu in actu practico deducto non autem verbaliter tantum, ad text. *in l. 1. vbi gloſ. & Doctor. ff. quod quiſque iur.* & talis pręſentatio fuit in obligatione deducta & cõuenta, ad effectum, vt ipſe locator videre poſſet dd. boues, & copiam ipſorum habere, ad hoc vt valeret deliberare, an vellet eos cedere, vel retinere, *l. 2. vbi gloſ. ff. ad exhibend.* qui ſi non fuerint realiter producti, nõ poterit locator etiam deliberare,
4 quid ſibi expediat, & † ita redderetur eluſoria eius intentio, & optio conuenta non haberet locum, *l. ſi optio, ff. ad exhibend.* Et eo magis talis præſentatio ad præſentiam locatoris fieri debebat, ad hoc, vt poſſet inſpicere, an eſſent ipſimet boues, quos ipſe locauerat, cum potuiſſet fraudari, ſi alij boues minoris pretij fuiſſent a cõductore ſuppoſiti, incantati, vel æſtimati. Vnde potius argui poterat talem pręſentationem doloſè, & animo fraudandi factã, & negatam veram pręſentationem malitioſè. &c.

ARGVMENTVM.

Renuncians liti, an ſuccumbere dicatur, & an condemnetur in expenſis.

SVMMARIVM.

1 *Pro ſententia, & Iudice pronnnciante eſt præſumendum.*
2 *Diſpoſitum de ſententijs non ſolum eſt intelligeudum de ſententijs diffiuitiuis, ſed etiam interloquutorijs, ſiue quibuſcumque alijs, quando militat eadem ratio.*
3 *Renuncians liti in expenſis condemnandus eſt.*
4 *Renunciant liti propriè ſuccumbere non dicitur.*
5 *Iudex non obſtante, quod aliqua ex partibus renunciauerit liti poteſt ferre ſuam ſententiam, & maximè inſtante parte.*

DECISIO XXVII.

PRo parte Domin. Ioannæ de Valẽtinis fuit interpoſitus recurſus ad Rotam, ob defectum iuriſdictionis a pronuncia emanata ab Illuſt. Officio ſuper Viduis, & pupillis, ad fauorem Dominæ Catharinæ Boromeæ. Et fuit pronunciatum per nos, allegatum defectum iuriſdictionis non ſubſiſtere. Moti, quia licet tale Officium elegerit arbitros inter dd. partes, pro ſedandis eorum litibus, ex officio hoc quidem facere poterat, vt expreſsè patet in capitulis eiuſdem Officij, præſertim *in cap. 10. ibi,* (& in caſu) & de contumacia partis conſtabat ex actis, quæ coram nobis nihil omninò produxerat, nec probauerat allegatum defectum iuriſdictionis, nec
1 aliud quidquam, ideo † pro ſententia, & Iudice ſententiante erat præſumendum, ad latè tradita per Menoch. *de præſumpt. lib. 2. præſumpt. 67. per totam.* Quod eo magis placuit firmare, attenta ampla authoritate tributa per Excell. Principem eidem Spectabili Officio cognoſcendi cauſas ad eius iuriſdictionem ſpectantes, abſque vlla ſollemnitate iudicij, & ſola facti veritate inſpecta; immò prout Ipſis liberè videbitur, *vt in cap. 13.* ac etiam quod ab eiuſdem Officij ſentẽtijs nequeat vllo modo appellari, aut recurri, vnde militant tradita per Bar. & alios, *in §. interdum, l. fin. ff. de appell.* & latius per Abb. Felin. & ceteros, *in cap. Paſtoralis, extr. eod. titul.* Quod
2 non † ſolum intelligẽdum eſt in diffinitiuis, verum etiam in interloquutorijs, ſiue incidentibus, quando militat eadem ratio, vt poſt Bald. & alios, firmauit Rota Romana *in nouiſſ. diuerſ. deciſ. 100. numer. 20. & num. penultimo.*
3 Condemnauimus † in expenſis d. D. Ioannam non obſtante, quod fuerit renunciatum liti; quia etiam liti renuncians condemnandus eſt in expenſis, vt dicit Iaſon. *in l. properandum, §. ſin autem alterutra, numer. 2. C. de iudic.* ſecundum Bald. *in l. poſtquam liti, in vlt. colum. in 5. quæſt. C. de pact.* & idem Bald. *in Authent. contra qui propriam, in 2. notab. C. de non num. pecun.* quos allegat, & ſequitur Aſinius, *in ſua Praxi, titul. de expenſis, §. 32. in 2. ampliat. in*
4 *princip.* Et hoc † licet renuncians liti propriè ſuccumbere non dicatur, cum dici non poſſit, nec victor, nec victus, vt dicit idem Iaſon *in ſupraalleg. loco,* ac alij allegati per d. Aſiniũ *in d. loco.* Bald. *in conſil. 146. Quia ex facto, num. 2. verſic. modo allegemus.*
5 *lib. 3.* vbi etiam † quod non obſtante tali renuncia, poteſt Iudex ferre ſuam ſententiam, & maximè inſtante parte.

ARGVMENTVM.

Primus acquirens rem emphyteuticam an faciat gradum.

SVMMARIVM.

1 *Primns acqnirens in materia emphyteuſis, quod faciat gradum, allegantur multi.*
2 *Primus acquirens quod nou faciat gradum ex magis communi, & veriori Doctor. ſententia determinatnr.*
3 *Nemo ſeipſum generare poteſt, & propterea nomen generationis, non conſideratnr iu primo acquirente, qui quoad ſeipſum non poteſt dici generatio.*
4 *Qui nou eſt hæres, non poteſt in emphyteuſi hæreditaria ſuccedere, & ſufficit quod a primo acqnirente quis deſcendat, & primi acquirentis hæredem eſſe ſiue mediate, ſiue immediate, nec requiritur hæredem vltimi fieri.*
5 *Melioramenta ad hoc vt peti poſſiut, debet probari tãtum fuiſſe impenſum, & tantum melioratum.*

Melio-

6 *Melioramenta, quæ conſtant in ædificijs ſunt conſiderãda tamquam rudera, ac cementa, non autem velut ædificium conſiſtens.*
7 *Melioramenta in emphyteuſi facta ſunt acquiſita domino directo, non autem emphyteutæ.*
8 *Quidquid adhæret ſolo cedit ſolo.*
9 *Melioramenta debent peti contra dominum directum non autem contra emphyteutam.*
10 *Melioramenta facta in re emphyteutica quando debentur ſolui debent a domino directo, non autem ab emphyteuta.*

DECISIO XXVIII.

AGebatur coram Illuſtri Officio ſuper Viduis & Pupillis, in quo eram Iudex, hoc enim Officium ſpectat ſtatutis tẽporibus ad ipſos Auditores Rotæ, agebatur cauſa inquam, inter quoſdam fratres de Magijs ex vna, & Franciſcum Magium parte ex altera, in qua diſputabatur an filij Michaelis eſſent comprehenſi in quadam emphyteuſi Eccleſiaſtica ex pacto, & prouidentia, olim Ioan. Abauo d. Michelis conceſſa, pro ſe, ſuisq; hęredibus, & ſucceſſoribus, ac deſcendentibus ex eo, tam natis, quam naſcituris de legitimo tamen matrimonio deſcendentibus per lineam maſculinam, vſque in quartam generationem incluſiuè; & punctus difficultatis verſabatur an d. Ioannes primus acquirens faceret gradum, & deberet in prima generatione connumerari; quia ſi ipſe Ioannes connumeraretur, vtique filij d. Michaelis cum eſſent in quinta generatione remanebant excluſi, quod ſi nõ connumeraretur, erant in quarta, & ſic veniebant comprehenſi in conceſſione. Et licet in hac quæ-
1 ſtione pro parte affirmatiua, quod † primus acquirens connumerari debeat, adſint multi Doctor. hanc opinionem ſequentes, nempe Soc. ſen. *in conſi.* 25. *num.* 5 *lib.* 1. Iaſ. *in l.* 2. *num.* 166. *C. de iure emph.* Dec. *in conſil.* 624. *num.* 2. Gozad. *conſil.* 25. *num.* 8. *&* 17. Cur. iun. *de feud. par.* 3. *membro* 2. *num.* 51. Purpurat. *in conſil.* 484. *num.* 14. Cephal. *conſil.* 345. *num.* 12. *lib.* 3. & *conſil.* 582. *num.* 6. *lib.* 4. Gabriel. *conſil.* 88. *num.* 4. & *conſil.* 90. *num.* 1. *lib.* 1. *&* *conſil.* 68. *numer.* 1. *&* 2. *lib.* 2. Simon de Pret. *in conſil.* 88. *num.* 3. *&* *conſil.* 2. *num.* 20. Gabr. *de iure emphyt. concluſ.* 4. *num.* 1. Honded. *conſilio* 54. *num.* 12. *lib.* 1. Torniel. qui omnes præcitatos refert, *in conſil.* 883. *lib.* 9. ad de Turret. *in conſil.* 33. *num.* 18. *&* *ſequent. lib.* 1. Salicet. *in l.* 2. *num.* 35. *C. de iure emphyt.* Imol. *in l. quod dicitur, colum.* 9. *verſic. aduertendum circa quartam, ff. de verborum oblig.* Raudenſ. *deciſ.* 42. *num.* 48. & alij multi.

Contrariam tamen ſententiam tamquam magis iuri & æquitati conſonam fuit per Dominos Collegas meos (de voto tamen meo) ſequuta, & per nos pronunciatum, dd. filios Michaelis eſſe compre-
2 henſos in inſtrumento conceſſionis, † nec debere connumerari primum acquirentem ex magis communi, & veriori Doctor. ſententia, fundata ſuper
3 ipſa natura, cum † nemo ſeipſum generare poſſit, & ſic iſtud nomen generationis, non poſſit vllo modo verificari in primo acquirente, qui quoad ſeipſum non poteſt dici generatio, ſed conceſſio dicitur facta in quattuor ipſius generationes, & ipſe acquirens non poteſt dici ſua generatio, & conceſſio debet verificari in quattuor generationes ipſius acquirentis; ita tenuit Bald. *in conſil.* 375. *num.* 2. *&* 3. *lib.* 4. Angel. *in §. emphyteuſim, num.* 16. *in Auth. de non alienand. reb. eccleſ.* Alexand. *in l. quod dictum num.* 23. *de verbor. obligat.* Ruin. *conſil.* 166. *num.* 6. *lib.* 1. Dec. *conſil.* 634. *num.* 1. Berous, *in conſil.* 3. *nume.* 26. *lib.* 2. Socin. iun. *in conſil.* 124. *num.* 73. *lib.* 1. Simon de Pret. *de coniect. vltim. volunt. lib.* 3. *dub.* 1. *ſolut.* 2. *numer.* 8. *ſol.* 7. De magis communi teſtatur Clarus, *in §. emphyteuſis, quæſt.* 34. & multi alij allegati per prædictos.

Nec obſtare viſum fuit, dum ex aduerſo dicebatur, dd. filios prædicti Michaelis non poſſe ſuccedere in hac emphyteuſi, cum eſſet hæreditaria, per verba illa, pro ſe, ſuiſque hæredibus, & dd. filij repudiauerint hæreditatem d. Michaelis eorum pa-
4 tris, ita vt † qui non eſt hæres, non poſſit in ea ſuccedere, vt per Roland. *in conſil.* 3. *num.* 18. *lib.* 4. Pariſ. *conſil.* 4. *num.* 27. *lib.* 1. Afflict. *deciſ.* 195. *numer.* 7. Addentes ad Clarum, *in §. feudum, quæſt.* 9. *in littera C.* Nam dicitur, quod ſufficit a primo acquirente deſcendere, & primi acquirentis hæredem eſſe, vel immediatè, vel mediante perſona ſuorum anteceſſorum, licet longo interuallo diſtantium, prout in caſu præſenti fuerat per dd. filios declaratum, ſe velle eſſe hæredes primi acquirentis, nec requiritur hæredem vltimi fieri, prout tenent Alexand. *in conſil.* 26. *colum. pen. verſic. non obſtant etiam quæ ſupra, lib.* 5. Dec. *in conſil.* 390. *numer.* 5. de communi Brun. *in conſil.* 18. *num.* 14. Curt. iun. *in conſil.* 1. *num.* 11. & Roland. *in conſil.* 23. *numer.* 44. *lib.* 1. Ripa, *in conſil.* 8. *num.* 29. *inter conſilia feudalia diuerſor.* Cephal. *in conſil.* 301. *num.* 140. *&* *conſil.* 608. *num.* 91. Tob. Non. *in conſil.* 2. *num.* 33. Beccius, *in conſil.* 88. *num.* 8. Clar. *in §. feudum, quæſt.* 9. *verſic. quæro an oporteat,* Chirchou. *Com. opin. Centur.* 2. *littera F. concluſ.* 31. vbi de communi, & de communi etiam teſtatur Mohedan. *deciſ.* 2. *&* 7. *de feud.* Menoch. *in conſil.* 1. *num.* 318. *&* *conſil.* 443. *num.* 28. de communi. Pancirol. *in conſil.* 122. *num.* 39. *verſic. ſed etſi,* de magis communi, & veriori teſtatur Burſat. *in conſ.* 49. *num.* 58. Surd. *in conſil.* 5. *num.* 51. *&* *conſil.* 108. *numero* 9. *&* *conſil.* 395. *num.* 41. Illuſtriſſ. Cardin. Tuſcus, *littera E. concluſ.* 167. *num.* 5. Valaſc. *de iure emphyt. quæſt.* 44. *numer.* 19. Rota Romana *deciſ.* 464. *numer.* 6. *part. prima, diuerſ.* vbi multi adducuntur. Ideo cum fuerit acceptata hæreditas primi acquirentis mediante perſona anteceſſorum d. Michaelis, ſufficere videtur.

Quo verò ad melioramenta prætenſa a d. Cecco ſub prætextu quod fuerint facta a Michaele, & alijs ſuis anteceſſoribus, aſcendentia ad ſummam ſcutorum 450. & propterea tamquam ipſius propria prætenderet ad ipſum ſpectare. Reſpondetur, talia melioramenta non probari ex proceſſu facta fuiſſe a d. Michaele, nec ab aliquo ex eius aſcendentibus, vnde cum non conſtaret de ipſis, & quod

5 fuerit † tantum impenſum, & tantum melioratum, (prout requiritur) vt de cõmuni omnium Laderch. Excellentiſs. *in conſi. 144. per totum* Capic. *deciſ. 93. num. 9.* Aſſiſ. *deciſ. Peruſ. 58. num. 14.* non videntur poſſe procedere petita, propterea debebant æſti-
6 mari † iſta melioramenta quæ conſtãt in ædificijs tamquam rudera ac cementa, non autem velut ædificium conſiſtens, de magis communi Bero. *quæſt. 96. num. 4. verſic. ſi verò*, non autem eo modo, quo fuerant æſtimata.

Accedat etiam, quia (dato, non autem conceſſo) quod talia melioramenta eſſent optimè proba-
7 ta, & eſſent debita; attamen cum † ſint acquiſita domino directo, non autem emphyteutæ, quia
8 † quidquid adhæret ſolo, cedit ſolo, *§. cum in ſuo,*
9 *Inſt. de rer. diuiſ.* merito † debebant peti iſta melioramenta contra dominum directum, non autem
10 contra ipſum emphyteutam; quia † dominus directus non emphyteuta tenetur ea ſoluere, Bartol. *in l. 3. §. generaliter, ff. de impenſ. in rebus dotal. fact. & in l. in fundo, num. 6. ff. de rei vendicat.* Boer. *deciſ. 44. num. 7.* quos refert, & ſequitur Ioſeph. Ludouic. qui de communi omnium Doctor. ſententia teſtatur, *in concluſio. 12. col. 8. & in deciſ. Peruſ. 24. nu. 6.*

ARGVMENTVM.

Quocumque modo res, quæ agitur inter ſanguine coniunctos reddatur dubia, ſemper eſt pronunciandum pro compromiſſo faciendo, &c.

SVMMARIVM.

1 *Vbi adeſt caſus legis, ceſſat omnis altercatio iuris.*
2 *Inſtrumentum dicitur vulneratum, quoties contra illud deducuntur probabiles dubitationes, quo caſu eſt faciendum compromiſſum non obſtante ſtatuto, quod vbi adeſt inſtrumentum quietantiæ, non fiat compromiſſum.*
3 *Bannitus non poteſt contractum aliquem facere.*
4 *Bona cui ſunt publicata, non poteſt de eis aliquo modo diſponere.*
5 *Tranſactio non videtur valida vbi non adeſt lis, vel timor litis, ſed redditur ſuſpecta.*
6 *Renunciatio facta inſtrumento ab eis, qui habent ex eo commodum, reddit illud ſuſpectum ſi non apparet aliqua iuſta cauſa talis renunciationis, & de facili reſcinditur.*
7 *Compromiſſum eſt faciendum quotieſcumque adeſt aliquod probabile dubium.*
8 *Iudex quantum fieri poteſt curare debet vt lites inter coniunctos dirimantur.*

DECISIO XXIX.

MAg. Petrus & ſer Marius de Carellis interpoſuerunt recurſum ad Rotam a pronuncia Dom. Iudicis ordinarij, in qua declarauerat eſſe faciẽdum compromiſſum quarumdam prætenſionum Mag. Dom. Theophili de dd. Carellis contra dd. Petrum & Marium, quæ pronũcia fuit per Rotam confirmata, eo quia cum dd. de Carellis eſſent inuicem ſanguine coniuncti, erat enim Dom. Theophilus patruus dd. Mag. Petri, ac ſer Marij, & ipſi nepotes ex fratre, veniebat pronunciandum, (prout fuerat pronunciatum) pro compromiſſo faciendo, per claram diſpoſitionem ſtatuti, *in cap. 146. lib. 1. & cap. Rotæ 57.* attenta maximè petitione de eo facta per d. Mag. Theophilum
1 † vbi enim extat caſus legis, ceſſat omnis altercatio iuris, *l. ancillæ, C. de furt.* vbi Gloſſ. Crauet. *conſil. 4. num. 21. conſil. 10. numer. 7. & conſil. 273. numero 7. ac conſil. 317. num. 1.* Petr. Cabal. *in conſil. ciuil. 164. numero 7.*

Nec obſtare viſum fuit, dum in d. ſtatuto *capit. 146. in verſic. & prædicta omnia & ſingula*, diſponitur, quod in rebus finitis, vel quæſtionibus, ſeu controuerſijs, vel cauſis in iudicio, vel extra per iudicialem ſententiam, vel laudum, ſeu per tranſactionem, pactum, ſiue iuramentum, vel aliter quomodocumque terminatis, non ſit locus compromiſſo, & quod in præſenti cauſa exſtaret inſtrumentum tranſactionis, quietationis, ac pacti de non petendo, & ſic videretur nos verſari in re finita, & proinde non eſſe
2 locum compromiſſo. Quia dicitur, quod † quotieſcumque principaliter in iudicio allegatur, & deducitur nullitas ipſius inſtrumenti, vel eiuſdẽ reſciſſio ex capite enormiſſimæ læſionis, vel ex aliqua alia probabili dubitatione, tunc dicitur inſtrumentum vulneratum, & ſuper hoc compromiſſum fieri debet, vt voluerunt Socin. *in conſil. 4. lib. 1. & in conſil. 266. num. 3. & 4. lib. 2.* Dec. *in conſil. 474. numero 3.* Ruin. *conſil. 128. num. 13. lib. 4.* Crot. *conſil. 127. numero 9.* Natta, *conſil. 51. nu. 19.* Blanch. *de comprom. quæſt. 4.* Oſaſch. *deciſ. Pedemon. 129. num. 7.* Beccius *conſil. 52. num. 91.* Surd. *conſil. 252. num. 21. lib. 2. & conſil. 351. nume. 50. lib. 3.* Honded. *in conſil. 9. num. 13. libro 1.* Cabal. *conſilio ciuil. 157. numero 13.* & ſecundum hanc opinionem fuit pluries deciſum in hac Rota.

Pro parte verò d. D. Theophili allegabatur nullitas eiuſdem inſtrumenti ex quattuor capitibus. Primò ſcilicet, ex defectu propriæ perſonæ, ex eo quia
3 ipſe tunc temporis erat bannitus † pro delicto capitali, & per conſequens inhabilis ad contrahendum, & alienandum, ad text. *in l. poſt contractus, ff. de donat.* vbi Bart. & alij, Peregrin. *de iure fiſci, lib. 5. num. 181.* Illuſtr. Card. Tuſcus, *concluſ. 349. num. 1. tomo 8.*

4 Secundò, ratione † bonorum publicatorum, de quibus non erat ſibi permiſſum aliquo modo diſponere ſeu tranſigere, ad tradita per Farin. *quæſt. 25. num. 177. cum ſeq.* Franc. *deciſ. 212. & ſeq.* Peregr. *de iure fiſci, lib. 5. num. 181.*

Tertiò, quia videbatur deficere ſubſtantia tran-
5 ſactionis, ſtante, quod † nulla tunc adeſſet lis, nec timor litis, *l. 1. C. de tranſact.* Dec. *conſil. 351. nu. 3.* Oſaſch. *deciſ. 91.* Surd. *deciſ. 185. num. 9.*

Quartò, quia quattuor ex perſonis in dicto inſtrumento intereſſe habentibus, & nominatis,
6 renunciauerant † dicto inſtrumento, ex quo dicebatur

batur ſaltem præſumi poſſe pro ipſius iniuſtitia, & læſione d. Mag. Theophili, hocque ipſum adiuuare ad reſciſſionem ipſius, ad tradita per Pariſ. *in conſil. 12. num. 73. lib. 2. & conſil. 100. num. 73. lib. 1. & conſil. 65. num. 59. lib. 3.* Angel. *in conſil. 326. in 4. dub. circa finem.* Aret. *in conſil. 129. in 1. quæſt.* Dec. *in conſil. 421. num. 4.* Rota Romana *in nouiſſ. par. 1. deciſ. 709. num. 3.*

Vlterius deduxit idem D. Theopbilus enormiſſimam læſionem ex pluribus capitibus, de quibus in eius petitione: & licet contra huiuſmodi capita læſionis, & nullitates ſuperius allegatas, deducerẽtur multa pro parte aduerſa, quia tamen etiam per d. Dominum Theophilum plures fuerant allatæ reſponſiones, ac replicationes, ex quibus negari non poterat quin res redderetur val-
7 de dubia, vnde † in dubio erat pronunciandum eſſe faciendum compromiſſum, vt alias tenuimus, & ſæpius in iſta Rota fuit temporibus anteactis obſeruatum, ac tradunt Alexan. *in conſil. 63. num. 24. lib. 4.* Socin. *conſil. 51. num. 4. lib. 1.* Ioſeph. Ludouic. *deciſ. 26. num. 17.* Decian. *reſponſo 19. num. 26. lib. 4.* Honded. *in conſil. 9. nu. 10. lib. 1.* Carpan. *ad Statuta Mediolan. cap. 115. nu. 23. & 24. & 145. & 148.* Quod quidem tanto magis erat determi-
8 nandum ex quo partes boni † Iudicis erant ad exonerationem conſcientiarum, ad pacem, caritatemque firmandam inter tales ſanguine ita coniunctos pronunciare, debere fieri compromiſſum, vt dicit Socin. *in citato conſil. 4. in fine,* & per Aemilian. *in conſil. 40. nu. 14.*

ARGVMENTVM.

Euictio quando debeatur, & quando quis teneatur litem in ſe ſuſcipere.

SVMMARIVM.

1 *Verbum, quouis, importat omnes cauſas cogitabiles, ſiue excogitabiles, maiores, vel minores, ſiue æquales, aut ſimiles.*

2 *Aliud eſt teneri de euictione, & aliud eſt teneri ad ſuſcipiendum in ſe litem ex pacto conuento: quia ſtatim ac fuerit lis mota, licet non ſit ſequuta euictio, tenetur venditor in ſe litem ſuſcipere.*

3 *Euictio quando poſt contractum cauſatur, & non ex cauſa antecedenti, non tenetur venditor de euictione.*

4 *Euictio quoties prouenit ex natura rei, non ſufficit ſimplex, & generalis promiſſio de euictione, ſed requiritur ſpecialis, & expreſſa in tali caſu, ad hoc vt venditor teneatur de euictione.*

5 *Quo caſu non tenetur etiam venditor ſuſcipere litem, & defendere emptorem, licet promiſsio de defendendo adeſſet.*

6 *Vnica determinatio reſpiciens plura determinabilia debet æqualiter ea determinare.*

7 *Copulæ natura eſt repetere inſequens copulatum qualitates omnes, quæ inſunt in præcedenti.*

8 *Qui non tenetur de euictione re ablata, non eſt etiã obligatus ad defenſionem lite mota ex illa cauſa; quia à quo remouetur euictionis obligatio, remouetur etiam defenſio, & iudicij ſuſceptio.*

9 *Teſti de facto proprio deponenti non creditur, quando agitur de præiudicio tertij.*

10 *Non dicitur quid tale, niſi probetur eſſe tale.*

11 *Teſti de facto proprio deponenti eſt plena fides adhibenda concurrentibus alijs adminiculis, & probationibus licet imperfectis.*

12 *Teſtis de facto proprio deponens, quando non habet intereſſe honoris, commodi, vel alterius generis, etiam ſi ſit vnicus plenè probat.*

13 *Tabellioni magis creditur, quam alijs priuatis.*

14 *Verba debent reſtringi, & intelligi ſecundum voluntatem agentium.*

15 *Verba appoſita inter pacta vtilia, & ſic in exequutiuis, non debent operari, nec ampliare, & extendere præcedentem diſpoſitionem, cui accedunt, vt trahantur ad caſum, ad quem aliàs non traherentur.*

16 *Euictionis promiſsio intelligitur locum habere, quando res euincitur de iure, & per ſententiam iudicis, eo quia meliora ſunt iura actoris.*

17 *Clauſula (omni meliori modo) operatur, vt dici non poſſit aliquem voluiſſe ſe reſtringere ad ſpecificata, ſed voluiſſe actum gerere eo modo, quo melius de iure potuit.*

18 *In libello debet attendi concluſio ad cognoſcendam actionem quã actor in illo iudicio voluerit intẽtare.*

DECISIO XXX.

IN cauſa appellationis interpoſitæ ad Rotam per Magnif. D. Auguſtinum de Sinibaldis, a ſententia Do. Iudicis primarum inſtant. lata ad fauorem Spect. Iacobi Bernardinij. Quamuis prima facie dicendum videretur fore pronunciandum ad fauorem d. Magnif. Auguſtini, quod ſcilicet Spect. Iacobus Bernardinius teneretur ad ſuſcipiendum in ſe litem, & quæſtionem motam d. Magn. Auguſtino a D. Hieronymo Bernardinio, & conſeruare eum penitus indemnem ab huiuſmodi moleſtia, iuxta obligationem eidem factam in inſtrumento venditionis, in quo d. Spect. Iacobus promiſerat, quod ſi aliquo tempore prædicto emptori mota fuerit lis, & controuerſia ſuper dd. bonis, aut quauis eorum parte, vel particula, & tam ſuper proprietate, quam ſuper poſſeſſione, tam per libelli oblationem, quam per ſimplicem citationem, aut alio quouis modo, iure, cauſa, vel forma moueretur, ipſam litem, cauſam, quæſtionem, controuerſiam, vel differentiam, poſtquam ſibi fuerit denunciata in ſe ſuſcipere, ipſumq; ſuis ſumptibus, & expenſis defendere, & ad pœnas, & obligationes, &c. Quæ verba cũ ſint ita ampla, & prægnantia, videntur comprehendere omnem caſum euictionis, ſiue ex cauſa retractus patrimonialis, ſiue alio quouis modo, & cauſa proueniat, &
1 maximè per verbum † illud (quouis) in ipſa promiſſione appoſitum, quod eſt eius naturæ, ut com-

prehendat omnes cauſas excogitabiles, maiores,
vel minores, vel ſimiles, vt dicit Bertazol. *in ſuo
tract. de clauſul. clauſ. 21. gloſ. 16. & deciſ. Romana
in nouiß. 152. par. 2. num. 5.* & hoc, etiam ſi euictio
nondum ſit ſequuta, cum duo in iſta promiſſione
continerentur, euictio ſcilicet, & ſuſceptio litis in
2 ſe; † aliud eſt enim teneri de euictione, & aliud eſt
teneri ad ſuſcipiendam in ſe litem ex pacto conuē
to: quia ſtatim ac fuerit lis mota ſuper re vendita,
licet non ſit ſequuta euictio, videtur teneri vendi-
tor in ſe litem ſuſcipere, vt per Ceph. *in conſil. 168.
num. 8. & 10.* per text. *in l. ſi plus, §. mota, de eui-
ction.* cum alijs per d. Cephal. allegat. & in termi-
nis Natta *in conſil. 232. num. 1.* vbi de communi te
ſtatur, Oſaſch. *deciſ. 68.* & Burſat, *conſil. 173. num.
20.* cum ibi allegatis.

His tamen, & alijs adductis in contrarium non
obſtantibus, fuit contrarium per nos reſolutum, &
abſolutus d. Spect. Iacobus a petitis per d. Magnif.
Auguſtinum, confirmando ſententiam D. Iudicis
a quo, ex pluribus.

Primò, quia euictio, de qua agebatur, cauſata e-
rat ex contractu ipſo venditionis, & ſic originem
habebat, & in eſſe deducebatur poſt perfectum
3 contractum venditionis, ſed † quando poſt contra-
ctum cauſatur euictio, & non ex cauſa anteceden-
ti, non tenetur venditor de euictione, vt habemus
textus expreſſos *in l. 3. ff. de euiction.* vbi habetur,
quod ſi actio cępit eſſe poſt venditionem, non debe
tur euictio, idem probatur ad litteram *in l. Lucius,
ff. de euiction. necnon & in l. 1. C. de peric. & commod.
rei vend.* vbi etiam not. Bartol. Bald. Salic. atque
Caſtrenſ. & Tiraquel. *de retractu conſanguin. glo. 9.
num. 33. & 34.* & lauſſimè Surd. *in conſil. 15. nu-
mero 27.*

4 Secundò, quia † quotieſcumque prouenit eui-
ctio ex natura rei, non ſufficit ſimplex, & genera-
lis promiſſio de euictione, ſed requiritur ſpecialis,
& expreſſa in tali caſu, vt declarat Bar. *in l. ſi filiæ,
in fine,* vbi Bald. *num. 8.* Angel. *in fine,* Salic. *pro-
pè finem,* Caſtren. *in vlt. verbis, C. famil. herciſcun.*
Beccius, *in conſil. 24. num. 34.* Surd. *d. conſil. 15.
num. 4.* Aymo, *conſil. 211. num. 6. lib. 2.* Petra *de fi-
deicommiß. quæſt. 54. num. 44.* Peregrin. *de fidei-
comiß. artic. 52. num. 69.* Menoch. *lib. 3. præſumpt.
112. num. 12.* qui de communi teſtatur, & Rota
Romana, *in nouiſſim. diuerſor. deciſ. 152. num. 4. par.
2.* Sed in caſu iſto euictio fit ex natura rei, & nulla
facta fuit ſpecialis promiſſio de eo, igitur venditor
non tenebatur de huiuſmodi euictione.

Tertiò, quoniam propter tales rationes ſupra
adductas, & alias, Doctor. determinant in his ter-
minis venditorem non teneri de euictione proue-
niente ex iure retractus, ita enim tenent Afflict. *in
tractat. iuris protomiſ. §. 2. num. 37.* Tiraquel. *de re-
tractu lignagier, gloſ. 9. num. 35.* Caballin. *in tract. de
euiction. §. tertio, num. 167.* Ioan. de Amic. *in con-
ſil. 145. num. 18.* Grat. *in conſil. 114. num. 1. lib. 1.*
Surd. *in d. conſil. 15. nume. 29.* Carpan. *ad ſtatut.
Mediolan. capit. 417. num. 755. & ſequen.* nouiſſi-
mè Cæſar Roſſiner. *in ſuo tract. practicar. quæſt.
cap. 31. num. 21.*

Quibus ſic ſtantibus, ſequebatur, etiam quod
5 ſicut † venditor in præſenti caſu non tenebatur de
euictione emptori re ab ipſo per retractum ſubla-
ta, ita pariter non tenebatur litem in ſe ſuſcipere,
& emptorem in caſum prędictum defendere, cum
ad hunc caſum trahi, & extendi non poſſit eius ob-
ligatio, & in eo non cenſeatur facta obligatio ali-
qua, neque de euictione, neque de ſuſcipiendo in
ſe litem, & emptorem liberare ab omni moleſtia;
quod comprobatur etiam, ponderando quod Spe-
ctab. Iacobus copulatiuè promiſit de euictione,
& legitima defenſione ſub vnica ſtructura verbo-
rum; Sicuti ergo promiſſio euictionis non compre
hendit auocationem rei venditæ ex cauſa retra-
ctus, (vt ſupra dictum fuit,) ita etiam nec caſum
6 defenſionis; quia † vnica determinatio reſpiciens
plura determinabilia, debet æqualiter ea determi-
nare, *l. iam hoc iure, ff. de vulg. & pup. l. Lucius, ff. eo.
l. quamuis, C. de impub. & alijs ſubſt.* Rom. *in conſil.
308. num. 4.* Paril. *in conſil. 45. num. 77. lib. 1.* Ce-
phal. *in conſil. 67. num. 22.* Surd. *in conſ. 31. nu. 13.*
7 cum ſit † de natura copulæ repetere inſequens co-
pulatum, & qualitates omnes, quæ inſunt in præ-
cedenti, gloſ. *in l. ſi ſic, ff. quemadm. ſeru. amit.* Iaſ.
in l. fin. C. de ſucceſſor. edict. latè Surd. *deciſ. 210.
8 num. 15.* & propterea dicunt Doct. quod ille † qui
non tenetur de euictione re ablata, non eſt obliga-
tus etiam ad defenſionem lite mota ex illa cauſa,
parificando iſtos caſus, vt per Ruin. *in conſil. 132.
num. 12. lib. 2.* Caballin. *in tractat. de euiction. §. 3.
num. 167.* quia à quo remouetur euictionis obliga-
tio, remouetur & defenſio, & iudicij ſuſceptio, vt
in terminis tradunt Tiraquel. *de retractu lignagier,
§. 1. gloſ. 4. num. 34.* Alciat. *in conſil. 133. num. 4.
in fine,* Coraſ. *in conſil. 255. num. 5. lib. 3.* Soc. iun.
in conſil. 52. num. 17. & 18. lib. 4. Roland. *in conſil.
51. num. 12. lib. 4.* non enim eſt veriſimile, quod
Dominus Iacobus litem in ſe ſuſcipere voluerit in
caſu in quo de ipſa euictione non intellexit ſe o-
bligare Ruginel. *in ſuis practic. quæſt. capit. 31. per
totum.*

Quartò, etiam dicitur d. Spect. Iacobum non
teneri de tali euictione, & litis defenſione, ex eo,
quia in proceſſu hr̄ per depoſitiones ſer Saladini de
Saladinis notarij rogati de tali venditione, ac etiā
Ioannis Granuccij, quod in prima minuta inſtru-
menti venditionis, aderat expreſſa mentio, quod
euictio etiam extenderetur ad recomperam patri-
monialem; & in ſecunda minuta, ſuper qua fuit ce
lebratum inſtrumentum, fuit talis clauſula faciens
expreſſam mentionem de d. recompera patrimo-
niali, de cōſenſu partium deleta, ac ſublata, ex quo
arguitur, voluntatem d. Spect. Iacobi, non fuiſſe,
velle ſe obligare de euictione, & legitima defenſio
ne in caſu talis recomperæ patrimonialis. Et licet
contra depoſitiones dictorum teſtium fuerit op-
poſitum, quod ſer Salandini dictum non probet,
9 cum de facto proprio deponat, & † teſti de facto
proprio deponenti non credatur, maximè quando
agitur de præiudicio tertij; hoc enim modo vide-
tur declarata iſta quæſtio ſatis controuerſa per
Doctor. vt per Benintend. *deciſ. 63. num. 2.* & de

veriori

veriori teſtatur Ruin. *in conſil.19.num.2. & 6.volum.5. & conſil.161.num.1.vol.4.* & alios allegat. per Benintend. *in d.deciſione.* Farinac. *de oppoſit.contra perſon.teſt. quæſt.63.num.225.* Menoch. *de arbitr.iud.lib.2.caſu 99.nu.17.* & alios multos per eũ alleg. & Ioan. Granuccius eſt conſobrinus, & ſic ſanguine coniunctus ipſius venditoris; vnde non videbatur probatum tale fundamentum. Huic tamen obiecto reſpondetur, & incipiendo a Ioanne Granuccio, dicitur nullibi fuiſſe probatum in proceſſu talem ſanguinis coniunctionem dicti
20 Granuccij cum dicto venditore, vnde † non dicitur quid tale, niſi probetur eſſe tale, Decius *in conſil.222.* Roland. *conſil.12.num.73.vol.3.* Ruin. *in conſil.85.num.4.vol.4.* Magonus *deciſ.Lucen.93.* Lepid. *deciſ.Luc.16.* Quo verò ad ſer Saladinum, licet quæſtio ſit valde controuerſa in iure, an teſtis de facto proprio deponens faciat plenam probationem, vt per multos allegatos per Farinac. *in allegata quæſt.63. per totam*, Attamen veriſſima,
21 & ab omnibus recepta eſt ſententia, quod † tali teſti de facto proprio deponenti ſit plena fides adhibenda, concurrentibus alijs adminiculis, & probationibus licet imperfectis, vt per Benintend. *deciſ. Bonon.63.ad finem.* Cephal. *in conſil.438.nu.48. lib.3. & conſil.452.num.11.lib.4.* Menoch. *de arbitr.indic.lib.2.caſu 99.num.17.* & per alios multos quos allegat idem Farinac. *in d.quæſt.63.num.221.* Alex. & Iaſon, *in l.2.§.ſi abſens, ff.ſi ex noxal.cauſ.agat.* Socin.iun. *in conſil.62.numer.6.lib.1.* Blanch. *de compromiſſ.quæſt.8.in fine, verſ.ad illud.* Alba *in conſil.302.num.1.* At in caſu noſtro vltra dictum ſer Saladini, adeſt etiam depoſitio dicti Granuccij, qui fuit is, qui copiam fecit dictæ primæ minutæ ſibi traditæ a dicto ſer Saladino, in quo teſtatur adfuiſſe dictum pactum euictionis in caſu recompræ patrimonialis, vnde erat dicendũ, hoc plenè fuiſſe probatum, licet Granucc. non eſſet teſtis integer: quia dictum ſer Saladini pluſquã ſemiplenè videtur probare, vt per Farinac. *in dicta quæſtio.63.num.224. cum ibidem allegatis.* Immò
22 quod † teſtis de facto proprio deponens, quando non habet aliquod intereſſe, vel honoris, vel commodi, ſeu vtilitatis, vel alterius generis, in cauſa in qua deponit, etiam ſi vnicus ſit, tamen plenè probet, tenuerunt Caſtrenſ. *in l.quicumque, in fine, C.de ſeru.fugit. & in l.2.§.ſi abſens, num.4.ff.ſi ex noxal.cauſ.agat. & in l.ſeruos, C.de teſtib. & in conſil.34. Ego Paulus, col.2.verſ.pro ſecundo verò facit, lib.1.* & Crot. qui teſtatur de vera, & communi opinione, *in conſ.111.num.18.* Viuius, *comm.opin. in verbo, teſtis vnicus,* vbi aſſerit hanc opinionem in conſulendo, & iudicando intrepidè ſequendam eſſe. Cephal. *in conſil.179.num.7. & conſ.225.num.35.lib.2.* & Burſat. *in conſil.94.num.16.lib.1. & in conſil.434.num.25.lib.4.* vbi dicit, quod omnes ſequuntur. Caſtrenſ. *in d.l.quicumque*, Blanch. *de compromiſ.quæſt.8.num.35.per totam*, atteſtans de communi & reſpondens contrarijs. Tiraquel. *de retractu lignag.§.1.gloſ.14.num.47.* & per alios allegatos per eumdem Farinac. *de oppoſ.contra perſon.teſtium, quæſt.63.in princip.* Vnde cum non appareret d. ſer Saladinum habere aliquod intereſſe, vel commodum in tali cauſa, & cum ſit eius perſona
13 officio tabellionatus ornata, cui † magis creditur, quam alijs priuatis perſonis, Gloſ. *in Auth.de teſtib. in fine, gloſſa magna, in §.quia verò,* Bald. *in Authen. Sed cum teſtator, num.16. C.ad leg.Falc.* Roman. *Singul.360.* videtur probare optimè, etiam ſi alia non exſtarent adminicula, vt dicit Menoch. *de arbitr. iudic.in d.caſu 99.in fine,* relinquens hoc arbitrio iudicis, conſiderata perſonæ & facti qualitate.

Non videtur etiam obſtare, quod illa verba (quouis modo) comprehendere euictionem quocumque modo prouenientem poſſent, etiam ex natura rei, prout poſt Tiraquel. declarat Rota Romana *in nouiſſimis diuerſor.deciſ.152.par.2.* Quia cum ex ſupra deductis appareat voluntatem venditoris non fuiſſe velle ſe obligare, nec teneri de euictione ex cauſa retractus patrimonialis, non poſſunt talia verba operari vltra voluntatem contrahentium, &
14 plus eos obligare, quam ſit eorum intentio, † ſed debeat reſtringi, & regulari ſecũdum intentionem agentium, Crauet. *in conſil.674.num.35. & 36.* cum enim de conſenſu partium fuerint deleta verba, quę faciebant mentionem de tali retractu patrimoniali, videntur etiam declaraſſe, ne euictio deberetur in iſto caſu, Bal. *in l.1.nu.9.* Sal. *nu.8.C.de peric. & comm.rei empt.* Rom. *ſing.387.* Corn. *conſil.226. num.6.lib.2.* de communi Gomez *de empt. & vend. num.39.* Franc. *deciſ.239.num.2.* Et verba (quamuis generaliſſima) debent reſtringi ſecundum diſpoſitionem contrahentium, Eugen. *in conſil.53.num.34.* Gabriel. *conſil.69.num.10.lib.2.* Rota Romana *deciſ.55.num.11.par.2.diuerſor.*

Secundò etiam reſpondetur, quod illa verba (quouis modo) ſunt appoſita modo, quo lis moueretur, & ſic ad determinationem modi litis mouendæ, & ideo non videtur poſſe extendi ad promiſſionem vniuerſalem euictionis vltra intentionem proferentis, ex quacumque cauſa ſequeretur, *l.non omnis, ff.ſi cert.petat.* Alexan. *in conſil.118.num.13. lib.2.* Aymo, *conſil.300.num.7.* Surd. *conſil.112.numero 45.* Sed ſenſus illorum verborum eſt, vt in caſibus ſub ſimplici promiſſione euictionis comprehenſis venditor teneretur ad defendendum emptorem, ſi quo tempore ſibi lis mota eſſet ſuper bonis venditis, ſiue mota eſſet per libelli oblationem, ſiue per ſimplicem citationem, ſiue alio quouis modo;
15 cum enim huiuſcemodi † verba reperiantur poſita inter pacta vtilia, & ſic in exequutiuis, non debent ampliare, & extendere præcedentem diſpoſitionem, cui accedunt, vt trahatur ad caſum, ad quẽ aliàs non traherentur, Gloſſ. *in Clement.1.de præb.* Alexand. *in l.qui Roma, §.duo fratres,* vbi Ripa *nu.45.ff.de verborum oblig.* Felinus *in capit.licet, de offic. ordinar.* Caputaquenſ. *deciſ.83.num.3.prima parte,* Oſaſch. *deciſ.Pedemont.164.numer.1.* Becc. *in conſil.111.num.25.* Honded. *conſil.14.num.49.lib.2.* Surd. *conſil.453.num.38.*

Nec etiam obſtat dum dicebatur, iudicium contra Magnif. Auguſtinum fuiſſe motum non ſolum iure retractus patrimonialis, ſed etiam ex pacto recompræ conuentionalis, vt videtur conſtare ex li-

bello: nam dicitur, quod quamuis in libello ſit facta montio de iſto pacto recompræ, attamen ex iſto capite non fuit proſequuta talis auocatio, immò renunciatum, prout ex deductis apparebat, & ex ſcripturis allegationum, vbi Domini Aduocati hoc fatebantur. Et quatenus hoc etiam fuiſſet intentatum, non poſſet eſſe locus euictioni promiſſæ, quia lis de facto mota diceretur ſtante renunciatione, de qua in diuiſione ſequuta inter Dominum Iacobum, & Dominum Hieronymum, ob quam Dominus Hieronymus excluſus remanebat ab omnibus iuribus hæreditarijs in Dominum Iacobum translatis, per renũciationem earum, & ceſſionem
16 factam in d. Dominum Iacobum. Promiſſio † enim euictionis intelligitur, quando res euincitur de iure, & per ſententiam Iudicis, quia meliora ſunt iura actoris, Angel. *in l. ſi filiusfamilias, §. ſi iuri, nu. 3. ff. ſoluto matrim.* Abb. *in cap. finali, num. 7. de empt. & vend.* vbi Anan. *num.* 12. Alexand. *conſil. 191. in fine, lib. 6. & in conſil. 117. num. 3. lib. 7.* Berous, *in conſil. 41. num. 49. lib. 1.* Gomez. *de empt. & vend. num. 43. verſ. octauus*, & Roland. *in conſil. 45. num. 19. lib. 3.* necnon Bertaz. *in conſil. ciuili. 116. nu. 7.*

Preterea, ſi ex hoc capite non poterat ſequi euictio, nec res ex retractu conuentionali auocari a poſſeſſore ſtante renunciatione prædicta, non poterat eſſe locus euictioni promiſſæ, cui non eſt locus, niſi quando per ſententiam exequutioni demandatam res euincitur, & emptori auſertur, *cap. habere licere, de euiction. l. qui rem, C. eod.* Bald. *in conſil. 3. lib. 1.* Ioan. de Imola, *in conſil. 82. num. 1. in fine.* Riminal. *in conſil. 147. num. 18.* Socin. iun. *in conſil. 81. num. 9. lib. 1.* Berous, *in conſil. 41. num. 10. lib. 3.* Becc. *conſil. 106. num. 44.* Crauet. *in conſ. 845. num. 12.* Surd. *in conſil. 359. num. 38.*

Nec tenebatur etiam D. Iacobus litem in ſe ſuſcipere ex hoc capite retractus cõuentionalis: quia cum ex hoc iure conuentionalis retractus non fuerit proſequutum iudicium, nec producta inſtrumenta, & alia ad hoc neceſſaria, nec illata aliqua moleſtia d. magnifico Auguſtino, ſed tantummodo ex capite retractus patrimonialis, vt ſupra dictum fuit, & vt apparebat ex ſententia, & deciſione Rotæ ſuper hoc emanata, vtique non tenebatur Spect. Iacobus ſuſcipere litem in ſe, & ea moleſtia liberare magnificum Auguſtinum, cum ex hoc capite (vt dictum fuit) non fuerit eidem illata aliqua moleſtia per magnificum Hieronymum, & propterea non erat opus aliqua defenſione.

Nec erant attendenda illa verba in libello apposita, tam ex iure patrimonialis, quam conuentionalis retractus, ſtante maximè clauſula imme-
17 diatè ſubſequente (Et † omni meliori modo) quæ operatur, vt dici non poſſit voluiſſe Do. Hieronymũ ſe ad ſpecificata reſtringere, ſed actum voluiſſe gerere eo modo quo melius de iure potuit, & ſi vno modo non poſſet agere, nempè ex retractu conuentionali, ſtante renunciatione, & ceſſione iurium facta fratri, alio tamen ex retractu patrimoniali dicatur egiſſe, Honded. *in conſil. 25. libro 2.* Bertazol. *conſil. ciuili 64. num.* 17. vbi dicit hanc clauſulam operari, vt inepta expreſſio non attendatur, ſed illud tantum quod poterat, & debebat exprimi. Magon. *deciſ. Lucana 32. num. 30.* vbi dicit quod d. clauſula in libellis operatur, vt melior via ſemper cenſeatur electa, cum alijs vulgaribus.

Accedat etiam, quod in concluſione libelli Do. Hieronymus ſe reſtrinxit ad retractum patrimonialem, & ad ratam pretij ſcutorum quindecim millium quingentorum, pro quibus fuit facta venditio Domino Auguſtino, nõ autem ad retractum
18 conuentionalem; quæ † concluſio in libello debet attendi ad cognoſcendam actionem intentatam, Bartol. & alij, *in l. ſi certi condictio, in princip. ff. ſi cert. petat.* Ripa, *in §. nihil commune, num. 11. & 193. de acquiren. poſſeſſ.* Dec. *in conſil. 493. num. 28.* Berous, *in conſil. 48. num. 8. lib. 3.* Innocen. *in cap. ſuper litteris, de reſcript.* Bart. *in l. Aurelius, §. Stictbo, & §. finali, de liber. legat.* Curt. iun. *in conſ. 223. num. 3. & ſequen.* Honded. *in conſil. 22. num. 31. & 32. lib. 2.* &c.

ARGVMENTVM.

Sententia lata pendente dilatione ad probandum, nulla eſt. Fallit hoc tamen multis modis, vt hic latè aſſeritur.

SVMMARIVM.

1 *Actore probante reus eſt condemnandus.*
2 *Sententia lata pendente dilatione ad probandum eſt nulla: quia eo tempore iudicis officium quieſcit.*
3 *Fallit, quando ſententia eſt lata ad inſtantiam & fauorem illius, qui ſecundam dilationem petijt.*
4 *Item fallit, quando fuit finita cauſa dilationis.*
5 *Sententia ex defectu iuriſdictionis nulla, poteſt, & debet per iudicem appellationis confirmari, dum in meritis bonum ius fouet, & num. 7.*
6 *Ciuilitatis beneficio vt quis fruatur, debet is inhabitare ciuitatem, ibi onera, & munera ſubire, quæ alij conciues ſuſtinent.*

DECISIO XXXI.

DOminus Curtius Perottus appellauit ad Rotam a ſentẽtia D. Commiſſarij Caſtiglionis, lata ad fauorem Gaſparis Simoncelli de eodẽ loco, quam duximus confirmandam, eo quia d. Gaſpar optimè eius intentionem probaſſe videretur, tum ex inſtrumẽto in actis producto; in quo conſtabat cloacam, ſeu (vt vulgo dicitur) andreonem, de quo controuertebatur, fuiſſe emptam ab ipſo Gaſpare aliaque omnia probaſſe, quæ ad victoriam erant neceſſa-
1 ria, quo caſu dicunt Doctor. † victoriam eſſe in tuto pro actore, vt per Cagnol. *in l. 1. §. finali, num. 14. ff. ſi quis ius dicen. non obtemperan.*

Nec obſtare viſæ ſunt duæ nullitates oppoſitæ.
2 Prima, quod † ſententia D. Commiſſarij lata fuerit

ſit pendente dilatione ad probandum, quo tempore iudicis officium conquieſcit, *l. ſiue pars, C. de dilation.* Iaſ. *in conſil.* 44. *col.* 2. *lib.* 3. Bald. *in conſil.* 434. *lib.* 2. Gabriel. *in titu. de dilat. concluſ.* 1. *num.* 1. cum pluribus allegat. Vant. *de nullit. ſenten. ex defectu iuriſdict. ordin. num.* 157. *& ſeq.*

Quia reſpondetur, diſpoſitionem *d. l. ſiue pars*,
3 non † procedere, vbi ſententia lata fuit ad inſtantiam, & in fauorem illius, qui ſecundam dilationē petijt, (vt erat in caſu noſtro) ita tradunt Franc. *in cap. ſignificante, num.* 20. *verſic. quinto limita, de appellat.* Iaſ. *in l.* 2. *num.* 39. *de re iudic.* Gratus, *in conſil.* 77. *num.* 21. *&* 22. *lib.* 2. Gabriel. qui alios allegat *de dilat. concluſ.* 1. *limit.* 1. *num.* 13. Berous, *in conſil.* 116. *num.* 5. *lib.* 3. Lancellot. *de attent. dilat. pendent. parte* 2. *cap.* 7. *num.* 14. 15. *&* 16.

Nec obſtat quod dilationes ſint communes vtrique parti; quia huic obiecto pleniſſime ſatisfacit Gratus *ſupra allegatus*, cuius dicta ſuperfluum eſt recenſere.

4 Secundò, non † procedit diſpoſitio *d. l. ſiue pars*, quando finita fuit cauſa dilationis, *l. a filia, §. alumno*, vbi Bartol. & alij, ad Trebellian. Franc. *in d. cap. ſignificante, num.* 20. *verſic. quarto limita*, Gabriel. *d. concluſ.* 1. *num.* 7. Lancellot. *loco ſupra citato, num.* 13. pulchrè Granut. *ad Veſtr. lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 3. *verſic. limita tamen*, plenè Tiraquel. *in ſuo tractatu Ceſſante cauſa, par.* 1. *num.* 74. *& infra*. At in hoc caſu cauſa dilationis erat finita, ex quo ea pendente fuerunt poſitiones actoris pro confeſſis pronunciatæ, & ſic non erat opus alio tempore ad reſpondendum.

Tertiò, & vltimò reſpondetur, quod dato, &
5 non conceſſo, quod talis † ſententia ex defectu iuriſdictionis, eſſet nulla, tamquam lata pendente dilatione: attamen cum in meritis bonum ius foueret, poterat & debebat per Rotam confirmari. Vant. *in fine eius tractatus de nullitat. num.* 132. Socin. nepos *in conſil.* 39. *in fine, lib.* 1. Hieron. Gigas *in conſil.* 83. *col. penult. verſicul. ſed etiam propoſita nullitas ſententiæ*. Carpan. *ad ſtatut. Mediolan. cap.* 135. *num.* 4. Magon. *deciſ. Rotæ Lucenſ.* 25. *num.* 45. *& deciſ.* 62. *num.* 28. Rota Ianuenſ. quæ rationem adducit, *deciſ.* 23. *num.* 15. *&* 16. *verſic. accedit*. Cornaz. qui loquitur in ſententia nulla ex defectu citationis, *deciſ. Lucana* 194. *per totam*; & hanc eſſe receptiſſimam opinionem teſtatur Gabriel. *conſ.* 49. *num.* 4. *verſic. quamuis receptiſſimum ſit, lib.* 1. Cephal. *in conſil.* 223. *num.* 21.

Secunda nullitas opponebatur ob incompetentiam iudicis, quoniam cum magnificus Curtius eſſet ciuis Lucenſis, nullam contra eum iuriſdictionem habebat d. Dom. Commiſſarius, vt per *cap.* 3. *lib.* 1. *ſtat. verſic. & generaliter quilibet Vicarius*. Cui obiectioni pluribus modis occurritur.

Primò, quia non erat verum, quod d. D. Curtius eſſet ciuis Lucenſis, licet natus eſſet in Ciuitate Lucæ; quia cum natus fuerit ex Alexandro Peretto de Caſtiglione, qui Alexander licet venerit ad habitandum Lucæ, & ibi natus fuerit d. Curtius, vt ex proceſſu conſtabat; attamen ex quo D. Curtius & d. Alexander eius pater, vna cum eorum familia redierunt ad habitandum in dictum Commune Caſtiglionis, ipſique ibidem ſemper commorati eſſent, ciuilitatem, quam d. Curtius forſitan acquiſierat ex eius natiuitate Lucæ, amiſerat, ita diſponente ſtatuto, *lib.* 3. *cap.* 9. *verſic. ceterum filij foreſtanorum, & lib.* 6. *cap.* 17. *verſic. & quia multoties, circa medium*, & ſtatutum ſupra allegatum, *lib.* 4. *cap.* 249. loquitur in filijs, qui originem trahunt a ciuibus Lucenſibus, ibi, (ſi verò fuerint oriundi.) Quando autem trahunt originem a diſtrictualibus (vt in caſu iſto) cum pater d. Curtij eſſet de Caſtiglione, tunc per ſolam natiuitatem, ſi deſierint habitare in ciuitate, non dicuntur ciues, vt per ſtatuta ſuperius allegata, ſaltem quoad effectum fruendi priuilegijs ciuium.

6 Secundò, de iure communi ad † hoc vt quis fruatur beneficio ciuilitatis, debet inhabitare Ciuitatem, ibique munera, ac onera ſubire, quæ alij conciues ſuſtinent, non autem ſtatim poſt natiuitatē alibi domicilium contrahere, prout conſtat in hoc caſu factum fuiſſe, vt tradunt poſt alios quos allegat Anchar. *in conſil.* 437. *num.* 2. Ruin. *conſil.* 112. *num.* 10. *verſic. ſed tamen præmiſſis, lib.* 5. Boerius *deciſ.* 13. *num.* 45. *&* 260. *num.* 34. Plenè Afflict. *deciſ.* 384. *per totam*. Roland. *in conſil.* 79. *num.* 26. *lib.* 3. Bertazol. *conſil. ciuili* 124. *num.* 7. Surdus *conſil.* 313. *num.* 6. Laderch. Imol. qui de communi teſtatur, *in conſi.* 61. *num.* 3. & eſt textus expreſſus *in l. ſemper, §. negotiatores, de iure immun.* quem ad hoc citat Ludou. *deciſ. Peruſina* 3. *num.* 17.

7 Tertiò, dato etiam quod talis † nullitas iuriſdictionis adeſſet, tamen cum ſententia videatur ius fouere circa merita, & ita eſſet pronunciandum, vtique non obſtante tali nullitate, debuit per Rotam confirmari, vt ex ſupra deductis fuit comprobatum, & per Alexan. *in conſil.* 111. *num.* 3. *Addit. dat, concordantes lib.* 5. Gabriel. *de ſtat. concluſ.* 3. *nume.* 25. Vant. *de nullitate ex defectu proceſſ. num.* 8. *&* 9. qui de communi teſtatur, *& in tit. quib. mod. ſen. defen. num.* 132. Magon. *deciſ. Lucana* 92. *num.* 33. vbi de communi teſtatur.

Accedat etiam, quia cum talis exceptio ciuilitatis non fuerit deducta in proceſſu, cenſebatur prorogata iuriſdictio d. Do. Commiſſarij, quatenus deſiſſet: quia cum ſit quid facti, debebat probari, vt per Nattam, *in conſil.* 254. *num.* 2. &c.

ARGVMENTVM.

Offenſio ad defenſam propriam, vel cōſanguinei, quomodo ſit p̄miſſa.

SVMMARIVM.

1 *Conſanguinei offenſio facta ad defenſam alterius conſanguinei, eſt permiſſa, vt ſaltem non ſit locus pœnæ ordinariæ delicti, & nu.* 3.

2 *Iniuriæ propulſatio de iure naturæ cuilibet eſt permiſſa.*

3 *Ad defenſam conſanguinei licet alterum vulnerare.*

Verba

4 *Verba prouocantia alios ad offenſionem, vt puta, a-*
mazza, dagli, plata iuſto dolore, excuſatione ſunt
digna, ſaltem quod non puniantur pœna ordinaria.
5 *Ignoſcendum eſt illi, qui vlciſcitur prouocatus.*
6 *Iniuria illata conſanguineo, etiam alios conſangui-*
neos afficere dicitur, & eos ad defenſionem prouo-
care.
7 *Extraneo in periculo vitæ conſtituto ſuccurrendũ eſt.*
8 *Defenſio debet fieri eodem tempore offenſionis, & nõ*
poſt aliquod temporis interuallum; quia tunc non
dicitur defenſio, ſed vindicta.
9 *Incontinenti dicitur facta defenſio etiam poſt ali-*
quod temporis ſpatium, antequam deuentum ſit ad
extraneos actus iudicis arbitrio.
10 *Si quis inſultatus, vel vulneratus domum iret; &*
coadunatis armis rediret ad aggreſſorem, dicitur ta-
lis defenſio facta eodem temporis interuallo.
11 *Defenſio præſumitur facta incontinenti.*
12 *Mandans non poteſt maiori pœna puniri, quam exe-*
quens mandatum.
13 *Offendens ad defenſam non tenetur ad aliqua dãna,*
vel expenſas ab offenſo paſſas.
14 *Etiam ſi offendens aliqualiter modum exceſſerit.*
15 *Delicta mutua compenſatione tolluntur.*

DECISIO XXXII.

FVerat condemnatus Saluator, &
Horatius de Canouettis a D. Præ
tore Lucenſi in pœnam ordina-
riam delicti, de quo infra mentio
habetur, cuius ſententia fuit per
Rotam reformata, eo quia viſum
fuit nimis ſuiſſe grauatos prædictos de Canouet-
tis per talem ſententiam, ex quo ex proceſſu vi-
1 ſum fuit apparere, quod quidquid † factum fuerat
per ipſos de Canouettis, fuiſſe factum laceſſitis, &
ad propulſandam iniuriam ſibi ipſis illatam, & ad
defenſionem Bernardini Canouettæ eorum con-
ſanguinei, ac de eorum parentela; quod quidem
de iure permiſſum eſſe ſaltẽ ad effectum vt pœnæ
ordinariæ locus eſſe non poſſet, vt ex deductis per
Bertazol. *in conſil.* 473. *num.* 5. *in crimin.* & quoad
d. Horatium, videtur etiam factum ad propulſan-
dam iniuriam propriam, ex quo prius fuerat vulne
ratus a Bartolomeo Martini cum enſe extorto, &
cum eodem erepto è manibus dicti Bartholomæi,
2 vulnerauit eumdem Bartholomæum; & † propul
ſatio iniuriæ de iure naturæ omnibus eſt conceſſa,
l. vt vim, vbi Doct. ff. de iuſt. & iure, c. 2. c. ſignifica-
ſti, de homicid. l. 1. §. vim vi, ff. de vi, & vi armata, l.
ſciendum, §. qui cum aliter, ff. ad leg. Aquil. Bertazol.
3 *conſil. crim.* 557. *num.* 10. vbi idem dicit de † defen-
dente conſanguineum; quod poſſit eius aduerſa-
rium vulnerare, Magon. *deciſ. Lucana* 56. *per to-*
tam.

Quò verò ad Saluatorem patrem dicti Horatij
licet fuerit in proceſſu probatum, quod acclama-
uerit: *amazza, amazza, dagli, dagli*, non tamen
4 per hæc † verba viſum fuit potuiſſe in eam pœnam,
in quam fuit condemnatus, damnari, cum & ipſe
quidquid dixit, prouocatus, ac iuſto dolore præ-
uentus dixerit, cum & conſanguineũ, & filium vi-
derit in periculo vitæ conſtitutum, & vulneratu,
& ſanguinolentum, quo caſu ſtante prouocatio-
ne, & durante dolore, & ira proueniente ex iuſta
cauſa, debet per Iudicem non ordinaria, ſed mi-
tiori pœna talis condemnari, vt per text. *in l. qui*
cum maior, §. ſi libertus, in fine, ff. de bon. libert.
5 vbi dicitur, † ignoſcendum eſſe illi, qui voluit ſe
vlciſci prouocatus, & per multos quos alleg. Fa-
rinac. *de homicid. quæſt.* 125. *num.* 399. *& num.* 403.
6 & Laderch. Imol. *in conſil.* 194. *per totum.* Et † iniu
ria facta conſanguineo etiam alios afficit, & ad de-
fenſionem prouocat, *l. lex Cornelia, in princ.* & ibi
Bart. *num.* 1. *de iniur.* & latè *per deciſ. Pedem.* 15.
nu. 16. Bertazol. *conſil. crimin.* 447. *num.* 18. Surdus
7 *deciſ.* 89. *in princ.* Immò etiam † extraneo in peri-
culo vitæ conſtituto quis ſuccurrere poteſt. Dec.
in conſil. 469.

8 Et licet prædicta † omnia fuerint facta poſt ali-
quod temporis interuallum poſt aggreſſionem fa-
ctam a Bartholomeo ipſi Bernardo, & propterea
videatur non poſſe dici hæc defenſio, ſed potius
vindicta, vt dicunt multi, quos allegat Farinac. *de*
homicid. quæſt. 125. *num.* 339. & hoc, quia in fla-
granti rixa, & in ipſo actu offenſionis defenſio de-
bet fieri, quia ſic incontinenti dicitur facta, vt ex
9 Farinac. *in d. loco*: attamen, etiam † incontinenti
dicitur factum quidquid factum fuit aliquo tempo
ris interuallo antequam ſit diuerſum ad extraneos
actus, iudicis arbitrio, vt per Cephal. *in conſil.* 43.
10 *num.* 2. *verſic. & eodem modo*, vbi dicit, quod † in-
continenti dicitur ſequuta defenſio, quando inſul-
tatus, & percuſſus iuiſſet domum propriam, &
coadunatis armis rediiſſet ad aggreſſorem, illum-
que inuentum nullo alio interiecto temporis inter-
uallo vulneraſſet. Et Menoch. *in conſil.* 107. *num.*
40. *lib.* 1. vbi loquitur de eo, qui ſequenti die con-
uocatis amicis interfecit illum, a quo in die præce-
dente verberatus fuerat, dicens hanc iniuriæ pro-
pulſationem reputari factam incontinenti; & per
multos alios allegat. a Farinac. *in d. quæſt.* 125. *num.*
341. qui licet ibidem *ſub num. ſeq.* non teneat ta-
lem opinionem, eam tamen fatetur veram, ſaltem
quoad pœnam minuendam in minorem ordinaria:
quia dicitur factum ex prouocatione, licet non ad
defenſam, quo caſu pœna venit ſemper minuenda,
vt per Farinac. *in alleg. loco, & num.* 344. Bertazol.
in conſ. 434. *num.* 12. *verſic. nec video, & num.* 13.
cum ſeq. quę omnia optimè conuenire caſui noſtro
apparet, & cum ex teſtibus examinatis pro fiſco,
non conſtet an talia facta fuerint per dd. de Cano-
uettis ex interuallo, an verò incontinenti, & in ip-
11 ſa rixa, ſequitur præſumptio, quod † defenſio tam
perſonæ, quam rerum præſumitur facta inconti-
nenti, & non ex interuallo, vt per Farinac. *in dicta*
quæſt. 125. *num.* 345. & Bologn. *in l. vt vim, num.*
41. *ff. de iuſtit. & iure.*

Ex quibus patere iudicauimus, non potuiſſe d.
Saluatorem in pœnam maiorem condemnari, quã
12 ipſe Horatius, qui vulnera intulit; cum † mandans,
vel auxilium dans, non poſſit puniri maiori pœna,
quam exequens mandatum, ſed vel minori, vel ad
plus

plus eadem pœna, *vt in cap. 1. de homicid. in 6.* & ibi Hoſtien. & Doctor. alij, *in l. non ideo minus, C. de accuſat. & ibi gloſ. in ver. ignotum non eſt, l. ſi per alium, ff. ne quis eum qui.* vbi gloſ. *in verſ. ſi per alium, l. ſi quis id quod, in fine, ff. de iuriſdict. om. iud.* & per ſtat. *lib. 4. cap. 217.* puniri debet auxiliator in duabus partibus de tribus pœnæ, quæ imponenda eſſet principali offendenti. Vnde cum per ſententiam fuerit in plus condemnatus Saluator, quã ipſe Horatius, vtique veniebat reformanda ſententia D. Prætoris. Et cum Horatio licuiſſet ſaltem quoad minuendam pœnam ea facere, quæ fecit contra Bartholomæum, (vt ſupra dictum fuit) ita etiam potuit Saluator eidem auxilium, & verbis, & præſentia præſtare, nec maiori pœna poterat condemnari, quam fuerit condemnatus Horatius, vt fuit factum. Bertazol. *conſ. crimin. 505. num. 40. vſque ad finem*,

Non poterant ſimiliter d. Saluator. & Horatius condemnari in damnis, expenſis, & intereſſe partis offenſæ, prout fuerunt condemnati: Primò,
13 quia † quotieſcumque offenſio facta eſt ad defenſam, ſeu prouocationem alicuius, non tenetur offendens ad talia damna, expenſas, ac intereſſe, nec aliquis tenetur ad aliqua damna quando damnum habet admixtam culpam damnificati. Soc. *in conſ. 156. col. fin. lib. 2.* quem refert, & ſequitur Crau. *in conſ. 119. num. 11.* & Ioſeph Ludou. *in conſil. 39.*
14 *in fine*. Et prædicta ampliantur, etiam † ſi offendens aliqualiter modum exceſſiſſet, vt per eumdem Ioſeph Ludou. *in d. concluſione 39. in fine*, & per Plot. *de in lit. iuran. §. 41. num. 4. verſic. licet aliqualiter*. At cum ex ſupradictis ex proceſſu reſultantibus conſtaret dd. de Canouettis prouocatos, & ad propulſandam iniuriam illatam a d. Bartholomęo tam Bernardo aggreſſo per mediam viam, quam Horatio prius ab eodem vulnerato intuliſſe illam vim d. Bartholomæo & vulnera per Horatium, vtique viſum fuit eſſe abſoluendos à dd. dãnis, expenſis, & intereſſe in quibus fuerunt condemnati.

Secundò, quia cum Horatius fuerit prius à Bartholomæo vulneratus duobus vulneribus, & ipſe Horatius vulnerauerit Bartholomæum alijs duobus vulneribus, vtique ambo paſſi ſunt expenſas in eorum curatione, & damna, ac intereſſe, & ſic erant expenſæ hinc inde compenſandæ; cum de iu-
15 re clarum ſit † delicta mutua compenſatione tolli, per text. *in l. viro 40. ff. ſoluto matrimon.* Fuerunt tamen per nos dd. de Canouettis condemnati in pęnam pecuniariam ſatis leuem, nempe librarum 50. pro quolibet eorum, Et in reliquis confirmata ſententia D. Prætoris. &c.

ARGVMENTVM.

Bona quando dicantur patrimonialia, ad hoc vt retractui poſſit eſſe locus.

Contractus quando pręſumantur fęneratitij, propter pactum de retrouendendo, & pretij modicitatem.

SVMMARIVM.

1 *Bona ad hoc vt dici poſſint patrimonialia, ſufficit probari quod fuerint duorum per lineam maſculinam, aſcendentiũ, nempè patris & aui illius, qui alienat.*
2 *Contractus arguitur fœneratitius ex modicitate pretij, & pacto de retrouendendo.*
3 *Contractus non dicitur fœneratitius, ſecundum magis communem, propter pactum de retrouendendo, & modicitatem pretij, ſed requiritur tertium, quod emptor ſit ſolitus fœnerari.*
4 *Pactum de retrouendendo appoſitum poſt certum tempus, & per negatiuam, quod non liceat redimere, niſi certo tempore tranſacto, faciunt contractum fęneratitium.*
5 *Modicitas pretij iuncta cum pacto de retrouendendo ad hoc vt faciat contractum ſimulatum, debet eſſe immoderata, & excedere dimidiam iuſti pretij.*
6 *Valor bonorum æſtimari debet ſecundum tempus contractus alienationis.*
7 *In cõtractu dationis ĩ ſolutũ nõ ita cõſideratur fraus, ſicuti in venditione, & ideo ex pacto de retrouendẽdo, & modicitate pretij non arguitur in datione in ſolutum fœnus, & vſura, ſicuti in venditione.*
8 *Verba appoſita in contractu, quod quis intendit retinere bona pro maiori cautione iurium ſuorum, & pro addendo iura iuribus, important pignus, & hypothecam.*
9 *Datio in ſolutum habet vim ſolutionis, & omnis obligatio, & iura ad creditum ſunt exſtincta per dationem in ſolutum.*
10 *Pignus cautionis gratia creditori datur, vt ea re de credito ſecurior redeatur, & verba vbi pignori magis, quam dationi in ſolutum conueniunt, & pacta appoſita adaptantur, potius præſumitur pignus, quam datio in ſolutum.*
11 *Contractus qualis fuerit, non tantum dignoſcitur ex nomine expreſſo a contrahentibus, ſed magis attenditur forma, & effectus, & qualis in ſui figura apparet.*
12 *Verba, dare, & aſſignare, important dominij tranſlationem. Item conſtituere emptores vti procuratores in rem propriam.*
13 *Pignoris conſtitutio non transfert dominium.*
14 *In datione in ſolutum eſt apponenda clauſula, quod ſi res euincatur non diſcedatur a prima obligatione, propter fideiuſſores, & propter hypothecam antiquiorem, & propter alia.*
15 *Contractus ſimulatio arguitur, quando venditor remanet poſt venditionem in poſſeſſione bonorum venditorum.*
16 *Clauſula conſtituti transfert omnem poſſeſſionem, ſiue ciuilem, ſiue naturalem in ipſum conſtitutarium.*
17 *Conductor non dicitur poſſeſſor bonorum conductorum, ſed detentor.*
18 *Clauſula conſtituti tollit omnem præſumptionem ſimulationis contractus.*

Con-

19 *Contractus ſimulati ſuſpicio ceſſat, quoties conſtat de cauſa, quia quis detinet bona non obſtante aliqua alia ſuſpicione.*

20 *Contractus ſimulatio arguitur etiam habita ratione fructuum, & penſionum, quæ ſoluuntur annuatim.*

21 *Fructus conſiderantur, vt ſpacio viginti annorum adæquent ſortem, quod eſt ad rationem quinque pro centenario.*

22 *Sed hoc non ſemper eſt verum, quia ex qualitate bonorum modo maiorem quantitatem fructuum, modo minorem reddentium, alteratur.*

23 *Pactum recompræ quomodo augeat valorem bonorum ſaltem pro quarta parte.*

24 *Pactum de retrouendendo non improbatur, ſed omni iure licitum, & permiſſum eſt. Et ideo ex eo ſolo non poteſt argui aliqua ſimulatio contractus.*

25 *Reſponſio continuata de fructibus locatori, facit ceſſare præſumptionem ſimulationis contractus.*

26 *Clauſula Conſtituti, & Clauſula precarij in contractu appoſitæ, faciunt ceſſare præſumptionem ſimulationis contractus.*

27 *Venditor quando titulo conductionis retinet rem venditam, talis conductio facit ceſſare ſuſpicionem contractus ſimulati, ac fraudis.*

28 *Contractus an ſint iudicandi vſurarij, remittitur arbitrio Iudicis.*

29 *Bona quando intra tempus ad redimendum præfixum fuerunt redempta, dicuntur reuerſa ad priſtinam naturam, & qualitatem, quod procedit quando talia bona fuerunt redempta ab alienante, ſeu ab eius hæredibus.*

30 *Bona dicuntur data in dotem, & remanent fundus dotalis, quando in contractu adeſt pactum, quod in caſu reſtitutionis dotis talia bona ſint reſtituẽda.*

31 *Fundus quando datur inæſtimatus in dotem mulieri, tunc talis fundus remanet dotalis ipſius mulieris.*

32 *Contractus ex conuentione partium legem accipiunt.*

33 *Hypothecas, & obligationes ſuper rebus noſtris pro noſtra cautione minimè conſtituere poſſumus.*

34 *Illationes de tempore præſenti ad præteritum non poſſunt fieri, quando interuenit magnum temporis interuallum, ſed tantum pro modico ſpacio temporis ſunt permiſſæ, & vbi non apparet aliqua cauſa extrinſeca propter quam potuerit eſſe variatio.*

35 *Pretia rerum ex tempore conſtituuntur & mutantur.*

36 *Inſpectio loci non inducit niſi cognitionem imaginariam, & coniecturalem, quæ non facit aliquam probationem.*

37 *Bona quæ ſemel exeunt de familia, & trunco non dicuntur amplius de familia. Et iura, quæ loquuntur de retractu, non poſſunt habere locum ſuper dictis bonis.*

38 *Bona decocti efficiuntur creditorum.*

39 *Bona quando ad aliquem perueniunt non ex patris, ſiue aui ſucceſſione, ſed ex alia cauſa, illa bona non dicuntur patrimonialia, ſed ipſius propria.*

40 *Dominus dicitur alicuius rei is, qui liberè de ea & ad ſui libitum diſponere poteſt.*

41 *Creditoribus acquiruntur iura retractus, quæ erant penes decoctum, quãdo dominium eius bonorum tranſlatum eſt in creditores ipſius.*

42 *Ceſſio bonorum, & decoctio differunt; quia decoctoribus non poteſt competere beneficium ceſſionis, ſicut iis, qui cedunt bonis.*

43 *Dominij tranſlatio impeditur per reſeruationem iurium.*

DECISIO XXXIII.

FVit diu diſputatum coram Rota noſtra, pro parte Spect. Hieronymi Bernardinij ex vna, & Magn. Dominum Auguſtinum Sinibaldi parte ex altera, occaſione retractus patrimonialis intẽtati per dictum Dominum Hieronymum. In qua controuerſia licet prima facie pronunciandum videretur ſupradicto D. Hier. competere ius retractus, ac beneficiũ ſtatuti, *lib. 2. cap. 78. in princ.* Cum enim per dictum ſtatutum apertè ſit determinatum, quod quæcumque perſona habens aliquem agnatum maſculum de eadem agnatione, ſibi cõiunctum vſque ad quartum gradum, volens vendere, vel alio quouis titulo alienare rem immobilem patrimonialem, id eſt, quæ fuerit ſuorum per lineam paternam aſcendentium, teneatur inquirere dictos agnatos, qui teneantur declarare intra triginta dies, ſi emere velint, nec ne, & talis inquirens teneatur vendere, & tradere ei, qui prior eſt in gradu, ſi comperam acceptare voluerit. Quæ quidem inquiſitio cum fuerit omiſſa per Spect. Iacobum fratrem Spect. Hieronymi, ſequi videbatur altera clara ſtatuti prædicti declaratio in *cap. 82.* in qua determinatur, quod ſit licitum ei, ad quem ius recompræ pertineret, & qui inquiri debuerit rem ipſam emere, & acquirere ab eo, in quem tranſlata fuerit, qui rem ipſam tali cõperam petenti vendere teneatur, omni prorſus exceptione, & dilatione remota, & hoc infra annum a die ſcientiæ.

Modo cum optimè conſtaret dictum Dominũ Hieronymum eſſe de prædicta agnatione, & in gradu requiſito a ſtatuto, & proximiorem omni alio, necnon bona, de quorum retractu agitur, videantur eſſe patrimonialia, ex quo fuerunt acquiſita per Spect. Ioannem eius auum paternum, & poſſeſſa, & poſt eius mortem per Spect. Ioſeph. eius filium legitimum, & naturalem ſimiliter poſſeſſa, vt ex
1 actis conſtare videbatur; cum ad † hoc vt poſſint dici patrimonialia, ſufficiat probari, quod fuerint duorum per lineam maſculinam aſcendentium, nẽpè patris, & aui alienantis, vt tradit Dec. *in conſil. 222. num. 6. & conſil. 471. nume. 7. &* 8. quem refert & ſequitur Tiraquel. *in l. ſi vnquam, in verſ. ſuſceperit liberos, num. 196. C. de reuocand. donatio.* Magon. *deciſ. Lucana 93. num. 3. &* 4. Lepid. *deciſ. 27. & 106.* Soc. iun. *in conſil. 22. lib. 1. & conſil. 1. lib. 2.* Carpan. *ad ſtat. Mediol. cap. 417. num. 56.* ex quo ſequi videbatur, quod cum ſimus in diſpoſitione legis, videatur etiam non eſſe hæſitandum de bono iure dicti Spect. Hieronymi, ad text. *in l. doce ancillam, C. de rei vendicat.*

Contrarium tamen per Rotam fuit deciſum, & declaratum ius retractus, & beneficium intentati

ſtatuti,

ſtatuti,non competere dicto Spect.Hieronymo,&
hoc ex pluribus.

Primò, quia non fuit verificatum,bona de quo-
rum retractu agebatur,eſſe patrimonialia, quod e-
rat fundamentum intentionis actoris. Cum enim
clarum eſſet ſupradicta bona fuiſſe acquiſita per
Spect. Ioannem Bernardinium patrem Spect. Io-
ſeph. & poſt mortem d.Spect. Ioannis, fuerint alie
nata per D. Ioſeph in Dominum Horatium Pala-
tinum, & per eumdem & D. Hortenſiā in D. Eli-
ſabet vxorem Spect. Cęſaris Bernardinij,& per d.
D. Eliſabet, & Spect. Iacobum Bernardinium in
Magnificum Auguſtinum Sinibaldum, prout de
prædictis omnibus conſtabat ex inſtrumentis ex-
hibitis,vtique tempore alienationis factæ per Spe-
ctab. Ioſeph, apparet dd.bona non fuiſſe patrimo-
nialia,cum non fuerint duorum aſcendentium,ſed
tantum vnius,nempè Spectab. Ioannis patris dicti
Spect. Ioſeph, & per conſequens non verificari
ſuppoſitum allegati ſtatuti,vt in terminis eiuſdem
ſtatuti affirmat Dec. *in ſupra alleg.conſil.222.num.
6.& in conſil.472. num.7.* & Magon. *deciſ.prædicta
93.num.3.* Lepid. *deciſ.27. in fine*, necnon & Tira-
quel. *in ſupra allegato loco.*

Nec obſtare viſa ſunt ea quæ contra hoc addu-
cebantur. Et Primò, dum dicebatur contractum,
2 dationis† in ſolutum factum Dom. Hortenſię cum
alijs ſupradictis alienationibus, eſſe fictum, ac ſi-
mulatum, atque fęneratitium, ſtante modicitate
pretij, & pacto de retrouendendo in eo appoſito,
quæ duo ſufficere videntur ad arguendum contra-
ctum de ſimulatione & fęnore. Lepid. *deciſ.60. ver-
ſic. pro alia parte*, vbi de communi teſtatur,& mul
ta adducit.

3 Quia reſpondetur, quod hæc † duo ſecundum
magis communem, non ſufficiunt ad arguendum
contractum de fœnore, ſed requiritur, quod em-
ptor ſit ſolitus fœnerari, vt tradunt Honded. qui
multos allegat,& de communi teſtatur, *in conſ.31.
num.68. vol.1. & in conſil. 33. num. 60. vol. 2.* La-
derch. *in conſil.129. num.* 8. Barzius, *deciſ. Bonon.
123.num.3.* vbi multos congerit pro hac ſententia,
& de magis communi atque veriori teſtatur. At in
caſu noſtro tantum abeſt, quod probatum ſit d.
Spectab. Ioſeph eſſe ſolitum fœnerari, quod immò
potius in proceſſu fuit optimè probatum eſſe virū
bonæ conditionis,& famæ.

Alio etiam modo reſpondetur, quod ſcilicet cō
4 traria opinio procedit in † pacto de retrouenden-
do, appoſito poſt certū tempus, & per negatiuā,
quod non liceat redimere niſi certo tempore tran-
ſacto. Secùs in ſimplici pacto de retrouendendo,
in tali caſu ita diſtinguendo, & contrarias opinio-
nes conciliando tradunt Neuizan. *in conſ.88.num.
3.& ſeq.* Corneus, *in conſil.241. num.20.lib.1.* Ce-
phal. *in conſil.495. num.48. lib.4.*

Tertiò dicitur, in proceſſu non probari talem
pretij modicitatem, ſed potius contrarium: nam
in inſtrumento dationis in ſolutum, habentur hæc
verba. Et hanc præſentem in ſoluti aſſignationem
fecit dictus Spect. Ioſeph d. D. Hortentiæ,& Spec.
Ioanni eius viro, pro pretio & nomine veri, iuſti,
& inter eos conuenti pretij ſcutorum trium mil-
lium; & hoc etiam optimè probatur per teſtes. Et
licet fuerint vendita Magnifico Auguſtino Sinibal
do pro ſatis maiori pretio, hoc eueniſſe apparebat,
quia alia bona erant comprehenſa in d. venditio-
ne, & quia valor bonorum ſtabilium a tempore d.
dationis in ſolutum, vſque ad tempus ſolutionis
Magnifico Auguſtino factæ auctus fuit in tertia
parte pluris, vt fuit per teſtes optimè probatum.
Et Doct. qui tenent, quod prædicta duo ſufficiant
5 ad arguendum † contractum de ſimulatione & fę-
nore, in hoc conueniunt, quod exceſſus in pretio ſit
immoderatus, & quod excedat dimidiam iuſti
pretij, ad hoc vt læſio iuncta cum pacto de retro-
uendendo, arguere poſſit contractum de ſimula-
tione, & vſura, Oſaſch. *deciſ. Pedemon.42. num.9.
verſic.1.* Maſcard. *concluſ.447. num.8.verſic.ſic ve-
lim intelligas.* Barzius *deciſ. Bonon.123.num.4.* Le-
pid. *deciſ. Lucana 81. verſic. modicitas.* Honded. *in
conſil.33.num. 62. vol.2.* quod in hoc caſu non vi-
debatur apparere. Et licet Ioannes Maſſeius teſtis
actoris dicat, quod dd. bona erāt valoris ſcutorum
6 octo mille, attamen non deponit de † tempore ce-
lebrati contractus, quod attendi debet; non quod
poſtea euenerit, *l. ſi voluntate, C. de reſcinden. ven-
dit.* Barzius, *deciſ.Bonon.123.num.10.* Item, eſt v-
nicus teſtis, qui ſufficienter non probat, *cap. cum
litteris, de teſtib.* & in terminis noſtris læſionis Bar-
zius, *d. deciſ.123. num.19.* & Doct. in contrarium
7 adducti loquuntur in † emptione,& venditione,&
nos ſumus in contractu dationis in ſolutum, in quo
non ita fraus conſideratur ſicuti in venditione, Ful
goſ. *in conſ.134. col.2.* Dec. *in conſ.18. num.3. & in
conſ.166. num.6.* Neuizan. *in conſ.88.num.6.* Tira-
quel. *de retract. conuent. in præfatione, num.27.* Mo-
noch. *lib.3. præſumpt. 122. num. 42.* Et illud quod
dicitur *in cap. ad noſtram, de empt. & vendit.* ſcili-
cet, contractum venditionis argui ſimulatum, &
in fraudem vſurarum ex modicitate pretij, & pa-
cto de retrouendendo, non habet locum in datione
in ſolutum, vt dicunt ſupra allegati Doctores.

Secundò, dicebatur ſupradictum contractum
celebratum per D. Ioſeph. cum D. Hortenſia, non
eſſe dationis in ſolutum, ſed pignoris, & hypothe-
cæ, & propterea nullum in eam fuiſſe translatum
dominium, *l. cum & ſortis, §. pignus, ff. de pignor.
actione, l. pignus, C. eod.* Et hoc arguebatur ex eo,
quia habetur in eo pactum præcipuum, per quod
8 D. Hortenſia declarauit ſe † præfatam aſſignatio-
nem recipere, non animo nouandi priorem obli-
gationem Spect. Ioſeph. & ſuorum bonorum, ca-
ſu quo dd. bona euincerentur, ſed ea intelligit reti-
nere, & habere pro maiori cautione, & pro adden
do iura iuribus, quæ verba dicuntur importare pi-
gnus,& hypothecam, ad tradita per Neguſant. *de
pignor. 1. memb. par. 5. num. 9.* cum fruſtratoria
9 fuiſſet reſeruatio ex quo per † dationem in ſolutū,
omnis priſtina obligatio, & iura ad creditum ſunt
exſtincta, cum habeat vim ſolutionis, *l. eleganter,
vbi gloſ. ff. de pignor. act. l. ſi prædium, C. de euict. l. ſi
libera, C. de ſentent.* Alba *in conſ.367. num.2.* Surd.
conſil.13. num.2. Non enim ſimul ſtare poſſe vide-
tur,

tur, & quod ſit datio in ſolutum, & quod nihil in-
nouetur de prima obligatione, ſed bene hoc eſt de
10 natura pignoris, quod † creditores cautionis gratia
dari certum eſt, vt ea re de credito ſecurior redda-
tur, §. vltimo, Inſtit. quib. mod. re contrab. obligat.
& in l. 4. §. ſi ex conuentione, ff. de re iudic. Vbi au-
tem verba pignori magis quam dationi in ſolutum
conueniunt, & pacta appoſita pignori, non datio-
ni in ſolutum adaptantur, tunc aſſignatio facta
præſumitur in pignus, in terminis Menoch. de præ-
11 ſumpt. lib. 3. præſumpt. 150. num. 14. Siquidem † ad
iudicandum contractum, qualis fuerit, non tantum
inſpicitur nomen a contrahentibus expreſſum, ſed
magis attenditur forma, & effectus l. inſulam, ff. de
præſcript. verb. l. ſi vno, in princip. ff. locati, l. ſi olei,
cum gloſ. C. eod. Abbas, in cap. illo vos, 4. notabili
extra de pignor. Berous, in conſ. 168. num. 17. lib. 1.

Quibus reſpondetur, quod contractus talis di-
iudicandus eſt, qualis a contrahentibus denomina
tur, Aymo, in conſil. 2. num. 5. Oſaſch. deciſ. Pede-
mont. 139. num. 5. Neuiz. in conſil. 91. num. 2. Bec-
cius in conſil. 35 num. 9. Et qualis in ſui figura appa
ret, l. ſi deinſorem magiſtratuum, §. 1. ff. de fideiuſſor.
l. qui ſaxum, ff. de donat. l. qui fundum, ff. de contrab.
empt. in §. fundi. Natta in conſ. 49. nu. 14. Neuizan.
in conſil. 92. num. 1. & 2. Capra in conſil. 20. num. 1.
latè Decia. reſpon. 2. num. 61. lib. 1. Sed pluries talis
contractus nominatur a partibus ſub nomine da-
tionis in ſolutum, non autem pignoris, ergo ita eſt
iudicandus. Quod verum eſt etiam ſi aliæ conie-
cturæ prçponderarent in contrarium, vt dicit Cra
uet. in conſ. 20. num. 4. vbi alios allegat.

Secundò dicitur, nullo modo poſſe dici contra-
ctus pignoris; quoniam in inſtrumento ipſius ha-
betur, quod Spect. Ioſeph. pro ſcutis tribus mille
12 debitis † dat, & aſſignat in ſolutum præfata bona
prçdictis D. Hortenſiæ, & Spect. Ioanni Guinigio
eius viro; quæ verba important dominij transla-
tionem, prout de verbo dare tradit Surdus deciſ.
196. num. 16. Et quod talia verba importent domi
nij translationem, tradit Menoch. in conſ. 201. nu-
me. 6. lib. 3. cum multis per eum allegatis. In eodē
inſtrumento etiam leguntur talia verba, (cum ceſ-
ſione iurium, actionum, & translatione dominij)
quæ verba clarè demonſtrant, fuiſſe translatum
dominium, vt tradit Menoch. in d. conſ. 201. num.
9. & 10. & Decian. Reſponſo 35. nu. 42. verſ. ex bis,
vol. 2. Idem quoque colligitur ex alijs verbis, vide-
licet quod conſtituit Spect. Ioannem Guinigium,
& D. Hortenſiam ſuper dd. bonis vti procurato
res in rem propriam, per quæ verba etiam dici-
tur translatum dominium in ipſos iugales, Alexan.
in l. ſi ego, nu. 9. ff. de oper. nou. nunc. Menoch. d. conſ.
201. num. 13. vbi alios recenſet. Sed ſic eſt quod per
13 conſtitutionem † pignoris non transfertur domi-
nium, l. 4. §. ex conuentione, ff. de re iudic. §. vlt. Inſtit.
quib. mod. re contrab. oblig. Ergo videtur clarè appa
rere, non poſſe vllo modo talem contractum dici
pignoris, cum verba repugnent eius naturæ, ſed
dationis in ſolutum. Nec prædictis refragare vi-
detur Clauſula reſeruationis iurium, caſu quo dd.
bona euincerentur, vel moleſtia inferretur ſupe-
rius deducta: quia d. Clauſula habet locum in caſu
euictionis, & moleſtiæ, vt habetur expreſsè in in-
ſtrumento, & per illam non dicitur mutata natu-
ra, & ſubſtantia contractus dationis in ſolutum,
ſed tantummodo prouiſum in caſu euictionis, ſeu
moleſtiæ, quod prudenter factum fuit, cū pro opti
ma cautela a Doctoribus hoc tradatur, vt dicit
Bart. in l. libera, num. 1. C. de ſentent. & melius in l.
ſi quis aliam, num. 1. ff. de ſolut. & liber. vbi ait, quod
14 eſt notabilis practica, quod quando † aliquid da-
tur in ſolutum apponatur pactum, quod ſi contin-
gat rem euinci a prima obligatione nō diſcedatur,
quod eſt vtile propter fideiuſſores, & propter hy-
pothecam antiquiorem tempore, & propter mul-
ta, quæ etiam explicat num. 2. in fine, & eum ſe-
quuntur ibi, & in d. l. libera, Bald. Caſtrenſ. & alij,
Cepol. caut. 147. in princ. Rebuff. de litter. obligat.
art. 12. gloſ. vnica, num. 20. lib. 1. Conſtit. Regni Fran
ciæ, Surd. in conſil. 147. num. 20. lib. 1. & deciſ. 113.
nu. 2. & ideo argumentum retorqueri poteſt: quia
ſi creditor in caſu noſtro habuiſſet intentionem
continuandi primam obligationem, & contrahen
di pignus, & non dationem in ſolutum, vtique nō
reſtrinxiſſet obligationem ad caſum tantummo-
do euictionis, & moleſtiæ, quæ non videbatur ne-
ceſſaria: immò apponendo d. Clauſulam, apparet
clarè intellexiſſe cōtrahentes de in ſolutum datio-
ne, non autem de pignore: nam creditor apponi
voluit, quia ſciebat per dationē in ſolutū, quā con-
trahere intendebat fuiſſe innouatam primam obli
gationem, & pro maiori eius cautione, vt habetur
in inſtrumento, voluit quod innouationi deroga-
retur in caſu tantum euictionis, quod etiam non vi
detur veriſimile, nec prçſumi debet, & non eſt cre
dendum, quod dd. iugales voluiſſent accipere in
pignus iſta bona, quorum fructus deberent com-
penſari in ſortem, & breui tempore fructus ipſi de
ſtruxiſſent, & abſorbuiſſent ſortem principalem
eorum crediti, vt conſiderat Menoch. lib. 3. præ-
ſumptio. 150. num. 1.

15 Dicebatur tertio loco, argui † ſimulationem ſu
pradicti contractus ex eo, quia Spect. Ioſeph. ſem-
per poſt dictum contractum remanſit in poſſeſſio-
ne horum bonorum, ſtante locatione ſequuta ſta-
tim poſt dictum contractum in eius perſonam fa-
cta a dd. iugalibus, vt ex inſtrumento conſtat Bar.
in l. ſicut, §. ſuperuacaneum, num. 5. ff. quib. mod. pig.
vel hypoth. ſolu. Nam reſpondetur, quod ſtante
Clauſula conſtituti, poſita in ipſo contractu datio-
nis in ſolutum, poſſeſſio horum bonorum transla-
16 ta fuit in dd. iugales, quia per † Clauſulam conſti-
tuti, omnis poſſeſſio ſiue ciuilis, ſiue naturalis in ip
ſum conſtitutariū transfertur verè, Bart. in l. ab em
ptione, nu. 15. ff. de pact. & in l. ſi is qui pro emptore,
in vlt. quæſt. de vſucap. Decian. Reſponſo 3. num. 66.
cap. 4. Barzius deciſ. Bonon. 49. nu. 24. Et licet d. Sp.
17 Ioſeph. d. † bona detinuerit, vti conductor, atta-
men non poterat dici dd. bonorum poſſeſſor, ſed
detentor; quia conductor dicitur habere ſimplicē
bonorum detentionem, non autem poſſeſſionem,
18 Oſaſch. deciſ. 40. num. 4. Et in ſpecie per † Clauſu-
lam prædictam conſtituti dicitur ſublata omnis
præſum-

præſumptio ſimulationis contractus, vt dicunt Maſcard. Concluſ. 439. num. 35. Alexand. in conſil. 28. num. 10. verſ. modo, vol. 1. Menoch. in conſ. 88. nu-
19 me. 44. vol. 1. Accedat, quia † cũ conſtet de cauſa, quare Spect. Ioſeph. detinuerit dd. bona, quæ fuit pro affictu, pro quo ſoluebat penſiones annuas, ceſſat etiam omnis præſumptio ſimulationis contractus, vt in terminis dicit Cephal. in conſil. 289. nume. 38. non obſtante pacto de retrouendendo, poſſeſſionis continuatione, ſine alia ſuſpicione, vt dicunt Bart. Bald. Alexan. Dec. & alij, quos allegat idem Cephal. in d. conſil. Honded. in conſil. 33. num. 76. vol. 2. Menoch. de arbitr. iudic. lib. 2. centur. 1. caſu 39. num. 5. vbi multi allegantur.

Quartò, non videtur obſtare altera coniectura ſimulationis contractus, ex eo deſumpta, quod penſiones prædictæ, quæ ſoluebantur per d. D. Ioſeph. dd. iugalibus de ſcutis 240. ſingulis annis, videantur taxatæ potius habito reſpectu ad ſcutos 3000. debitos per d. Dom. Ioſeph. quam ad valorem, & redditum dd. bonorum, cum bona ſtabilia nõ reddunt niſi quinque pro centenario, vnde ſi dd. bona erant valoris ſcutorum trium millium auri, non poterant reddere, niſi ſcutos centum quinquaginta, reddendo ergo ſcutos ducentum quinquaginta vi-
20 detur † talis redditus conſiderari habito reſpectu ad pecunias, ad rationem octo pro centenario, non aũt ad bona. Ad hoc alleg. Bald. in conſ. 311. nu. 11. li. 5. Aymo in conſ. 156. nu. 12. Anchar. in conſ. 257. nu. 4. verſ. item pro duobus annis, Natta in conſ. 198.
21 nu. 13. & 14. lib. 1. Et fructus † ita de iure conſiderantur, vt ſpatio viginti annorum adæquent ſortem ipſam, quod eſt ad rationem quinque pro centenario, Pedroch. in conſil. 36. num. 48. Petr. Cabal. in conſil. 145. num. 211. Nam dicitur prædicta non poſſe conſiderari in caſu iſto: quia nullibi probatũ apparet, quod bona locata minorem vel maiorem quantitatem reddere valerent, vt ex hoc inferri poſſit, quod penſio conuenta potius ad debitum, quam ad fructus eſſet regulata, vt in terminis fuit reſolutum per Rotã Roman. in nouiſſim. deciſ. 116. numer. 4. & Lepid. deciſ. 60. col. 11. in princip. verſic. concurrit. Vnde non conſtito de quantitate redditus dd. bonorum, in dubio credendum eſt, penſionem verè fuiſſe dd. bonorum, & non vſuram debitam pro pecunijs, vt dicitur in alleg. deciſ. Romana. Ad illud etiam, quod dicitur, quod fructus de iure ita conſiderentur, vt ſpacio 20. ann. adæquent ſortem, & ſic ad rationem quinque pro centenario, Dicitur hoc non ſemper procedere, immò plu-
22 ries contrarium in facto apparere; ſunt enim † multa bona ita fertilia, vt multo plus reddant, & alia ita inutilia, & ad delicias, & amenitatem inducta magni valoris, & ſumptus, vt nec etiã duo pro centenario reddant, vt optimè conſiderat Surd. in conſil. 151. num. 67. lib. 2. & erat probandum quod bona iſta redderent tantummodo quinque pro centenario: quia cum ſit quid facti, non præſumitur. Et iſta etiam coniectura tollitur ſtante pacto recompræ, poſito in dicto contractu dationis in ſolutum,
23 quod † pactum auget valorem bonorum ſaltem in quarta parte, hoc modo conſiderata. Ioſeph. Ludo. communi. concluſ. concluſ. 51. verſ. ſed dubium, Decian. reſponſo 27. num. 18. vol. 1. Barzius deciſ. Bonon. 23. num. 3. Turret. in conſil. 28. nume. 19. volum. 2. Honded. in conſil. 33. num. 67. volum. 2. Roland. in conſil. 96. num. 38. volum. 2. Et proinde cum iſta bona eſſent valoris ſcutorum trium millium, addita quarta parte erunt valoris ſcutorum trium millium ſeptingentorum quinquaginta, & ſic fructus habita conſideratione ad dd. ſcutos centum quadraginta, quæ ſoluebantur pro penſionibus; erunt ad rationem ſex pro centenario, ſeu paulo pluris, quod non eſt exorbitans, habita cõſideratione ad qualitatem horum bonorum. Et ideò ex huius penſionis ſcutorum ducentum quadraginta ſolutione, non poteſt argui ad valorem bonorum, cum etiam potuerit eſſe, quod propter affectionem quam habebat Spectab. Ioſeph. erga prædicta bona, plus penſionis ſolueret, ne priuaretur eorum detentione, ac fruitione, quàm redditus ipſorum paterentur, vt animaduertit Surd. in allegato conſil. 151. num. 67. lib. 2.

24 Quintò, pactum † de retrouendendo dempta modicitate pretij, quæ non videtur poſſe conſiderari in caſu noſtro, prout conſideratur a Doctor. ad arguendum contractum de fœnore, (vt ſupra dictum fuit) non improbatur, ſed omni iure licitum, & permiſſum reperitur, Cepol. in tractat. de ſimul. contract. nu. 8. verſic. ſecundo caſu. optimè Dec. in conſil. 166. nu. 4. & 5. Menoch. lib. 3. præſumpt. 122. nu. 16. Et ideo ex eo ſolo non poteſt argui aliqua ſimulatio contractus.

25 Sextò, locatio, & † continuata poſſeſſio Dom. Ioſeph. & reſponſio de fructibus per eum facta locatori, pariter videntur ab omni ſuſpicione fraudis aliena, vt per Bartol. in l. ſicut, §. ſuperuacuum, num. 6. ff. quibus mod. pignor. vel hypoth. ſolu. vbi dicit, quod reſponſio de fructibus facit ceſſare præſumptionem ſimulationis, quæ oriri poſſet ex continuata poſſeſſione bonorum venditorum, & in l. poſt contractum, nume. 4. in fine, ff. de donat. Dec. in conſil. 463. num. 20. Ruin. videndus in conſ. 66. numer. 9. per totum lib. 4. pleniſſimè Menoch. de arbitr. iudic. caſu 39. num. 5. & 6. Ex hac ergo reſponſione de fructibus, ceſſat omnis ſimulatio contractus, quæ oriri poſſet ex dicta locatione, & continuata poſſeſſione venditoris, vt expreſsè dicunt omnes ſupra alleg. Doct. & ſic ex ipſis nulla poteſt colligi coniectura ſimulati contractus, cum ex illa reſponſione fructuum, & penſionis, recognoſcatur emptor in dominum, & venditor non ſuo ſed alieno nomine poſſidere.

Non poteſt etiam ex dicta locatione oriri aliqua
26 præſumptio † ſimulationis cõtractus, propter Clauſulam Conſtituti, per quam conſtituit venditor ſe poſſidere nomine emptoris. Ac etiam per Clauſulam precarij, cum iſtæ Clauſulæ efficiant conſtituentem, & precario concedentem poſſeſſorem, & ob id fraudis, & ſimulationis ſuſpicio ceſſat, Cepol. in tract. ſimulat. contract. num. 24. Ruin. in conſil. 119. num. 9. lib. 1. & alij, quos allegat, & ſequi-
27 tur Menoch. de arbit. iud. caſu 39. numer. 6. † Immò quando venditor titulo conductionis retinet rem venditam, talis cõductio facit ceſſare ſuſpicionem

fraudis, ac ſimulationis, ita Roman. *in conſil. 304.*
num. 3. ver. ſecundo poteſt reſponderi. Gozadin. *in con-*
ſil. 94. num. 57. allegati, & ſequuti ab eodem Me-
noch. *in d. caſu 39. num. 16.* Et quatenus aliquis defe
ctus conſiderari poſſet in dicto contractu celebra-
to cum Dom. Hortenſia, attamen cum poſt non-
nullos annos facta fuerit alienatio dd. bonorum in
Dominam Eliſabeth, & Dominum Cæſarem eius
virum, cum conſenſu, & de ordine, ac volunta-
te dicti Domini Ioſeph. vtique videtur approba-
tus contractus primo loco initus cum d. Domina
Hortenſia.
28 Accedat etiam, quod † arbitrio Iudicis relinqui
tur conſiderata qualitate perſonarum, fama loci, &
alijs, vtrum contractus ſint cenſendi vſurarij nec
ne, vt dicit Bertazol. *in conſil. 311. numer. 20. lib. 5.*
Crauet. *in conſil. 156. num. 14.* At in hoc caſu neque
ex qualitate perſonarum, neque ex fama loci poteſt
oriri aliqua coniectura fraudis, ac vſurarum in dd.
contrahentibus, cum omnes ſint perſonæ nobiles,
ac optimæ conditionis & famæ.
Septimo loco dicebatur pro parte d. Spect. Hie-
29 ronymi, quod † bona prædicta in ſolutum aſſigna-
ta Dom. Hortenſiæ, fuerunt per Spect. Cæſarem
de conſenſu patris intra tempus ad ea recomperan
da ſtatutum redempta, & ſucceſſiuè ad priſtinam
naturam, & qualitatem reuerſa, ex Dec. *in conſi. 88.*
num. 3. Socin. iun. *in conſil. 20. num. 29. lib. 1.* Tiraq.
de retractu lignagier, §. 19. gloſ. 2. num. 4. Cagnol. *in*
l. 2. num. 174. C. de pact. inter empt. & vendit. Carpa-
nus, *ad ſtatuta Mediolan. cap. 417. num. 73.* Cui obie
cto reſpondetur, aſſumptum in facto minimè verifi
cari, cum bona prædicta fuerint per Domina Eli-
ſabeth de proprijs pecunijs dotalibus acquiſita à
Domina Hortenſia, & Dominus Cæſar recupera-
uerit ea vti maritus Dominę Eliſabeth, non autem
nomine proprio; & allegata in contrarium proce-
dunt, quando bona redempta fuerunt ab alienan-
te, ſiue a ſuis hæredibus, & propterea talia bona
non ſunt acquiſita Spect. Ioſeph. neque eius agna-
tioni, vt in propoſito affirmare videtur Cephal. *in*
conſ. 460. numer. 24. Nec reuerſa fuerunt ad eorum
priſtinam naturam, ſed remanſerunt vt in fundum
dotalem ſuæ vxoris; vt ex inſtrumento habetur ex-
preſsè, iuxta text. *in l. ita conſtante, & l. ſeq. & in l.*
res quæ ex dotali, ff. de iure dot. Et non poſſunt inſi-
mul ſtare, quod iſta bona reuerſa ſint in familiam
d. Spect. Ioſeph. & quod remanſerint fundus dota-
lis dictę Dom. Eliſabeth, & quod dicta bona eſſent
effecta fundus dotalis dictę mulieris, patet
30 Primò, quia † in dicto contractu adeſt pactum,
quod in caſu reſtitutionis dotis, bona præfata reſti
tui debeant, quod pactum operatur, quod bona ip-
ſa in dotem data cenſeantur, & quod remaneant
fundus dotalis mulieris, vt tradunt Caſtr. *in l. æſti-*
matis, num. 5. ff. ſoluto matrim. Bald. & Doctor. *in l.*
ſi inter virum, C. de iure dot. Soc. ſen. *in conſil. 56. ver-*
ſic. quartus caſus lib. 1 Surd. *in conſil. 243. nu. 6. ver.*
ſicuti autem, Cephal. *in conſil. 532. num. 10. & conſil.*
735. num. 13. Gabriel. *in conſil. 60. per totum, lib. 2.*
Aymo *in conſil. 465. num. 9.* Honded. *in conſil. 77.*
num. 5. lib. 2. Didac. *practic. quæſt. cap. 28. nu. 4. verſ.*
tertio colligitur, Menoch. *libr. 3. præſumpt. 74. num.*
19. & ſunt iura clara, *in l. ſi inter virum, & vxorem,*
C. de iure dot. & in l. fin. ff. de pact. dotal.
Secundò, quia in eodem inſtrumento habetur,
31 quod † præfatus fundus habeatur, ac apud Spect.
Cæſarem, & Dominā Eliſabeth remaneat eo mo-
do, ac ſi traditus eſſet inæſtimatus, ſed quando fun
dus traditur mulieri in dotem inæſtimatus, tunc
certi iuris eſt, quod fundus ille remaneat dotalis ip-
ſius mulieris, per text. expreſſum *in l. 1. §. cum qua*
ex ſtipulatu, C. de rei vxor. act. l. æſtimatis, ff. ſoluto
matrim. gloſſ. in l. in rebus dotalibus, in verſ. dotalibus,
C. de iure dot.
Tertiò, quia per pactum expreſſum hoc fuit con
uentum, cum in dicto inſtrumento apposita plu-
ries ſint verba, quòd iſtud prædium remanere de-
beat pro fundo dotali d. Dom. Eliſabeth. Contra-
32 ctus † enim ex conuentione partium legem acci-
piunt, *l. 1. §. ſi conuenerit, ff. depoſiti.* Et in his ter-
minis arguendo, tradit Tobias Nonius *in conſilio*
106. num. 2.
Quartò, prædicta comprobari videntur ex pa-
cto recompræ perpetuæ reſeruatæ ſuper præfatis
bonis ad fauorem Spectab. Ioſeph. & ſuorum hære
dum, ſi enim ex redemptione facta a Spect. Cæſare
de præfatis bonis, prædicta bona effecta fuiſſent d.
Spect. Ioſeph ac eius hæredum, pactum, ac conuen-
33 tio præfata nulla, ac inualida fuiſſet: quia † ſuper
rebus noſtris hypothecas, ſeu obligationes conſti-
tuere minimè poſſumus, *l. 2. de pignor. act. l. neque pi*
gnus, ff. de reg. iur.
Poſtremò, ex inſpectione loci vltimo loco per
nos facta, non poterat aliquod fundamentum fie-
ri, ad hoc vt poſſet probari læſio prætenſa a dicto
Domino Hieronymo, & ex hoc argui contractum
ſimulatum,
Primò, quia bona nobis ſuper faciem loci oſten
ſa, non fuit probatum eſſe eadem, quæ fuerunt da-
ta in ſolutum prædictæ Dominæ Hortenſiæ, &
ſic multo plura, & diuerſa fortaſſe fuiſſent oſtenſa.
Secundò, quia nobis non conſtitit, quod de an-
no 1577. quo fuerunt dd. bona data in ſolutum d.
Dominæ Hortenſiæ, eſſent maioris, vel minoris,
valoris, quam modo ſunt, & valor dicti temporis
dictorum bonorum non poterat per nos aliquo mo
34 do haberi, ac cognoſci, & † illationes de hoc tem-
pore ad illud, non poterant fieri, ſtante magno tem
poris interuallo, cum ſolum pro modico temporis
interuallo ſint permiſſæ, & vbi non apparet aliqua
cauſa extrinſeca propter quam potuerit eſſe varia-
tio, vt tradunt Maſcard. *de probat. concluſ. 657. nu-*
mero 2. lib. 2. Natta, *in conſil. 353. per totum libro 2.*
Cagnol. *in l. 2. num. 223. prope finem, verſic. ſine par-*
tium, C. de reſcind. vend. Surd. *in conſil. 281. num. 21.*
35 *lib. 2.* Borgnin. *deciſ. 1. num. 22. par. 2.* Pretia † enim
rerum ex tempore conſtituuntur, & mutantur, *l.*
pretia rerum, ff. ad leg. Falcid. l. 3. §. Dini, de iure fiſci.
36 Et in omnem caſum ex † tali inſpectione non pote
rat ſumi, niſi cognitio imaginaria, & coniecturalis,
quę non faceret aliquam probationem, per tradita
a Maſcardo, *in d. concluſ. 657. num. 7. lib. 2.* Et qua-
tenus etiam aliqua minoritas pretij cōſiderari poſ-
ſet,

ſet, attamen ex ea, & ex pacto de retrouendendo pignus, & ſimulatio contractus argui non poterat in datione in ſolutum, de qua erat quæſtio, quidquid ſit in venditione, cum non ſint idem contractus, ſed diuerſi, prout tenuerunt Iaſ. *in conſil.* 150. *num.* 2. *lib.* 4. Dec. *in conſil.* 18. *num.* 3. Cagnol. *in l.* 2. *num.* 54. *C. de pact. inter empt. & vendit.* Tiraquel. *de retractu conuent. in præfat. num.* 27. Neuizan. *conſil.* 88. *num.* 6. Burſat. *in conſil.* 117. *num.* 8. Menoch. qui prædictos refert, & ſequitur *lib.* 3. *præſumpt.* 122. *num.* 42. Couar. *variar. reſolut. lib.* 3. *cap.* 8. *numer.* 5. idem Menoch. *in conſil.* 343. *numer.* 17. *lib.* 4. Lupus, *in l.* 2. *par.* 2. *C. de pact. inter empt. & vendit.*

Tertiò, ſuper dicta viſitatione loci non poterat Rota aliquod facere fundamentum, cum fuerit facta extra tempus, cum hoc ſit prohibitum *a cap. Rotæ* 57. & videatur ſublatum quidquid fortaſſe de iure communi eſſet permiſſum, & vt aliquid operetur vltra diſpoſitionem iuris communis.

Secundo loco principaliter deducebatur, quod bona, de quibus agitur, non poterant dici patrimonialia, ſtante decoctione Spect. Ioſeph. & poſſeſſione bonorum apprehenſa a Syndicis electis a creditoribus, & decreto Excellentiſſimi Senatus, necnon & compoſitione, & reacquiſitione facta de ipſis mediante inſtrumento compoſitionis, ex quibus videtur apparere, quod hæc bona non amplius remanſerunt apud Spect. Ioſeph. vti patrimonialia, ſed vti propria, ac ab eo de nouo acquiſita, & propterea non poterat ea retrahere d. Spect. Hieronymus; quod ex pluribus probatur.

Primò, ex traditis per Tiraquel. *de retractu lignagier*, §. 1. *gloſ.* 9. *num.* 110. vbi habetur, quod
37 ea † quæ ſemel exeunt de familia, & trunco, non dicuntur amplius de familia, & iura, quæ loquuntur de retractu bonorum familiæ ſuper dd. bonis,
38 locum habere non poſſunt, cum † bona decocti efficiantur creditorum, Rota Ianuenſ. *deciſ.* 8. *nu.* 14. *&* 15. Stracca, *de mercat. tit. de decoct. par.* 7. *nu.* 6.
39 & † quando bona ad aliquem deueniunt non ex patris ſeu aui ſucceſſione, ſed ex alia cauſa, illa bona apud illum nō remanent vti patrimonialia, ſed tamquam propria, & ab eo acquiſita. Socin. iun. *in conſil.* 20. *num.* 20. *vol.* 2. Dec. *in conſil.* 300. *num.* 9. Tiraquel. *de retractu conſanguin. gloſ.* 7. *num.* 1. *verſic. præſertim*. Et quod bona prædicta effecta eſſent creditorum Do. Ioſeph. poſt eius decoctionem, apparet

Primò, ex diſpoſitione ſtatuti curiæ mercatorum *cap.* 4. *lib.* 3. vbi diſponitur, quod Syndici electi a creditoribus, ad eorum libitum poſſint vendere, & alienare bona decoctorum; ſi autem hoc poſſunt facere, ſequitur, quod dominium bonorū
40 decocti apud eos remanet, ille † enim dicitur dominus alicuius rei, qui liberè de ea, & ad ſui libitum diſponere poteſt, *l. in re mandata*, *C. mandati.* Menoch. *in conſil.* 429. *num.* 12. & per Straccā, *in tractatu de mercat. de decoctor. par.* 7. *num.* 6. & quod per talia ſtatuta intelligatur trāslatum dominium in ipſos creditores, tradit nouiſſimè Petr. Cabal. *in conſ.* 162. *nu.* 1. vbi facit mentionem de conſimili ſtatuto Florētino, & Rota Ianuenſ. *dec.* 83. *nu.* 9.

Secundò, quod dominium, & poſſeſſio dictorū bonorum translatum fuerit in ipſos creditores, etiam attenta diſpoſitione iuris communis, conſtat ex traditis per Doctor. *in cap. Odoardus, de ſolut. l. item ſi vnus, ff. de recept. arbitr.* Stracca *de decoct. par.* 3. *num.* 14. *&* 15. Natta *in conſ.* 440. *num.* 1. *verſic. in contrarium*, Rota Ianuenſ. *deciſ.* 91. *&* 41. *num.* 25. *&* 26. Crauet. *in conſil.* 213. *num.* 1. Menoch. *de arbitr. iudic. lib.* 2. *centur.* 2. *caſu* 183. *num.* 19. & magis in ſpecie tradit Crauet. *in conſil.* 213.
41 *num.* 4. *&* 5. vbi ait † creditoribus acquiri etiam ius retractus, quod erat apud decoctū, & hoc, quia omnium bonorum decocti dominium in creditores translatum fuerat.

Tertiò, hoc etiam probatur optimè ex inſtrumento compoſitionis cum ipſis creditoribus, in quo Syndici eorum prohibent d. D. Ioſeph, & alijs ſocijs, diſponere quoquo modo de dd. bonis, niſi prius ſatisfactis creditoribus ipſis; vt legitur in d. inſtrumēto, vbi etiam habetur, quod dd. Ioſeph. & alij, poſſint vendere dd. affictus, cedere, donare, alienare, & permutare, quæ omnia denotant dominium eſſe penes ipſos cedentes, *l. in re mandata, C. mandati.* Menoch. *in d. conſil.* 429. *num.* 12. In eodem etiam inſtrumento adeſt clauſula conſtituti, in qua d. Ioſeph. & ſocij conſtituunt ſe poſſidere dd. bona nomine creditorum, quę clauſula probat veram poſſeſſionem eſſe penes eos, ad quorū fauorem eſt appoſita. Bartol. *in l. ab emptione*, *num.* 15. *ff. de pact. & in l. is qui pro emptore, in vlt. quæſt. de vſucap.* & hæc tanto magis, quanto quod omnia fuerunt facta de conſenſu, & voluntate d. Ioſeph. & ſociorum, & omnia approbauerunt, & confirmauerunt, per quam tacitam approbationem, contra ipſum videtur probatum dominium creditorum ſuper dd. bonis. Bartol. *in l. cum falſa*, *num.* 3. vbi etiam Bald. *num.* 2. Salicet. *num.* 5. *C. de iuris & facti ignoran.* Ruin. *in conſil.* 128. *num.* 18. *lib.* 2. Crauet. *in conſil.* 158. *num.* 2. Maſcard. *de probat. concluſ.* 545. *num.* 1. *lib.* 1.

Nec obſtant iura, quæ in contrarium deducebātur, nempè text. *in l.* 3. *de ceſſion. bonor. & in l.* 2. *C. qui bon. cedere poſſ.* & doctrina Bruni *de ceſſione bonor. quæſt.* 14. *num.* 6. & Socin. iun. *in conſ.* 58. *num.* 14. *lib.* 4. quia procedunt in cedente bona creditoribus, ad hoc, vt de illis poſſint ſibiipſis ſatisfacere, qui re integra donec dd. bona fuerint apprehenſa a creditoribus, ac diſtracta, vel vendita, poterūt ipſi cedentes pęnitere, & ſoluendo debitum illa retinere, prout declarant dd. textus, gloſ. *in d. l.* 2. & ibi Caſtrenſ. Salicet. & alij, ſecus autem in caſu noſtro, in quo dd. D. Ioſeph. & ſocij, non ceſſerūt bona creditoribus, ſed ad Principem confugerūt, & paſſi ſunt ſe declarari decoctos, vt euitarent exequutionem perſonalem, & eorum bona per creditores apprehendi, & de illis inuentarium confici permiſerunt, & dd. bona numquam remanſerūt pro derelictis, cum verbo & facto ſtatim ita credi-
42 tores perceperint, & occupauerint, & † ceſſio bonorum, & decoctio ita inter ſe differunt, vt decoctoribus non poſſit competere ceſſionis beneficiū, Ruin. *in conſil.* 90. *num.* 13. *lib.* 1. Boer. *deciſ.* 215. *num.* 6.

num.6. Tiraquel. *in l.ſi vmquam, in verbo,bona,nume.5.* Strac. *de decoct. par.3 .nu.9.& 10.* Non enim poſſunt congruè hæc ſtare,quod dominium bonorum decocti ipſo iure ſequuta decoctione tranſeat in creditores,(per iura ſuperius deducta) & quod bonis cedentes re integra poſſint pœnitere, & ſatisſaciendo creditoribus bona retinere.

Accedat, etiam, quod numquam dominiũ dd. bonorum reuerſum fuerat ad d. D.Ioſeph. ex quo numquam fuerunt ſoluta integrè debita, ac ſatisfactum creditoribus ante illorum alienationem factam Magnifico Auguſtino Sinibaldo, quorum creditorum bona erant, donec fuerit ſatisfactum ipſis creditoribus, vt probatur ex dicto laudo, in quo dicta bona aſſignantur D. Iacobo, vt ex illis ſatisfaciat creditoribus, & ex ipſomet inſtrumento acquiſitionis dicti Magnifici Auguſtini, in quo aſſignantur multi creditores eidem Magnifico Auguſtino, vt illis ſatisfaceret ex pretio dicti prædij; Vnde ſequitur, quod tempore alienationis d. bona non poterant dici patrimonialia, cum tunc non fuiſſent liberè reuerſa ad d. D.Ioſeph. nec in dominio eſſent, nec in eius hæreditate relicta fuiſſent, ex quo tunc temporis erant ipſorum creditorum
13 & illorum nomine ea retinebat; quia † per reſeruationem iurium in re, impeditur dominij tranlatio, Boer. *in Conſuetud.Turonenſ.in tit.de retrac. art.2. prope finem,* &c.

ARGVMENTVM.

Identitas quomodo probetur, & maximè quãdo mutata ſunt confinia. Ad probandam famam, quæ requirantur.

SVMMARIVM.

1 *Nurus non repellitur, ſed non eſt teſtis idonea, & ei de fide diminuitur.*

2 *Compater non eſt teſtis integer.*

3 *Bannitus non admittitur ad teſtimonium ferendum.*

4 *Ratio in teſte debet optimè concludere.*

5 *Confinia quando ſunt mutata identitas debet probari per teſtes, qui deponans quod terra, quæ iam erat ſub talibus confinibus, hodie reperiatur ſub talib.*

6 *Teſtes non habentes notitiam confinium, non probant identitatem.*

7 *Teſtis vnicus contra partem producentem plenè probat.*

8 *Fallit, quando iſte teſtis non fuit per partem productus, immò fuit dictum, nolle vti eius dicto, nec poteſt iuuare parti aduerſæ.*

9 *Identitas in antiquis probatur per probationes imperfectas, & duæ demonſtrationes ſufficiunt.*

10 *Singula quæ non proſunt, tamen ſimul iuncta admittuntur ad faciendam plenam probationem.*

11 *Fallit quando in contrarium ſunt probationes validiores.*

12 *Ad probandam famam requiruntur teſtes omni exceptione maiores. Item debent reddere rationem ſui dicti, & nominare a quibus perſonis id audiuerint, vel a maiori parte populi.*

DECISIO XXXIV.

IN cauſa vertente coram Sp. Officio ſuper viduis, & pupillis (in quo tũc temporis Iudex aderã) inter Dominicam, & Victoriam de Lombardis, ex vna, & Iacobum, ac Diliantẽ de Libizano, ex alia, in qua petebatur exequutio ſententiæ alias per d.Spect.Officium latæ. Fuit conceſſa per nos talis exequutio ad fauorẽ dd. mulierum cum facultate prædictis Iacobo, ac Diliante probandi, bona de quibus agebatur eſſe deſcripta in inſtrumento liuelli de anno 1505. Hoſpitalis Sanctæ Mariæ de Controno, & ſic eſſe liuellaria eiuſdem Hoſpitalis. Et licet pro parte dd. Iacobi, ac Diliantis ad hoc probandum fuerint examinati plures teſtes, hoc tamen non fuiſſe per dd. fratres probatum pro comperto habuimus. Quandoquidem conſtabat omnes prædictos teſtes aliquo vitio laborare. Primus enim habebat duas filias ipſius Diliantis nu-
1 ptas eius filijs, & ſic in ſuas nurus, † inter quas licet non videatur cadere aliqua affinitas, per text. *in c.quod ſuper, ext.de conſanguin.& affin.* tradit Menoch. *in conſ.538.num.14.lib.6.* Non tamen poteſt negari, quin adſit affectio, & propenſio animi, propter quam nõ poteſt dici integer teſtis, & propter aliquam ſpem futuræ ſucceſſionis. Farinac. *quæſt. 54.nu.200.* cum multis per eum relatis. Item erat
2 compater, † vt per eumdem Farinac. *d. quæſt.54. num.25.& 26.* Secundus teſtis fatebatur ſe non habere cognitionem confinantium, & non poterat
3 probare identitatem terrarum, item fuerat † bannitus capitaliter, de communi Farinac. *quæſt.42. nu.112.* Tertius teſtis dicebat ſe eſſe conſobrinum carnalem Iacobi, ac Diliantis, ideo non erat idoneus teſtis, Farinac. *d.quæſt.54.nu.25.& 26.* Item fuit condemnatus capitaliter, Farinac. *ibidem.* Quartus teſtis aſſerebat ſe non habere cognitionem confinium antiquorum, quomodo ergo poterat probare identitatem terrarum, & (quod plus eſt) reuocauerat ſuam depoſitionem prius factam. Quintus deponebat de vno tantum petio terræ petitionis, & neque confinia antiqua, neque moderna conueniunt, & non reddit concludentem rationem ſui dicti Bart. *in l.cum ij, §.vult igitur, num. 3. ff.de tranſact.* Sextus deponebat ſe non habere notitiam niſi de vno petio terræ ſiluatæ, & non reddebat ſufficientem rationem ſui dicti. Septimus non habebat notitiam niſi de eadem terra, de qua per ſextum teſtem; item, fuerat condemnatus, & deponebat de auditu alieno. Et omnes ſupradicti teſtes in cauſa ſcientiæ nullam aliam reddunt rationem ſuæ depoſſitionis, niſi quod ſunt practici in Communi Contronis, vbi adſunt talia bona, quæ ratio non videtur ſufficiens; quia poteſt aliquis eſſe practicus in aliquo loco, & nullam

habere

habere notitiam de bonis, quæ iam per multos an
4 nos fuerunt conceſſa alicui, & † ratio teſtis debet
optimè concludere. Socin. iun. in conſil. 69. num.
13. vol. 1. Pariſ. in conſil. 107. num. 67. lib. 2. Acce-
5 dat, quod † ad probandam identitatem, quando
ſunt mutata confinia, neceſſe eſt probare, quod ter
ra, quæ iam erat ſub talibus confinibus hodie repe
riatur ſub talibus, Bart. in l. demonſtratio falſa, in
fine, ff. de condit. & demonſtr. Simon de Pret. in con
6 ſil. 143. num. 9. Sed nullus ex dd. † teſtibus habebat
notitiam confinium antiquorum harum terrarũ,
igitur talis identitas non videbatur probata, Ruin.
in conſil. 50. nume. 2. & 3. lib. 1. Pariſ. in conſil. 107.
nu. 67. lib. 1. Natta in conſil. 473. nu. 19. Cacheran.
in conſil. 66. nu. 15.
Et quamuis primus teſtis dd. mulierum exami-
natus, videatur deponere nõnulla ad fauorem dd.
7 Iacobi, & Diliantis, & de iure † teſtis vnus plenè
probat contra producentem, Rom. in conſil. 104.
Reuerende Pater, cum vulgaribus. Attamen ex quo
8 iſte † teſtis non fuerat productus per dd. mulieres,
ſed eius examen omiſſum, non poterat eius depoſi
tio ipſis obeſſe, nec fuerat per dd. actores reprodu-
ctus, ideo non poterat eis in aliquo ſuffragari, To
bias Nonius in conſ. 24. num. 25. l. nimis graue, cum
ibi notatis, C. de teſtib. præſertim, cum alij duo te-
ſtes ad eius fauorem examinati contrarium depo-
nant, Tobias Nonius, vbi ſupra. Natta, in conſil.
285. num. 1. in fine, vbi reddit rationem, & multos
allegat, dictum talis teſtis non eſſe attendendum,
tamquam dictum nullius. Raudenſ. deciſ. Piſana,
num. 35. Ioſeph. Ludou. Concluſ. 70. vbi alios alle-
gat, Granuc. theorem. 20. num. 9. latè Farin. de op-
poſit. contra perſon. teſt. quæſt. 62. num. 228. & ſeq.
Nec dici poſſe videbatur, quod ex quo ſumus
9 in † antiquis, ſupradictæ probationes ſufficere vi-
deantur; cum in antiquis admittantur probatio-
nes etiam imperfectæ, & duæ demonſtrationes ſuf
ficere videantur ad probandam identitatem, Cor-
neus in conſ. 280. num. 5. vol. 3. Natta in conſil. 235.
num. 6. Decian. Reſponſo 17. num. 6. volum. 3. cum
10 alijs per eos allegatis. Et † quæ ſingula nõ proſunt,
tamen ſimul iuncta admittuntur ad faciẽdam ple
nam probationem, l. 2. cum ibi notat. de excuſ. tut.
quamplurimos allegat Gabriel. Commun. Concluſ.
in tit. de probat. concluſ. 1. num. 1. Nam dicitur prædi
11 cta † non procedere, quando in contrarium adſunt
probationes pleniores ac validiores prout adſunt
in caſu noſtro. Natta, in conſ. 285. nu. 1. in fine, vol. 2.
& maximè in caſu noſtro, in quo pro parte dd. mu
lierum non requirebantur perfectæ probationes,
ſed ſufficiebat probatio talis, quæ valeat offuſcare
probationes aduerſariorum.
Vltimo loco dicitur non obſtare, dum adduce-
batur quod in antiquis per famam probetur identi
tas, & teſtes examinati pro parte dd. Iacobi, & Di
liantis ſuper generali articulo deponunt, de prędi-
ctis omnibus per eos depoſitis adeſſe publicam vo
cem, & famam. Quoniam reſpondetur, talem fa-
mam non fuiſſe probatam, vt requiritur. Primò,
12 quia † teſtes non ſunt omni exceptione maiores,
prout in probatione famæ requiritur. Farinac. de
teſtib. quæſt. 47. num. 210. Secundò, non reddunt
rationem, ibidem Farinac. num. 216. Tertiò, de ea
deponunt ſuper vltimo generali articulo, non ſu-
per quolibet particulari, vt requiritur, Farinac. ibi-
dem num. 228. Quartò, non nominant authores, a
quibus ortum habuerit, quod etiam non interroga
ti facere tenentur. Farinac. ibidem num. 229. Nec
dicunt audiuiſſe a maiori parte populi, vt eſt neceſ
ſe, Farinac. ibidem num. 237. & ſeq. Pariſ. in conſil.
27. num. 37. vol. 2. Maſcard. de probat. conclu. 749.
num. 2. Petra de fideicom. quæſt. 13. num. 130. Ro-
land. in conſil. 3. num. 54. lib. 1. Cephal. in conſil.
65. num. 47. Surd. latè in conſil. 472. num. 20. lib. 4.

ARGVMENTVM.

Teſtis vnicus ad hoc vt faciat indiciũ ad torturam, debet eſſe maior omni exceptione.

SVMMARIVM.

1 *Teſtis vnicus debet eſſe omni exceptione maior ad hoc vt inducat ſemiplenam probationem; ad effectũ vt faciat indicium ad torturam.*
2 *Frater patruelis non debet examinari, ac recipi in teſtem ad fauorem fratris patruelis.*

DECISIO XXXV.

PVit interpoſitus recurſus per Io-
ſeph. Hieronymi Graſſi, de Vil-
la Baſilica, ad Rotam, à pronun-
cia D. Commiſſarij d. Villæ, in
qua d. D. Commiſſarius pronun-
ciauerat extare indicia contra d.
Ioſeph. ſufficientia ad torturam. Quam pronun-
ciam duximus reuocandam, declarando benè fuiſ-
ſe recurſum, & malè pronũciatum per d. D. Com-
miſſarium. Moti, quia cum talis pronuncia eſſet
fundata ſuper teſtimonio vnius teſtis tantum, qui
non erat integer, nullo modo poterat ſubſiſtere.
1 Certum eſt enim in iure, quod † ad hoc vt teſtis v-
nicus faciat indicium ſufficiens ad torturam, re-
quiritur quod ſit omni exceptione maior, ad effe-
ctum vt poſſit inducere ſemiplenam probationẽ,
prout paſſim affirmant Doctores per text. in l. 1. §.
idem Cornelio, & in l. maritus, vbi gloſ. in verbo illi-
citè, in fine, ff. de quæſt. Marſil. in praxi, §. diligen-
ter, num. 71. & 73. Carrer. in pract. de indic. & tort.
§. quæ autem ſint indicia, num. 3. & 5. Roland. in
conſil. 7. num. 3. & 10. vol. 1. Maſcard. de probat.
concluſ. 844. num. 6. Clar. §. finali, quæſt. 21. verſic.
vnus teſtis, vbi poſt Ruin. quem allegat in conſil.
147. poſt num. 3. lib. 5. teſtatur de communi, & re-
prehendit iudices qui de facili ex depoſitione te-
ſtis inhabilis reos torquent; multos alios concor-
dantes refert Farinac. in titul. de indic. & tortura,
quæſt. 37. num. 58. & 59. Sed Leonardus Georgi-
2 ni teſtis examinatus, cum eſſet † frater patruelis

Georgini vulnerati (vt ipſemet fatebatur in repetitione) non ſolum non eſt integer teſtis, ſed non debebat vllo pacto recipi, & examinari, eſt text. *in cap. abſens, il 2.3. q.1. & in cap. ſimiliter, 3. q. 5.* & magis expreſsè text. *in cap. 1. eadem cauſa & quæſtione, ibi,* [conſanguinei accuſatoris aduerſus extraneos teſtimonium non dicant.] Albert. Malateſta, *de teſtib. par. 1. cap. 1. nnm. 51.* vbi dicit, quod hoc eſt certum ſecundum omnes & innumeros ſequaces refert Farinac. *in tit. de oppoſit. contra perſon. teſtium, quæſt. 54. num. 5. per totam.* &c.

ARGVMENTVM.

Quietatio generaliſſima ad quæ trahatur. Verba enunciatiua quomodo probent. Bona minorum quando poſſit alienare ſine ſollemnitatibus requiſitis.

SVMMARIVM.

1 *Agens vt hæres, debet probare ſe eſſe hæredem.*
2 *Agens contra aliquem vti hæredem, debet probare illum eſſe hæredem.*
3 *Vbi ſunt plures hæredes, ſi vnus repudiat, eius portio accreſcit alijs.*
4 *Petens plus quam ſibi debetur, petitio in totum redditur nulla, & vana.*
5 *Inſtrumentum plenè probat contra producentem, & producens cenſetur fateri omnia, quæ continentur in inſtrumento eſſe vera.*
6 *Verba enunciatiua contra tertium, & in eius præiudicium non probant.*
7 *Et eo magis, quando verba enunciatiua ſunt in parte enunciatiua, & narratiua, non aũt in diſpoſitiua.*
8 *Conſenſus qui ex aliquo actu deducitur, non extenditur vltra id, quod ex actu de neceſſitate inferatur.*
9 *Volens audiri ſuper reſciſſione contractus, debet prius omne ſolutum reſtituere.*
10 *Verba, quocumque modo, & qualitercumque, omnia comprehendunt.*
11 *Quietatio non extenditur ad non cogitata.*
12 *Verbum nullum in contractibus creditur appoſitum ſine effectu.*
13 *Bona minoris alienata abſque ſollemnitatibus requiſitis, non poſſunt per eos recuperari poſtquam effecti ſunt maiores, ex diſpoſitione ſtatuti Lucani,*
14 *Res minoris legitimè obligata, poteſt alienari ſine ſollemnitatibus requiſitis.*

DECISIO XXXVI.

IN cauſa recurſus interpoſiti ad Rotam per ſer Ioãnem Granuccium a ſententia Dom. Iudicis primarum inſtantiarum, lata ad fauorem Paſquini de Cardoſio, fuit per Rotam pronunciatum, male recurſum, & bene iudicatum. Mota

Primò, quia quoad proceſſum, viſum fuit, quod
cum dict. Ioannes compareret in hoc iudicio tamquam hæres Paulini ſui patris, & Iacobi aui, a qui-
1 bus omne ſuum ius deriuare prætendebat, † &
non probauerit ſufficienter ſe eſſe eorum hæredem, prout tenebatur, Ioſeph. Ludou. *concluſ. 14. Illat. 61.* Cornazan. *deciſ. 100. numer. 6.* Decian. *Reſponſo 24. num. 53. volum. 1.* non poſſet vllo modo obtinere.

Secundò, quia cum idem Ioannes agat contra
Paſquinũ vti hæredem Bartolomæi debitoris principalis, mediante perſona Simonis eius patris, &
cum nullibi ſit probatum, quod iſte Paſquinus eſſet hæres tam Simonis patris, quam Bartolomæi
2 aui, viſum fuit in ſalutari defeciſſe. Quia † quando
aliquis agit contra aliquem vti hæredem alicuius, neceſſe eſt quod probet concludenter illum eſſe hæredem illius. Carpan. *ad ſtat. Mediol. cap. 42. numero 118. & 119. & 130.* Roland. *in conſil. 20. num. 9. & 10. vol. 1.* Cornazan. *deciſ. 212. num. 4.*

Tertiò, quia cum bona de quibus agitur, ſpectent tantummodo pro dimidia ad Paulinum, & per conſequens poſt mortem eius ad filios ipſius, videlicet dictum Ioannem actorem Iacobum Phi-
3 lippum & Michaelem Angelum. Et licet † vnum
ex ipſis, nempè Michaelem Angelum conſtet repudiaſſe hæreditatem, & per conſequens quod eius portio accreuerit d. Ioanni, *l. ſi ex pluribus, ff. de ſuis & legit. hæred.* Craſt. *in §. ius accreſcendi, quæſtio. 21. num. 1.* attamen cum alij duo ingreſſi fuerint Religionem bonorum capacem, & non appareat de renunciatione hæreditatis facta ad fauorem d. Ioannis, non poterant cæteri (ſaltem quoad ipſum Monaſterium) excluſi a tali ſucceſſione. Vnde videtur, quod ſolũ tertiam partem iſtius dimidiæ (quatenus ex alio competeret) potuiſſet petere, quam tamen in hoc iudicio non poterat conſequi, cum e-
4 ius † petitio de toto etiam quoad hanc portionem
vana reddatur, vt in terminis tradit Crauet. *in conſ. 144. in vltimis verbis,* & Magon. *deciſ. Florent. 2. nu. 15. cum alijs allegatis.*

Nec obſtare viſum fuit quod ex aduerſo deducebatur, quod ſcilicet pro parte rei conuenti fuerit productum inſtrumentum de ſolidatione computorum, & quietatione facta inter dictum ſer Ioannem, & Marcum Antonium eius patruum, in quo aſſeritur, dictum Ioannem hæredem dicti Paulini eius patris, necnon prædictos eius fratres, qui ingreſſi ſunt Religionem in ea profeſſionem emiſiſſe & renunciaſſe ſucceſſioni, & hæredati paternæ,
5 ac maternæ, quod † inſtrumentum contra produ-
centem plenè probat, & cenſetur, quod producens fateatur vera eſſe òmnia in eo contenta, *l. cum pretium, C. de liber. cauſat.* Roman. *in conſil. 433.* Natta, *conſil. 565. numer. 3. & ſeq.* Honded. *in conſil. 52. num. 29. lib. 1.*

6 Quia dicitur, quod † verba enunciatiua contra-
ctus, contra tertium, & in eius præiudicium minimè probãt, ad tradita per Cornaz. *dec. Lucana 217.*
7 *numer. 8.* Et † eo magis, quando verba habentur in
parte enunciatiua & narratiua, non autem in diſpoſitiua ipſius contractus. Felin. *in cap. cum venerabilis,*

lis, nume.23. de exception. Magon.*deciſ. Florent.*10. *num.39.* Aſſiſ.*deciſ. Peruſina* 19.*numer.*28. Vnde in caſu noſtro verba ſupradicta enunciatiua uiſa ſunt non poſſe afferre aliquod præiudicium ipſi Paſquino: quia ſicuti in ſeipſa non probant in tertij præiudicium, ita non videntur poſſe vires aſſumere ex productione facta, vt per Honded. & Cornaz. ſupra relatos.

Accedat, quod cum talis productio inſtrumenti fuerit facta ad finem, & effectum, vt appparerer de prædicta ſolidatione computorum, non autem ad effectum vt conſtaret quod eius aduerſarius hęres patris eſſet, & quod dd. eius fratres renunciaue rint ſucceſſioni paternæ, quod eſſet ad fundandam intentionem partis aduerſę, & ad deſtruendam intentionem ipſius producentis, (quod non eſt cenſendum) ſequitur, quod ex tali inductione non inducitur approbatio, & confeſſio eorum omnium, quæ in inſtrumento continentur. Surd. *deciſ.* 267.
8 *num.4. & 5.* † Conſenſus enim qui ex facto deducitur, non extenditur vltra quam ex actu de neceſſitate inferatur, vt per Surd. & alios ab eo citatos, *in ſuperius allegata deciſ.*267.

Quartò, cum ſupradicta bona fuerint alienata per Marcum Antonium, tam nomine proprio, quā tutorio, pro ſatisfactione ſcutorum 335. debitorum Dominæ Virginiæ filiæ dictæ Mariæ, vigore teſtamenti ipſius Mariæ, & aliorum ſcutorum decem, debitorum per d. Marcum Antonium, & Paulinū magiſtro Stephano de Sarzana, & cum d. Marcus Antonius per hanc venditionem, ſeu dationem in ſolutum, habuerit remiſſionem dd. pecuniarum debitarum tam per dictum Marcum Antonium,
9 quam per Paulinum patrem actoris, ſi † dictus ſer Ioannes audiri voluiſſet ſuper reſciſſione contractus petita, debebat imprimis reſtituere omnem pecuniam ſolutam, alias non erat audiendus. Honde. *in conſil.34.num.15.vol.2.*

Accedat, quia d. Ioannes nullibi probauit ſe eſſe hæredem dictæ Mariæ, cuius erant, dd. bona ipſi aſſignata per Marcum Antonium & Paulinum, & quæ poſſedit donec vixit, vnde ex hoc etiam d. Ioannes non erat audiendus.

Quintò, exſtabat inſtrumentum generaliſſimū, & cum Clauſulis ampliſſimis, & maximè pręgnantibus, in quo dictus Marcus Antonius fuit a d. ſer Ioanne quietatus, ac liberatus ab omni, & toto eo, quod petere, & conſequi poſſet a dicto Marco Antonio, etiam per Aquilianam ſtipulationem, cum promiſſione rati pro alijs ſuis fratribus, & indemnitatis a quocumque, quocumque modo, & quali-
10 tercumque; per † quæ verba videntur omnia cōprehenſa, Grat. *in conſ.21.num.77.* Crauet. *in conſil.*227.*num.*14. Menoch. *in conſil.344.numer.*19. Decian. *Reſponſo 57.num.26.lib.1. & Reſponſo* 10.*num.*47. Illuſtr. Card. Tuſcus, *in verbo, quomodocumque, per totum.*

Nec refragari videtur quod dictus ſer Ioannes de his bonis alienatis non habuerit notitiam, cum
11 non fuerint notata in inuentario, † & quietatio nō extendatur ad non cogitata. Grammat. *deciſ.*103. *num.4. cum alijs per eum alleg.* & quod doloſè fuerit omiſſum talia bona in inuentario deſcribi. Quia dicitur, per inſtrumentum quietationis tolli hanc obiectionem, in quo ex conuentione partium fuit renunciatum tali fundamento, ex quo partes voluerunt talem quietationem trahi etiam ad non cogi-
12 tata, per verba ampliſſima. Et † in contractibus nullum verbum cenſetur appoſitum ſine effectu, *l. ſi vnquam, ff. de legat.* 1. Bartol. *in rubric. C. de fide inſtrument.* Et cum dd. bona eſſent ipſius Marię, non tenebatur ea deſcribere in inuentario.

Sicuti etiam viſum fuit non obſtare, dum dicebatur talem contractum alienationis eſſe nullum, ex quo non fuerunt ſeruatæ ſollemnitates ſtatuti *in cap.156. lib.2.* in alienationibus bonorum minorum requiſitis. Quia dicitur Primò, per quietationem generaliſſimam, & cum Clauſulis hoc importantibus, tolli hanc exceptionem. Secundò, per ſtat. *lib.2. cap.56.* vbi elapſo quinquennio, poſtquam
13 † minores fuerint effecti maiores, non poſſunt cōpelli tutores, & curatores ad aliquam rationem reddendam, vel ad reliqua conſignanda, ſed intelligūtur plenariè liberati, quod cum intra dictus tempus non fuerit petitum per d. ſer Ioannem, ideo modo videtur obaudiendus. Quod etiam diſponitur de iure communi, per *l. final. C. ſi maior. fact.* & cum alijs per Cephal. allegat. *in conſ.51.num.16.lib.1.*

Additur inſuper, quod cum bona præfata per prius vendita Dominæ Mariæ, eſſent obnoxia, & obligata per dd. ſcutis 335. debitis dictæ Dominæ Virginiæ, quando etiam dd. bona effecta eſſent dd. minorum, tamen alienari potuiſſent ſine ſollemni-
14 tatibus a ſtatuto requiſitis, quia quando † res minoris eſt ſemel obligata legitime, poteſt vendi etiā non ſeruatis ſollemnitatibus prædictis. Dec. *in l. ſingul. num.10. ff. ſi cert. petat.* vbi etiam Cagnol. *num.*75. Ceph. *in conſil.316.num.36.*

ARGVMENTVM.

Bona emphyteutica an poſſint obligari, & alienari irrequiſito domino directo.

SVMMARIVM.

1 *Habens laudum pro ſui parte quod tranſitum fecit in iudicatum, habet plenè probatam intentionem ſuā.*
2 *Nihil eſt tam naturale, quam pacta, & conuentiones obſeruare.*
3 *Obligationes contractuum ſunt irreuocabiles.*
4 *Bona liuellaria non veniunt in generali obligatione bonorum.*
5 *Contraria opinio magis communis eſt, & hodie ſeruatur.*
6 *Immò bona liuellaria, & emphyteutica poſſunt ex cauſa neceſſitatis alienari irrequiſito etiā domino.*
7 *Ex cauſa neceſſaria & ex neceſſitate quid dicitur factum, quando iubente iudice, & de eius authoritate fit.*

DE-

DECISIO XXXVII.

PHilippus Mutronus habuit recur-
ſum ad Rotam à ſententia D. Iu-
dicis primarum inſtantiarum, lata
ad fauorē Michaelis de Terriglio.
Quam ſententiā confirmauimus,
eo quia de credito dict. Michaelis
propter quod fuerat commiſſum æſtimatoribus
inſoluti, procedi ad vlteriora in aſſignatione inſo-
1 luti, optimè conſtabat ex † laudo ſuper hoc ema-
nato, quod non ſolum fecerat tranſitum in iudica-
tum, ſed etiam tam per d. Michaelem, quam per
D. Dorotheam vxorem d. Philippi, ac per eumdē
Philippum fuerat acceptatum, prout ex actis ap-
parebat. Quæ omnia clari iuris eſt inducere proba-
tionem claram, & manifeſtam, & facere ius cer-
tum inter partes, *l. cum precibus, C. de probat.* not.
Iaſ. & Doct. *in l. 1. ff. de noui oper. nunciat. l. res iu-
dicata, de reg. iur. l. ingenuum, ff. de ſtat. homin. cap.
diffinitiua, 2. q. 6.* Narta, *in conſ. 524. num. 4.* Surd.
in conſil. 268. num. 1.

Quibus minimè obſtare viſa ſunt ea, quæ per d.
Philippum ex aduerſo deducebātur, nempè, quod
iſta domus, ſuper qua fuit facta æſtimatio inſoluti,
eſſet de dotibus d. Dorotheæ eius vxoris, & quod
propterea non potuiſſet inſolutum aſſignari dicto
Michaeli, cum deberet deſeruire pro oneribus ma
trimonij ſuſtinendis, ad notata per Doctor. *in rub.
& in l. 1. ff. ſoluto matrimon.* Quia dicitur, quod ex
quo d. Philippus ac Do. Dorothea acceptauerunt
ſupradictum laudum, & ſe obligauerunt cum de-
bitis ſollemnitatibus obſeruare omnia contenta in
ipſo, vt in inſtrumento habetur, non poterant ne-
gare ſoluere ſummam, in quam in ipſo laudo ipſi
iugales fuerant condemnati, cum renunciauerint
omni eorum iuri, cui vnicuique licitum eſt renun-
2 ciare. Et cum † nihil ſit tam naturale, quām pa-
cta, & conuentiones ſeruare, *l. nihil tam naturale,*
3 *de reg. iur.* Et cum † obligationes contractuum re-
gulariter ſint irreuocabiles, *l. ſicut, C. de action. &
obligat.* Alba *in conſil. 109. num. 6. verſic. & ratio.*
Dec. *in conſil. 279. num. 1.* Cephal. *in conſil. 13. nu.
20. vol. 1.* Et in proceſſu nullibi fuerat probatum,
quod iſta domus eſſet fundus dotalis d. Dorotheę.

Sicuti etiam non obſtabat dum ſecundo loco di
4 cebatur quod cum iſta domus eſſet liuellaria, † &
non veniant bona liuellaria in generali obligatio-
ne bonorum, vt tenet Ludou. Rom. *in l. ſi conſtan-
te, in princ. ff. ſoluc. matrimon.* non poterat pro ſu-
pradicto debito fieri talis aſſignatio inſoluti. Nam
5 dicitur de iure † bona liuellaria venire in generali
obligatione bonorum, ex mente Bartol. Alexand.
& aliorum, quos refert, & ſequitur Afflict. *deciſ.
191. num. 3.* qui reprobat opinionem Romani, aſ-
ſerens communiter talem opinionem Romani nō
teneri, ſed contrariam Bartol. communiter ſerua-
ri, & quod dd. bona emphyteutica poſſint obliga-
ri irrequiſito domino directo, *vt in l. cutor, §. fina-
li,* & ibi Bald. *C. de pignor. action.* & per gloſ. Bal.
& Salicetum, *in l. finali, C. de iure emphyt.* & Spe-
cul. *de locati, §. nunc aliqua, verſic. 122.* idem Af-
flict. *in ſupra alleg. loco,* & ſecundum opin. Barto-
li pluries fuit iudicatum.

6 Immò bona † liuellaria, ſiue emphyteutica, non
ſolum poſſunt obligari, ſed etiam alienari irrequi-
ſito domino directo, quando talis alienatio fit ex
neceſſitate, non autem voluntariè: quia prohibi-
tus alienare ſine conſenſu domini, non videtur pro
hibitus, ſi alienatio prouenit ex cauſa neceſſaria, vt
ex multis probat idem Afflict. *in allegat. deciſ. 191.
num. 1.*

At in caſu noſtro cum talis alienatio ſiue inſo-
luti aſſignatio ſit non voluntaria, ſed neceſſaria,
7 & † de ordine, & authoritate Iudicis (quo caſu di-
citur neceſſaria, & ex neceſſaria cauſa facta, vt vo
luerunt Bald. Bartol. Alber. Federic. Spec. Ioan.
Andr. & alij, quos allegat, & ſequitur idem Af-
flict. *d. deciſ. 191. num. 2.* & Alexand. *in conſil. 52.
num. 2. in fine, vol. 1.*) ſequitur, quod ritè, & legiti-
mè fieri potuerit, & per conſequens benè fuiſſe iu-
dicatum per D. Iudicem a quo. &c.

ARGVMENTVM.

Expenſæ, damna, & intereſſe quando
ſint reficienda parti offenſæ per ip-
ſos offendentes.

SVMMARIVM.

1 *Expenſæ, damna, & intereſſe de iure diuino, canoni-
co, & ciuili debent refici offenſo.*
2 *Et hoc etiamſi non fuerit petitum.*
3 *Ac etiam ſi abſit dolus.*
4 *Item quando non interuenit niſi culpa leuis, vel le-
uiſsima.*
5 *Statutum non derogat iuri communi niſi id per ver-
ba expreſſa fuerit dictum.*
6 *Statutum ita debet interpretari, vt minus deroget
iuri communi, quam ſit poſsibile.*
7 *Iudex non impertitur officium niſi imploranti, quod
habet multas declarationes.*
8 *Index procedens ex inquiſitione, non exſpectat ali-
quam requiſitionem, ſed ea quæ ſunt expedienda,
expedit non requiſitus ex officio.*
9 *In criminalibus, vbi agitur de intereſſe offenſi, iudex
etiam procedit ad condemnationem rei quamuis nō
fuerit requiſitus.*

DECISIO XXXVIII.

QVidam appellauerunt ad Rotam,
ſentientes ſe grauatos a ſententia
D. Prætoris Lucenſis, ex quo fue-
runt condemnati ad damna, ex-
penſas, & intereſſe partis offenſę.
1 Quæ † ſententia viſa fuit confir-
matione digna (prout etiam fuit confirmata) cum
videretur fundata.

Primò, in iure diuino, vt in Exodi *capit. 1.* ibi,

[Si

[Si rixati fuerint viri, & percuſſerit alter proximũ ſuum, & ille mortuus non fuerit, ſed iacuerit in lecto, ſi ſurrexerit, & ambulauerit ſuper baculum ſuum innocens erit, qui percuſſerit, ita tamen vt operas eius, & impenſas in medicos reſtituat.]

Secundò, in iure canonico, *vt in cap. 1. extra de iniur. & damno dat.* vbi regiſtrantur prædicta verba Exodi.

Tertiò, in iure ciuili, *vt in l. qua actione, in princip. ff. ad leg. Aquil.* ibi, [Patrem conſequuturum quod minus ex opera filij ſui habiturus ſit, & impendia, quę pro eius curatione fecerit] *& in l. finali, ff. de his qui deiecer.* ibi, [Iudex computat mercedes medicis præſtitas, ceteraque impendia, quæ in curatione facta ſunt.]

Quartò loco, de iure municipali, vt per ſtatut. *in cap. 167. lib. 1.*

2 Nec obſtat, quod † a parte offenſa huiuſmodi expenſæ, damna, ac intereſſe non fuerint petita, & ſuccedere videatur vulgata regula, quod Iudex non debet impertiri ſuum officium niſi imploranti, Nam dicitur, quod tales expenſæ, damna, & intereſſe, debent refici, & ſolui parti offenſę, & rei debent per Iudices in eorum ſententijs condēnari ad illa reficienda, licet per offenſos non fuerint requiſiti, vt dicit Vincent. Franc. *deciſ. 333. num. 4. circa finem*, & Petr. Cabal. *reſolut. crimin. centur. 1. caſu 98. num. 10.* licet quandoque Iudices obliuiſcantur in ſententijs talem condemnationē apponere. Et in tantum debitæ ſunt huiuſmodi expenſæ, damna, & intereſſe offenſi, vt quamuis vulnus culpa tantum (puta in rixa) illatum fuerit, in
3 qua calor iracundiæ † dolum abeſſe facit, adhuc tamen debentur, vt probatur per text. *in c. 1. extra de iniur. & damn. dat. & ibi* Ant. de Butr. *num. 1. in primo notab. & num. 3. verſ. quod eſt verum.* & Abb. *nume. 1. in primo notab.* Carrer. *in pract. crim. in tract. de appel. §. in textu* ibi, [itaque eorum] *num. 76.* vbi
4 habetur, quod etiam ex † culpa leui, vel leuiſſima debentur expenſæ, & damna, Plot. *de in lit. iuran. §. 41. nu. 2. & 6.* & Ioſeph. Ludou. *Concluſ. 39. in ſecunda ampliatione.*

Nec dicatur, quod ſtatutum prædictum loquatur tantũ de expenſis factis occaſione vulnerum ꝓ Medicis, medicinis, & in alijs de cauſis, neceſſarijs, vel opportunis pro ipſis vulneribus curandis, ſub quibus non videntur comprehenſa damna, & intereſſe. Nam dicitur, damna, & intereſſe debe-
5 ri de iure communi (vt ſupra dictum fuit) cui † iuri non derogat ſtatutum, vt ex multis, quos allegat, firmat Honded. *in conſil. 24. nume. 21. lib. 1.* vbi ait, non videri eſſe de mente ſtatuti, recedere a iure communi deciſo, niſi id fuerit expreſſum.
6 Immò etiam in caſibus, in quibus † ſtatutum derogat iuri communi, ita intelligi, ac reſtringi debet, vt eideroget quanto minus fieri poſſit, *c. cum dilectus, extr. de conſuet.* cum multis alijs paſſim per Doct. allegatis.

Nec etiam obſtat, quod ſtatutum prædictum videatur conſiderare petitionem vulnerati, ibi, [infra 15. dies ad petitionem vulneratę perſonæ; poſtquam fuerit requiſitus teneatur] &c. Nam dicitur, ſtatutum non tollere quin Iudex etiam non requiſitus damna, & intereſſe offenſi apponere poſſit in ſententia, quod eſt de iure communi, (vt ſupra dictum fuit) ſed loquitur tantum de taxatione earum, de qua taxa non eſt caſus noſter. Et ſtatutum prædictum, (ſi benè eius verba ponderentur, dum loquitur de ſatisfactione dd. expenſarum, ad quas Iudex condemnare debet) non requirit petitionem, vel inſtantiam partis, immò eam excludit, dum ait, [condemnetur, & compellatur de facto, ſine aliquo proceſſu, vel ſcriptura perſonæ offenſæ] &c. Si enim vult ſtatutum, vt ſine ſcriptura aliqua perſonæ offenſæ, & ſine proceſſu Iudex debeat condemnare offendentem ad tales expenſas, fit certum, quod nulla requiritur in ſcriptis inſtantia, vel petitio partis offenſæ; quia alias non eſſet ſine ſcriptura, vel proceſſu.

7 Neque etiam obſtat, quod † Iudex non impertiatur officium ſuum non petenti: quia hæc regula patitur innumeras declarationes, & trigintaquinque ponit Socin. *in regula, Iudex petitus, quæ eſt*
8 *265.* Et † inter alias ea eſt, vt Iudex qui ꝓcedit per inquiſitionem, (prout factum fuit in hoc caſu) non exſpectat vllam petitionem partis, ſed omnia expedit ex officio, etiam non requiſitus. Ita Socin.
9 *in d. reg. 265. num. 21. fallentiarum.* Et fallit † quoque in iudicio criminali, vbi de intereſſe offenſi agitur; quia ad illud poteſt Iudex partem condemnare, licet non fuerit requiſitus, vt per Crauet. *in conſ. 14. nu. 5. in fine*, &c.

ARGVMENTVM.

Reus in criminalibus quando ſit audiendus per procuratorem, etſi non conſtituat ſe in carceribus.

SVMMARIVM.

1 *Reus non poteſt audiri vbi agitur de pœna corporali per procuratorem, niſi conſtitutus in carceribus, & de ratione concluſionis.*

2 *Reus poteſt audiri per procuratorem, etiam non conſtitutus in carceribus, quando pęna corporalis ſuccedit in locum pecuniariæ, dato fideiuſſore de ſoluenda pœna pecuniaria in caſu ſuccumbentiæ.*

DECISIO XXXIX.

ILluſtris Domin. Poteſtas Lucenſis pronunciauerat non eſſe audiendum Ioannem Dominicum Bottinum, niſi in carceribus conſtitutum. A qua pronuncia cum fuerit interpoſitus recurſus per dictum Bottinum ad Rotam, fuit per nos reſolutum eſſe audiendum ipſum inquiſitum extra carceres. Quãdoquidem per ſtatutum *li. 4. cap. 39.* determinatur, quod quando pro maleficio, de quo quis vexatur, venit imponenda pœna pecuniaria, reus non poſſit

in

in palatio, vel alibi, detineri, ſed datis fideiuſſori-
1 bus audiatur extra carceres, ſecùs † ſi pœna veniret imponenda in corpus. At pœnæ impoſitæ per ſtatutum pro delicto, de quo dictus inquiſitus imputabatur, quod erat quia idem Bottinus de Lucca, ſed Piſis commorans, impetrauerit exequutionem a Dom. Commiſſario Ciuitatis Piſarum contra quẽdam Michaelem, ac Lucam de Piazzano territorij Lucenſis pro quadam ſumma, illamque exequi fecerit contra dd. Piazzano in territorio Lucenſi, contra formam ſtat. *lib. 5. cap. 6.* Pro quo delicto erant impoſitæ pœnæ à dicto ſtatuto non ſolum pecuniariæ, ſed etiã quod poſſet impunè offendi tam in bonis, quam in perſona, ac etiam occidi, viſæ ſunt non perſonales, nec in corpus, eo modo, quo per ſtatuta conſiderantur, propterea fuit reuocata pronuncia d. D. Prætoris.

Nec obſtare viſum fuit quod pœnæ, tales poſſe impunè offendi, ac etiam occidi per ſupradictum ſtatutum impoſitæ, videãtur corporales, cum reſpiciant & afficiant corpus, & in corpus ſint inductæ; nam Primò dicitur, quod ratio propter quã lex mandat, quod in delictis, in quibus eſt impoſita pœna corporalis reus audiri non poſſit, niſi ſe conſtituat in carceribus, ea eſt, ne ſententia reddatur eluſoria, cùm non poſſit exequutioni demandari, ex quo non ſit reus in fortijs Curię, & non poſſit exequi contra fideiuſſorem, qui ad hoc non poteſt ſe obligare, cum nemò ſit dominus membrorum ſuorum, *l. liber homo, la 1. ff. ad leg. Aquil. c. cum homo, 23. quæſt. 5.* Magonus qui alios allegat *in deciſ. Lucana 42. num. 4.* At in hoc caſu, quod talis delinquens poſſit impunè offendi, ac occidi, talis pœna cum non ſit infligenda ab ipſo Iudice, nec debeat exequutioni demãdari per ipſum Iudicem, propter quod ſit neceſſe, quod ipſe reus ſit in eius poteſtate conſtitutus, ad hoc, vt contra eum per miniſtros iuſtitiæ exequi valeat, ſed ab altero exequutioni eſt demandanda, ſequitur dicendum quod diſpoſitio ſtatuti non ſe extendat ad hunc caſum, cum ceſſet ratio legis, qua ceſſante, ceſſare etiam debet eius diſpoſitio, iuxta iura vulgaria.

2 Secundò, † quotieſcumque pœna corporalis ſuccedit in locum pecuniariæ ex aliqua ſpeciali lege, vel ſtatuto admittitur procurator datò fideiuſſore de ſoluendo pœnam pecuniariam in caſu ſuccumbentiæ, vt dicit Farin. *de var. ac diuerſ. quæſt. quæſt. 99. num. 88. & 90.* reiecta opinione Angeli, & aliorum, tenentium contrarium, & Menoch. *de arbitr. iudic. lib. 1. quæſt. 80. num. 5.* qui teſtatur de magis communi. Imola, Rub. Alexandr. qui dicunt hanc eſſe communẽ reiecta opinione Angeli, quos alleg. idem Farinac. in ſupra dicto loco: At in caſu noſtro dicitur ſuccedere iſta pœna, quod poſſit impunè offendi, ac occidi in locum pecuniariæ, eo quia eſt impoſita tantum caſu quo non fuerit ſoluta pœna pecuniaria, qua ſoluta, ceſſat pœna offenſionis, & occiſionis, vt idem ſtatutum clarè diſponit, & per fideiuſſionem cauetur fiſco pro eius indemnitate, & reus condemnatus non euitat pœnam delicti a ſtatuto præfixam.

Tertiò, quando imponitur aliqua pœna in corpus, ad effectum, vt reus delictum purget, & emendet ſoluendo pœnam, iſta dicitur pœna medicinalis, & impulſiua ad talem ſolutionem, ac emendationem faciendam, & non dicitur pœna perpetua, cum poſſit purgari, ex doctrina Bartol. *in l. 2. num. 8. ff. de publ. iud.* eſt text. *in c. cum medicinalis, de ſent. excomm. lib. 6.* & Angel. *in d. l. 2.* ex quo videtur dicendum non venire ſub diſpoſitione ſtatuti.

Quartò, ex decreto Excell. Conſilij anni 1565. fuit declaratum, & diſpoſitum, quod a declarationibus faciendis per Dominum Prætorem contra inculpatos de contrauentione *d. cap. 6. lib. 5.* detur ad Rotam appellatio, ex quo videtur declarari, quod pœnæ *in d. cap. 6.* appoſitæ de quibus modo agitur, non ſint pęnæ corporales, quia ſi eſſent corporales, non poſſet ab eis appellari, prout diſpoſitum eſt per idem ſtat. *li. 4. cap. 150.* cum vnum ſtatutum declaretur per aliud. Et in ſtatutis contrarietas ſit euitanda. Borgn. *deciſ. 6. de iudic.* &c.

ARGVMENTVM.

Obligatus ad factum, quando teneatur præſtare factum vel intereſſe, vel pœnam.

SVMMARIVM.

1 *Dictio (inſolidum) operatur, vt obligati efficiantur duo rei debendi, & agi poſſit contra omnes.*
2 *Contrauentio vnius ex pluribus reis ad aliquod factum obligatis, omnibus alijs nocet.*
3 *Lex quæ recipit plures intellectus non poteſt allegari ad deciſionem cauſarum.*
4 *Contrauentio vnius ex correis, quod noceat alteri, intelligendum eſt reſpectu pœnæ, & intereſſe, non autem facti.*
5 *Quod nullum eſt, nullam parit obligationem & propter eius inobſeruantiam nulla committitur pœna.*
6 *Dubium quod eſt non obligat ad eius obſeruantiam partes, donec fuerit declaratum validum.*
7 *Condemnari non poteſt aliquis propter inobſeruantiam laudi, quando motus ex aliqua iuſta cauſa non adimplet, & obſeruat in laudo contenta.*
8 *Iuſta cauſa litigandi ſicuti excuſat ab expenſis, ita excuſat à condemnatione.*
9 *Quando prohibitum eſt dicere de nullitate principaliter, non prohibetur dicere de nullitate per viam exceptionis, quando nullitas reſultat ex actis ipſis.*
10 *Statuto prohibente exceptiones contra laudum, cenſentur prohibitæ exceptiones ex actis apparentes.*
11 *Statutum excludens dici de nullitate, numquam excludit nullitatem, quæ inſurgit ex defectu iuriſdictionis.*
12 *Laudum non decidens omnia controuerſa eſt nullum.*
13 *Præcedentia, & ſubſequentia declarant quid ſit intentatum, ac proſequutum.*
14 *Pœna in compromiſſo appoſita quando aſſumat naturam intereſſe.*
15 *Intereſſe ſuccedit loco eius, quod erat præſtandum aliquando*

quando etiam reputatur vnum, & idem, & pœna ſuccedit loco rei, qua ſoluta quis excuſatur à facto.

16 *Indiuidua non poſſunt pro parte valere, & pro parte non valere.*

17 *Pœna in compromiſſo appoſita, non committitur niſi quando quis eſt in dolo.*

18 *Agens iure medio non dicitur iuri contrauenire, & nullam pœnam incurrit.*

19 *Intereſſe ad hoc vt conſequi poſſit, debet prius per Iudicem declarari quantitas ipſius.*

20 *Diuidentes licet inuicem ſint de euictione obligati, tamen hoc non procedit, quando ipſi ſunt conſcij de obligatione rei.*

21 *Diuiſio quando eſt facta per viam compromiſſi & tranſactionis, quis non tenetur de euictione, & talis actio non datur niſi ſequuta euictione.*

22 *Error reddit nullum id quod agitur, & poteſt quandocumque retractari, non obſtante quocumque pacto, etiam iuramento vallato.*

DECISIO XL.

FVit obtentum mandatum capturæ a Domino Iudice primarum inſtātiarum, contra Spect. Vincentium Trentam, per Spect. Alexandrum Fridianum, ad effectum, vt obſeruaret promiſſa per eum in inſtrumento. A qua mandati conceſſione fuit interpoſitus recurſus ad Rotam, per d. Spect. Vincentium, & per Rotam fuit pronunciatum non eſſe vllo modo tale mandatum exequutioni demandandum ex infraſcriptis.

Aut enim fuit petitum factum, prout pro parte dict. Spectab. Alexandri prætendebatur. Aut fuit petitum intereſſe, prout ex actitatis videbatur apparere.

Si petatur factum, hoc verſari videbatur quoad primam inquiſitionem, quod ſcilicet Spect. Vincentius debeat operari, quod Domina Benedicta eius vxor approbet, confirmet, atque emologet compromiſſum alias inter prædictos cōſectum, & quod ſe obliget inſolidum cum eo ad obſeruantiam omnium contentorum in dicto inſtrumento compromiſſi. Quo verò ad ſecundam inquiſitionem additur, quod Dominus Vincentius debeat litem, & quæſtionem per Dominam Benedictam contra Dominum Alexandrum motam in ſe ſuſcipere, & ab ea ipſum omnibus Domini Vincentij ſumptibus & expenſis defendere, & promiſſa per Dom. Vincentium ſeruare, prout prædicta leguntur in ipſo proceſſu.

Circa quod dicitur, quod nullibi in inſtrumento habetur, quod Dom. Vincentius ſe obligauerit operari, quod eius vxor approbaret, & confirmaret dicti compromiſſi inſtrumentum, & quod ipſa ſe obligaret vna cum eo in ſolidum ad eorum, quæ in ipſo compromiſſo continentur obſeruantiam, neque vllibi apparet Dominum Vincentium promiſiſſe litem aliquam in ſe ſuſcipere, & ab ea Dominum Alexandrum defendere. Vnde cum nulla appareat obligatio, nulla quoque actio contra D. Vincentium oriri poterat ad effectum conſequendi conſummationem petitæ capturæ. Nam ſtatut. *lib. 1. cap. 111.* intentatum requirit, quod obligatio, & facti promiſsio in inſtrumento appareat, ad hoc vt ſit locus executioni.

Nec obſtare viſum fuit, dum ex aduerſo dicebatur Dominum Vincentium prius vti procuratorem vxoris compromiſſum feciſſe, ac promiſiſſe parere laudo inde ferendo, ac alia, de quibus in inſtrumento compromiſsi, obſeruare. Deinde extra officium procuræ ſe quoque in ſolidum cum dicta eius vxore obligaſſe, quæ dictio (inſolidum) efficit, vt reſpectu huius obligationis Domina Benedicta eius vxor, & ipſe Dominus Vincentius cenſeri de-
1 beant duo rei promittendi, † per text. *in l. 2. & in l. reos promittendi, §. cum in tabulis, in prin. ff. de duobus reis*, & per Roncagall. *in l. 1. num. 7. & 8 ff. eod.* quo fit, vt cum Domina Benedicta dicto laudo contrauenerit, Spect. Alexander potuerit contra Dominum Vincentium correum agere, per text. expreſſum *in l. 3. §. vbi duo, & ibi Doctor. ff. de duobus reis;*
2 ea ratione: quia † contrauentio vnius ex pluribus reis ad aliquod factum obligatis, alijs omnibus nocet, vt in indiuiduo dicit text. *in l. penul. ff. de duobus reis.* Nam dicitur

Primò, *d. l. penult.* recipere multos, ac diuerſos intellectus, vt ibidem notatur per gloſſ. & Doctor.
3 Vnde ſequitur † quod non poteſt allegari ad deciſionem cauſarum, *l. qui Romæ, §. duo fratres, ff. de verbor. oblig.* vbi Doctores.

Secundò dicitur *d. l. penult.* directo contrariam videri *l. mora, in fine, ff. de vſur.* & ad effectum reducendi ad concordiam dd. iura, gloſ. *in d. l. mora*, in verbo non nocet, & ibi etiam Bart. & alij Doctor. dicunt, quod text. *in d. l. penultim.* procedit, quando ſunt duo correi, & inſimul ſocij, tunc enim cum ratione ſocietatis quando tractatur de commodo, vnuſquiſque illorum de eo participat: ita etiam quando tractatur de damno. Verum, quando non ſunt ſocij (prout erat in hoc caſu, in quo tractatur ſolummodo de bonis ad D. Benedictam pertinentibus) tunc factum vnius ex correis alteri non præiudicat, per *d. l. mora, de vſur.*

4 Tertiò reſpondetur, quod quando † contrauentio vnius ex correis nocet alteri, id intelligitur reſpectu pœnæ, & intereſſe, non autem facti, vt in dd. iuribus. Præterquam, quod (vt ſupra dictum eſt) nullibi promiſerat Dominus Vincentius aliquid eorum, de quibus fuit inquiſitus, & ſic in his non ſolum non poterat dici correus, ſed nec etiam in aliquo obligatus.

Quo verò ad illud, quod ipſe Dom. Vincentius promiſerat tam nomine eius vxoris, quā proprio, videlicet, ſtare, parere, & obedire omni laudo ferendo, & ab eo non appellare, querelare, de nullitate dicere, ſub pœna, de qua in eodem compromiſſo, dicitur

Primò quod nullibi in proceſſu apparebat Do. Vincentium in aliquo contraueniſſe, & ideo ad aliquid non videbatur teneri, ad text. *in l. ſtipulatio iſta habere licere*, vbi etiam Bart. & alij, *ff. de verbor. obligat.*

Secun-

Secundò, quia ex quo laudum fuit per Rotam
noſtram declaratum ſi non apertè nullum, ſaltem
valde dubium de validitate (vt ex ſententia & de-
ciſione noſtra apparet) ſequitur, quod ſi laudum
eſt nullum, Spect. Vincentius non tenetur ei pare-
5 re, nec obſeruare contenta in eo; Quod † enim nul
lum eſt, nullam parit obligationem, *cap. non præ-
ſtat, de regul. iur. in 6. l. eius qui, in princip. ff. ſi cer.
pet.* Et propter eius inobſeruantiam non commit-
titur aliqua pœna, *l. 1. ff. de his quæ pęnæ nomine. l.
1. C. eod. l. 2. ſi quis caut.* Alexan. *in conſil. 32. num.
1. & 6.* Caſtrenſ. *in conſil. 77. num. 1. lib. 1.* Socin. *in
conſil. 18. num. 1. lib. 1.* Ruin. *in conſil. 95. num. 15.
lib. 2.* Alba, *in conſil. 41. numero 6.* Cephal. *in con-*
6 *ſil. 226. num. 17.* Si verò † dubium eſt de validita-
te, ſimiliter non obligat ad eius obſeruantiam par-
tes, donec fuerit declaratum validum, vt per Illu-
ſtris. Cardin. Tuſcum, *in concluſ. 253. num. 12. &
16. ſuper littera L. cum multis per eum allegat.* Nam
pœna, ſeu intereſſe, & ſi quid aliud in compromiſ-
ſo appoſitum contra recurrentem, vel appellãtem
non poteſt illico peti, ſed ita demum, cum ſenten-
tia fuerit lata ad fauorem appellati, & confirma-
tum laudum Bald. *in l. ſocietatem, §. arbitrorum,
num. 1. & 2. ff. pro ſocio,* Dinus *in conſil. 19.* Boer.
7 *deciſ. 284. num. 20.* Quia † numquam quis poteſt
condemnari propter inobſeruantiam laudi, quan-
do motus ex aliqua iuſta cauſa non obſeruat, ne-
que adimplet diſpoſita in laudo. Angelus poſt Bal.
*in l. qui Romæ, §. duo fratres, num. 3. ff. de verbor. ob-
ligat.* Caſtrenſ. *in conſil. 94. num. 2. lib. 1.* Illuſtriſs.
Cardin. Tuſcus, *in ſupra allegato loco.* Et cauſa ſa-
tis iuſta videtur non adimplendi, ex quo dubia eſt
8 validitas talis laudi: ſicuti † enim habens iuſtam
cauſam litigandi excuſatur ab expenſis, ita excu-
ſatur a condemnatione, *l. qui ſolidum, §. etiam, ff.
de leg. 2.* Gloſſa *in l. ab exequutione, in verbo, mili-
tandos, C. quor. appell. non recipiun. l. ſi quis fortè,
ff. de pœnis, l. ſi debitor, ff. de petit. hæredit.* Ioann.
Andr. *in addit. ad Specul. titul. de arbitr. §. ſequitur.*
Alberic. *in l. non diſtinguemus, §. cum quidam, ff.
de arbitr.* Bald. & Ancharan. *in l. non ſolum, ff. de
rei vendicat.* Bald. Angel. & Caſtr. *in l. tres fratres,
ff. de pact.* Aret. & Crot. *in l. qui Romæ, §. duo fra-
tres, ff. de verb. obligat.* vbi etiam Soc. iun. *num. 78.*

Nec prædictis obſtare videtur dum ex aduerſo
dicebatur, *per cap. Rotæ 57. & 58. verſic. & prædi-
cta omnia,* non poſſe opponi de nullitate huiuſmo-
di ſententiarum, ſeu laudorum, ſed debere plenum
robur obtinere, maximè quando adeſt confirma-
tio Excellentiſs. DD. Antianorum. Nam dicitur
præſata capit. Rotæ ſibi locum vendicare, quando
quis agendo proponeret principaliter nullitatem,
vt patet ex ipſis verbis capit. Rotæ, vbi appellatio,
nullitatis dictio, reductio, & recurſus, in quibus ca-
ſibus principaliter talia remedia proponuntur. Se-
9 cus † autem videtur dicendum, ſi incidenter, & per
viam exceptionis nullitas proponatur, quæ reſul-
tet ex actis ipſis (prout erat in caſu iſto) iuxta diſpo
ſitionem ſtatut. *lib. 1. cap. 109. & 110. iuncto cap.
152.* in quibus permittitur in exequutione ſenten-
tię arbitralis dici de nullitate, quę conſtat ex actis;
hancque interpretationẽ ſumere debemus ad hoc,
vt diſpoſitiones iſtæ ſtatuti inuicem cõcordentur;
maximè cum talis interpretatio ſit ſecundum di-
ſpoſitionem iuris communis, vt per Socin. *conſil.
46. num. 42. lib. 4.* Ruin. *in conſil. 62. num. 29. lib.
5.* Cephal. *in conſil. 395. num. 44. lib. 3.* Vantius *de
nullit. ſub rubr. Quis poſsit dicere de nullit. num. 51.*
Iaſ. *in conſil. 44. nume. 1. lib. 3. & ibi addit.* Afflict.
deciſ. 283. num. 2. & licet *in d. cap. Rotæ 57. verſic.
& dd. arbitri,* legantur illa verba (omni ſtrepitu,
& appellatione, & qualibet exceptione, & petitio
ne ceſſantibus) per quę dicebatur etiam ſublata fa-
cultas opponendi per viam exceptionis nullitatem
aliquam: attamen dicitur cap. Rotæ intelligi debe-
re de ea nullitatis exceptione, quæ non reſultat ex
actis ipſis, non autem de ea, quæ ex actis apparet;
quod comprobatur *ex cap. Rotæ 55.* vbi in propoſi-
to ſententiæ arbitralis reo reſeruatur eadem facul-
tas ſibi per ſtatuta tributa, nempe trium dierum
ad dicendum contra laudum, quare exequutioni
non ſit mandandum. Et de iure communi etiam
10 ſtante † ſtatuto prohibente exceptiones contra lau
dum, numquam dicitur comprehenſa ea exceptiõ
nullitatis, quæ ex actis apparet. Alexan. *in conſ. 77.
num. 16. lib. 2.* Iaſ. *in conſil. 44. in princ. lib. 3.* Natta
conſil. 120. numer. 14. Vant. *in titul. Quis poſſ. dice-
re de nullit. num. 57.* Socin. iun. *in conſ. 45. num. 19.
lib...* Gabriel. *in titul. de exequut. rei iudic. concluſ.
1. nu. 8.* vbi de magis communi teſtatur, latè Con-
tard. *in l. vnica C. de moment. poſſeſſ. limit. 7. num.
63. & 64.* vbi ampliat idem procedere, ſi nullitas
non ex actis, ſed ex inſtrumento, vel ex ſententia
appareat.

Ex alio etiam dicitur, D. Vincentium per viam
exceptionis audiri potuiſſe, ex quo conſtaret in ce-
lebratione inſtrumenti compromiſſi exceſſiſſe fi-
nes ſui mandati, præſtando arbitris facultatem,
quam ipſe non habebat, de communicandis lucris
Magnifici Ludouici eius ſoceri, & ſic obſtare defe
ctũ iuriſdictionis, quo fit, vt in tali caſu poſſit prin-
cipaliter agi ex diſpoſitione capit. Rotæ 57. & ſic
multo magis agi poterat per viam exceptionis. Et
11 de iure clarum eſt, quod † vbi per ſtatutum excluſa
venit nullitas, non intelligitur ea nullitas excluſa,
quę inſurgit ex defectu iuriſdictionis, vt tenẽt Do-
ctor. quos congerit Gabriel. *in ſuis concluſ. in titulo
de ſtatut. concluſ. 3. num. 1.*

12 Videbatur etiam conſtare † de nullitate d. Lau
di, ex quo non fuit deciſiuum totius quæſtionis
propoſitæ; cum enim plura fuerint compromiſſa,
ſuper vno tantum fuit pronunciatum, omiſſis a-
lijs, quod eſt contra diſpoſitionem cap. Rotæ 58.
verſic. teneatur. Necnon & contra iura communia,
*vt in l. quid tamen, ff. de arbitr. l. qualem, §. dicere, ff.
eod.* Specul. *in tit. de arbitr. §. ſequitur, verſ. quid igi-
tur* Blanc. *in tract. de compromiſſ. quæſt. 9. tit. de ſent.
num. 60.* Ratio eſt: quia actus pronunciationis in-
diuiduus eſt Bartol. *in l. 1. C. ſi aduerſ. rem iudic.* Et
ideò pro parte adimpleri non poteſt, *l. 4. §. Cato, l.
ſtipulationes non diuiduntur, de verbor. obligat.* Ex
quo fit, vt ſtante indiuiduitate, prædicta ſenten-
tia lata ſuper parte petitorum, ſit nulla ipſo iure,

Gloſ.

Gloſ. & Doctor. *in l.2. C. quand. prouoc. non eſt neceſ. l. in hoc iudicio, ff. famil. erciſcun.*

Quo verò ad aliud caput principale deductum circa intereſſe ſi ad inquiſitionem reſpiciatur, licet Spect. Vincentius fuerit requiſitus de facto adimplendo, tamen proteſtatio, in caſu, quo non adimpleret, fuit reſtricta ad intereſſe, ita etiam ſi conſideretur impetratio exequutionis, vtique intereſſe videtur æſtimatum ſcutos mille; inueriſimile enim videtur, quod dicebatur ſcutos mille fuiſſe tantũmodo æſtimata ratione ſolutionis Datij; quia ad hunc effectum ſufficiebat æſtimare intereſſe ad rõnem flor. 26. ad 36. vt ex c. Rotę, & ſtatuto cauetur, cum nemo præſumatur iactare ſuum. Si etiã ad proceſſum reſpiciatur, apparet intereſſe fuiſſe proſequutum, cum hoc fuerit articulatum, ac per

13 teſtes probari conatum, † præcedentia enim, & ſequentia declarant quid ſit intentatum, ac proſequutum, *l. 1. §. fin. C. de impoſ. lucr. deſcript. lib. 10.* Abb. *in conſil. 61. nu. 3.* Roland. *in conſil. 82. nu. 37. & 38. lib. 1.* Crauet. *in conſil. 101. nume. 3. cum ſimilibus.*

Circa quod dicitur, quod cũ in inſtrumento cõpromiſſi a partibus ipſis fuerit cogitatum, & prouiſum in caſu inobſeruantiæ, & contrauentionis laudi, quid eſſet ſoluendum a contrauenientе, & fuerit taxatum in ſcutis quingentis, cum iuramento, pro damnis, expenſis, & intereſſe, non videtur potuiſſe Spect. Alexandrum alterare conuentionem alias inter partes initam, & fingere ſibi nouum intereſſe multo maius, quam eſſet declaratum in compromiſſo.

Nec obſtare viſum fuit, dum ex aduerſo dicebatur, ſcutos 500. fuiſſe appoſitos pro pęna determinanda contra non adimplentem, non autem ꝑ intereſſe, quod eſt ſeparatum a pęna. Pariſ. *in conſ. 109. lib. 1.* Quia dicitur expreſsè in d. inſtrumento

14 declarari ſcutos 500. fuiſſe appoſitos, non † ſolum ad determinandam pęnam, ſed etiam ad declaranda damna, expenſas, & intereſſe tanti taxatas cum iuramento, quo caſu talis pęna aſſumit naturam intereſſe, vt in fortioribus terminis cõcludit Bertaz.

15 *in conſil. crim. 16. nu. 5.* & † intereſſe ſuccedit loco eius, quod erat præſtandum, & reputatur vnum, & idem, & pœna ſuccedit loco rei, qua ſoluta quis excuſatur a facto, *vt in Auth. Decernit, C. de recept. arbitr.* & per Beroum *in conſil. 210. num. 20.* Surd. *deciſ. 306. num. 7. & deciſ. 304. num. 9. & deciſ. 2. nume. 7. & 8.* Et talis taxatio videtur quædam tranſactio facta ſuper intereſſe, quæ eſt ſeruanda. Dec. *in l. vnica, num. 72.* & ibi Cagnol. *num. 108. C. de ſent. quæ pro eo quod intereſt.* Vnde cum captura fuerit extracta pro ſcutis mille, nulla erat, nec dici poterat, quod deberet ſaltem pro ſcutis

16 quingentis valere, cum ſit † quid indiuiduũ, quod non poteſt pro parte valere, & pro parte non, vt per Bald. *in l. certi condictio, §. quoniam, ff. ſi cert. petat.* & Bart. *in l. ſi non ſortem, §. ſi certum, ff. de condict. indebiti.* Alex. *in l. 1. §. ſi ſtipulanti, ff. de verb. oblig.* & alios, quos allegat, & ſequitur Natta *in conſil. 24. num. 3. lib. 4.*

Secundò ad hoc vt contra d. Spect. Vincentium poſſet concedi conſummatio petitæ licentię neceſſe erat, quod adeſſet dolus ꝑ ſui parte; huiuſmodi

17 enim † coercitio ex compromiſſo proueniens, nõ committitur, niſi quando quis eſt in dolo, iuxta text. *in l. in rebus, ff. de recept. arbitr.* iuncta Gloſſ. ſecundum Aret. *in l. qui Romæ, §. duo fratres 3. col. verſic. & aduerte, ff. de verb. oblig.* At cum Spect. Vincentius non ſit in aliquo, ſaltem apparenti, dolo; quia licet eius vxor moleſtet Spect. Alexandrum, & dicat de nullitate laudi, hoc tamen intentat iu

18 re medio, *iuxta l. Gracchus, C. de adult.* Et † ſic non videtur iuri contrauenire, & propterea nullam pęnam incurrere, ad tradita per Bar. *in l. quidam cum filium, ff. de verb. oblig.* quem ſequitur Eugen. *in conſil. 12. num. 101.*

Tertiò, quatenus Spect. Alexander ratione facti

19 non adimpleti † prætenderet conſequi aliquod intereſſe, hoc facere non poterat, niſi prius facta declaratione per Iudicem de quantitate intereſſe, vt diſponitur per ſtat. *lib. 1. cap. 122. verſic. ſin creditor eligeret.* Quod etiam eſt conforme diſpoſitioni iuris communis, vt per Dec. *in conſil. 2.* Alex. *in conſil. 94. in fine, li. 4.* Caſtr. *in conſil. 240. li. 1.* Illuſt. Card. Tuſcus *in concluſ. 246. num. 44. in littera P.* At huiuſmodi declaratio non fuit per Iudicem facta, merito, &c.

Nec viſum fuit obſtare quod dicebatur pro parte d. Spect. Alexandri, teneri D. Vincentium ad ſuſcipiendam litem in ſe, tamquam de euictione obligatum. Quoniam dicitur. Primò ipſum in d. inſtrumento nequaquam apparere obligatum de eui

20 ctione. Secundò, quod † licet diuidentes dicantur ad inuicem obligati de euictione, id tamen non procedit, quando alter fuit ſciens de re obligata, vt per Bart. *in l. qui Romæ, §. duo fratres, nu. 27. in fine,* ibi, [aut fuerunt ſcientes,] *ff. de verb. obli.* Cabal. *de euiction. §. 3. num. 166. cum ſeq.* vt probat text. *in l. ſi fundum ſciens, C. de euiction.* vbi Doct. cum alijs latè adductis per Tiraquel. *de retractu lign. §. 12. gloſ. 1. num. 7.* Cum autem ageretur de facto proprio, Spect. Alexandri, clarum erat ipſum habuiſſe talem ſcientiam. Tertiò, quia D. Vincentius nihil diuiſit nomine proprio, ſed procuratorio nomine vxoris, & propterea quoad ipſum euictionem non

21 inſurgere. Quartò, quia † diuiſio fuit facta per viã compromiſſi & tranſactionis, quo caſu quis non tenetur de euictione, vt per Cremenſ. *Singul. 130.* Quintò, quia dato, quod teneretur de euictione, huiuſmodi tamen actio non datur, niſi ipſa euictione ſequuta, *l. qui rem, C. de euiction.* Alexand. *in conſ. 4. lib. 3.* Cepol. *in cautela 71.* Ruin. *in conſil. 146. nume. 1. lib. 4.* Beccius *in conſil. 24. & in conſil. 106. nume. 44.* Cabalin. *d. tract. §. 5. num. 86.* Sextò, con-

22 tra d. diuiſionem allegatur † error confeſſionis emanatæ a D. Vincentio circa communionem lucrorum factorum a Mag. Ludouico eius ſocero in aduocatione, quod operatur quod deciſio ſequuta poterat quandocumque retractari, non obſtante quocumque pacto, de non contraueniendo, etiã iuramento vallato, vt in terminis conſuluit Dec. *in conſil. 475. nu. 30. & conſil. 525. nu. 6.* Socin. iun. *in conſil. 48. num. 43. & conſil. 128. num. 21. lib. 1.*

Bertaz. *conſult. deciſiu. li. 1. cõſ. 37. nu.* 10. Menoch. *in conſil.* 320. *a num.* 11. *vſque ad num.* 20. Et ſunt iura expreſſa *in l. ſi poſt diuiſionem,* vbi Bart. & Doctor. *C. de iuris & facti ignor. l. computarem, in fine, ff. famil. erciſcun. & in l. 3, C. commun. vtriuſque iudic.* Et ratio eſt; quia errantis nullus eſt conſenſus aut voluntas, Dec. *in l. nihil conſenſui, §. non videntur, ff. de reg. iur.* Immò error facit, ut conſentiens pro repugnante, & contradicente habeatur, Bart. *in l. error, in fine, C. ad leg. Falcid.* de quo errore videbatur apparere ex libris productis. Ex quo patet etiam, quod Do. Vincentius non poterat cogi ad adimplendum promiſſionem prędictam, aut ad ſoluendum aliquam pęnam, aut intereſſe, cum talis promiſſio tamquam erronea poſſet reuocari, vt eſt clara deciſio Pauli dę Caſtro, & Iaſ. *in l. finali, §. item quæſitum eſt, ff. de condict. indebiti.*

Ex quo etiam ſequitur quod cum D. Benedicta prætendat non ſolum fuiſſe erratum in d. diuiſione & compromiſſo; ſed etiam fuiſſe enormiſſimè læſam, & ideo fuit ad eius inſtantiam iudicatum, faciendum eſſe nouum compromiſſum, ex hoc ẽt non videtur teneri D. Vincentius ad obſeruantiã in illius præiudicium, ex his, quæ tradit Eugen. poſt relatos *in conſ. 12. col. finali,* &c.

ARGVMENTVM.

In ſtatuto quando dicatur aliquid datum pro forma, & ex quibus verbis forma inducatur.

SVMMARIVM.

1 *Forma diligenter eſt ſeruanda, aliàs actus corruit.*
2 *Forma dicitur a ſtatuto inducta, quando ante actum, vel in actu requirit aliquid fieri.*
3 *Statutum quando de nouo aliquid inducit cum certis modificationibus, id pro forma dicitur inductum.*
4 *Verbum, debet, importat formam.*
5 *Forma non ſeruata, actus redditur nullus.*
6 *Et quando aliquid pro forma requiritur in ſtatuto, talis forma non poteſt per æquipollens adimpleri.*
7 *Clauſulæ (Quatenus, &c. non approbando, &c. ſaluis, &c.) præſeruant ius proteſtanti de nullitate.*

DECISIO XLI.

DOmina Eliſabet de Burlamacchis, interpoſuit recurſum ad Rotam a pronuncia DD. Arbitrorum lata ad fauorem Spect. Pompei Burlamacchi, qui recurſus fuit per nos declaratus nullus, eo quia per cap. Rotæ 31. *in princ.* diſponitur, quod recurſus, qui in huiuſcemodi cauſis interponuntur, debeant parti intimari eadẽ die, vel ſaltem die ſequenti. Quod cum non fuerit factum in præſenti recurſu, propte-
1 rea fuit per nos declaratus nullus. † Forma enim ſtatutorum eſt diligenter ſeruanda, Cephal. *in conſil.* 480. *num.* 30. Rimin. iun. *in conſil.* 170. *num.* 26. Barzius *deciſ.* 87. *num.* 1. qua non ſeruata, actus corruit, *l. non dubium, & ibi Doctor. C. de legib.* Dec. *conſil.* 528. *in fine, & conſ.* 532. *num.* 2. Barzius *deciſ.* 82. *num.* 2. Lepid. in terminis *deciſ.* 11. Surd. *deciſ.* 122. *nu.* 2. & 3.

Nec obſtare viſum fuit dum ex aduerſo dicebatur, c. Rotæ 31. non procedere vlterius ad annullationẽ actus propter talem defectum citationis, qui poteſt per æquipollens adimpleri, vt factũ fuit per citationem poſt duos dies immediatè ſequutos. Quia dicitur, quod per *cap.* 31. Rotæ, ad quod ſe refert *cap.* 30. per illa verba, [ſed debeat parti intimari eadem die, vel ſaltẽ die ſequẽti] dicitur indu-
2 cta forma, vt ſupra dictũ fuit. Quia † dicitur forma tradita a ſtatuto, quando ante actum, vel in actu requirit aliquid fieri, *Auth. Hoc ius porrectum, C. de ſacroſan. eccle. l. hac conſultiſſima, in princ. de teſtam.*
3 Gloſ. *in c. dubium, de electiõ.* Nam † quando ſtatutum aliquid de nouo inducit cum certis modificationibus, id pro forma inductum dicitur, Dec. *in conſil.* 434. *num.* 1. & 455. *num.* 7. Aymo *in conſil.* 182. *num.* 10. *deciſ. Pedemont.* 165. *nu.* 11. At in caſu iſto cap. Rotæ inducit de nouo modum recurrendi cum termino temporis, igitur datur pro forma, & magis in terminis Felin. *in cap. cum dilecta, de re-*
4 *ſcript. col.* 8. *verſic. octauum ſignum.* Verbum † etiã debet, appoſitum in d. cap. importat neceſſitatẽ, & formam, Felin. *in d. cap. cum dilecta, col.* 8. *verſ. ſeptimum ſignum,* eſt text. *in l. Prætor, in princ. ff. de eden. l. debitor, ff. de verb. ſig.* Bart. *in l. creditores, nu.* 3. *vbi Addent. C. de pigno.* Ruin. *in conſ.* 111. *nu.* 18.
5 *vol.* 2. Ex quo ſequitur, † quod actus ſit nullus, Alex. *in l.* 1. *num.* 6. *ff. de lib. & poſthum.* Vant. *dę nullit. tit. quot, & quib. mod. nullit. in iud. propon. nu.* 52. *verſic. & ſi præmiſſa.* Natta *in conſ.* 214. *num.* 12. & 13. vbi de cõmuni. *Deciſ. Pedemon.* 113. *nu.* 7. & 8. & 165.
6 *per totam.* Et † quod tali caſu non poſſit forma per æquipollens adimpleri, not. Doctor. *in l.* 1. *ff. de lib. & poſthum.* Marſil. *in conſ.* 65. *nu.* 13. Crot. *in l.* 1. *§. ſi quis ita, de verb. oblig.* multos congerit Borgnin. *de vſufr. num.* 89. *pag.* 243. *in princ.*

Nec etiam obſtat dum dicebatur, per comparitionem partis in termino citationis eſſe ſanatam omnem prætenſam nullitatem, per allegata: Quia hoc procedit, quando ſtatutum non requirit aliquid pro forma, vt per Mandoſ. *in addit. ad conſil. Romani* 360. *in littera B. in verbo, ſufficiens,* & om-
7 nem difficultatẽ videntur remouere † Clauſulæ in primo actu appoſitæ (Quatenus, &c. non approbãdo, &c. Saluis, &c.) per quæ dicitur conſeruatũ ius proteſtãti de nullitate *l. qui in aliena, §. finali, & ibi Bar. & Doct. ff. de acqui. hæred.* Felin. *in c. cum M. col. pen. verſ. & pro iſta fallentia, de conſtit.* Papienſ. *in tit. de declinat. iuriſd. in gloſ. proteſtans.* Maranta *in Speculo, in 6. par. in* 10. *membr. nu.* 10. Et quod huiuſcemodi proteſtatio & reſeruatio conſeruet ius proteſtanti, Veſtrius *in praxi lib.* 6. *c.* 1. *num.* 6. vbi Addent. *num.* 23. Ruin. *in conſil.* 45. *vol.* 5. &c.

AR-

ARGVMENTVM.

In exactione dotis an ſit ſequendum forum viri, an verò vxoris. Et nonnulla ad intellectum *l. exigere dotem, ff. de iudic.* pertinentia.

SVMMARIVM.

1 *Actor ſequi debet forum rei.*
2 *Dos eſt exigenda in loco & domicilio viri.*
3 *Reus poteſt conueniri ratione contractus, vbi ipſe contractus fuit celebratus.*
4 *Speciale eſt in dote quod dos ſit exigenda vbi maritus habet originem, & domicilium, & non vbi contractus eſt celebratus.*
5 *Fallit tamen iſta concluſio, quando vxor duceret maritum in eius domum.*
6 *Et in hoc requiritur quod perpetuo ſit permanſurus maritus in domo vxoris, non autem ad tempus.*
7 *Ad conſtituẽdum domicilium requiritur animus permanendi perpetuo in eo loco, aliàs nec per ſpacium mille annorum conſtituitur domicilium.*
8 *Mulier ſtatim contracto matrimonio forum viri ſortitur.*
9 *Ex eo quod quis ſit ciuis ex priuilegio alicuius loci, non per hoc amittit priuilegia fori originis.*
10 *Ad hoc vt quis ratione contractus ſortiatur forum in aliquo loco, requiritur quod ibi fuerit inuentus, & perſonaliter citatus.*
11 *Quod etiam procedit in ciue.*

DECISIO XLII.

SPect. Bartholomæus Vannius interpoſuit recurſum ad Rotam a pronuncia D. Iudicis primarum inſtantiarum, lata ad fauorem hæredum olim Spect. Pompei Barſotti, circa quem viſum fuit eſſe pronunciandum, bene recurſum, & male interloquutum, ex pluribus.

Primò, quia cũ hic ageretur cõtra Spect. Ioan. Vannium de Piſtorio, pro quo comparebat d. Spectab. Bartholomæus, qui Do. Ioannes eſt ciuis, & oriundus a ciuitate Piſtorienſi, vbi ab annis trigintaſeptem circiter habitauit cum eius vxore, viſum fuit ſecundum vulgarem regulam in iure approba
1 tam, debere cõueniri coram ſuo Iudice, cum † actor
ſequi debeat forum rei, *cap. cum clericus laicum, & cap. cum ſit, extra de foro competent. l. finali*, vbi Bal. *C. vbi in rem actio. l. 2.* vbi Bartol. & alij, *C. Vbi, & apud quem, l. in criminali, C. de iuriſdict. omn. iudic.* Roland. *in conſil. 23. num. 8. & 9. lib. 2.* Dec. *in conſil. vlt. num. 7.* Surd. *in conſil. 266. num. 8. lib. 2.* Menoch. *in conſil. 322. num. 10. & conſil. 644. num. 20.* Borgnin. *deciſ. 2. nume. 1. & deciſ. 20. nume. 1. libro 1.*

Secundò, quia vltra communem ſupra allegatam regulam, habemus etiam in iure determina-
2 tam præſentem controuerſiam; cum † enim agatur de exactione dotis, ab hæredibus facienda ipſius vxoris prædefunctæ, contra maritum ſupra uiuentem, vtique erat ſequendum forum vbi maritus habebat domicilium, vt eſt text. *in l. exigere dotem, ff. de iudic.* vbi Bartol. in ſummario, quem omnes ſequuntur.

Nec obſtare viſum fuit dum ex aduerſò diceba-
tur, quod cum contractum fuerit matrimonium
3 in hac Ciuitate Lucenſi, † poterat ratione talis cõ-
tractus hic conueniri, iuxta text. *in l. in contracti-
bus, §. in omni*, & ibi Bald. *C. de non numer. pecun.*
4 Roland. *in conſil. 26. num. 31. lib. 2.* Nam † dicitur
eſſe ſpeciale in dote, quod fiat exactio in loco vbi maritus habet domicilium, ſecũdum communem intellectum Doctor. *ad d. l. exigere*, vt ibi notant Bartol. & alij, & idem Bartol. & Bald. *in l. 1. C. de ſum. Trin. cap. 1. de ſponſal. cap. finali, de foro competenti.*

Dicebatur inſuper, quod ſtante, quod D. Ioannes contraxit matrimonium in ciuitate Lucana tamquam ciuis, vt ipſe fatebatur in inſtrumento cuius vigóre agitur, & quod ante contractum ma-
trimonium per plures annos habitauit Lucæ, & in
5 ea habuit & exercuit apothecam, & † ab vxore
fuit ductus ad habitandum, videtur procedere limitatio *ad d. l. exigere*, quæ a Cagnol. traditur *ſub num. 7.* quod ſcilicet d. lex habeat locum quando maritus ibi contraxit tamquam aduena, & ſtatim receſſurus, ſecùs autem, quando tamquam ciuis, & in tali loco permanſurus, & quando fuit ab vxore ductus in eius domum, prout videbatur eſſe in caſu iſto. Et hanc declarationem ſequi videtur Bald. *in l. finali, in 1. col. num. 2. C. ſi à non compet. iudic.* Facit quod tradit Vrſil. ad Afflict. *deciſ. 225. num. 2. & ipſa etiam deciſio num. 7.* & alij, quos allegat idem Vrſil. nempè Barbat. *in conſil. 4. in fine, lib. 2.*

6 Nam dicitur, quod † talis declaratio eſt intel-
ligenda, quando maritus non per aliquod temporis ſpatium tantummodo, ſed continuo in domicilio vxoris permanſerit, vt per Bald. *in l. cum quædam, num. 1. ff. de iuriſdict. omn. iud.* dum dicit quod etiam ſi vxor traduceret maritum ad domum ſuã, nihilominus ſortitur forum viri. & Bal. intelligendus eſt in talibus terminis, *in l. finali, C. ſi a non compet. indic. num. 2. verſic. ſed ſi vir*, quando vir erat continuè permanſurus in domo vxoris, & re vera permanſerit, & ſic Bald. non videtur a ſeipſo diuerſus, vt videtur innuere Iaſ. *in d. l. cũ quædam, nu. 1.* Ita etiam videtur declarare Paul. de Caſtro, *in d. l. exigere, nu. 2. in fine, ff. de iud.* ibi, [ſed hoc pacto verum, vbi ſperabatur ibi continuo morari,] faciunt quæ in ſimili dicit Ruin. *in conſil. 58. num. 2. & 4. lib. 1.* & Roland. à Val. *in tract. de lucro dotis, quæſt. 16. num. 8.* Surd. *deciſ. 227. num. 7.* ibi, [quando maritus acceſſit ad domum vxoris animo ibi conſtituendi perpetuum domcilium,] & Borgnin. *deciſ. 3. num. 28. & deciſ. 14. num. 41. de
contract.* Dec. *in l. cum quædam puella, num. 9. ff. de
7 iuriſdict. omn. indic.* Nam † ad conſtituendum do-
micilium requiritur quod quis habeat animum il-

lic perpetuo commorandi, Pariſ. *in conſil.* 12. *num.* 17. *lib.* 3. cum multis alijs per eum allegat. Si enim quis habeat animum abeundi, etiamſi permaneat per mille annos in aliquo loco, non ibi conſtituitur domicilium. Cephal. *in conſil.* 451. *num.* 172. *cum ibi allegatis*. Maſcard. *de probat. concl.* 534. *nu.* 12.

8 Et † contracto matrimonio mulier ſtatim ſortitur forum viri, etiam antequam ducatur ad eius domum. Ruin. *d. conſil.* 58. *num.* 4. & Roland. *de lucro dot. quæſt.* 16. *num.* 10. *&* 11. Alexan. *in d. l. cum quædam puella*. At in caſu iſto talis mulier poſt contractum matrimonium fuit a viro ducta ad eius domum, ibique cum eo vixit per ſpatium triginta ſeptem annorum, & mortua eſt, propterea non eſt hæſitandum, quod non debeat habere locum diſpoſitio *d. l. exigere*, & ſic quod conueniri debeat in ſuo foro, vbi habuit à tãto tempore citrà ſuum domicilium.

9 Nec quidquam facit, quod † d. Ioannes eſſet ciuis Lucẽſis ex priuilegio: quia ex hoc non ſequitur, quod ipſe amiſerit ſuum forum originis, & iura, ac priuilegia ſibi competẽtia quoad dictum forum, vt dicit idem Ruin. *in d. conſil.* 58. *num.* 5. *lib.* 2. *cum alijs per eum allegat.* Rota Romana, *deciſ.* 327. *in nouiſſim. diuerſ. par.* 1.

Et cum per ſtat. huius ciuitatis diſponatur *in c.* 249. *lib.* 4. *verſic. & iſte quidem*, quod talis ciuis eo ipſo quod a ciuitate recedat, & alibi ſe ad habitandum conferat, amittat nomen & priuilegia ciuiũ, ſequitur quod tempore mortis eius vxoris, non eſſet amplius ciuis Lucenſis, nec priuilegia fori ei competerent, & ſic tamquam ciuis non poterat hic conueniri.

10 Accedat etiam quia † ad hoc vt quis ratione cõtractus ſortiatur forum in aliquo loco, requiritur quod ibi perſonaliter fuerit inuentus, & citatus. Ancharan. *quæſt.* 14. *num.* 4. Andr. Gail. *Obſeruat.* 36. *num.* 14. *lib.* 2. Carpan. poſt Couar. & alios *ad ſtat. Mediolan. cap.* 13. Surd. *conſil.* 168. *num.* 54. *lib.* 2. quod hic non verificabatur, Ceph. *in conſil.* 414.

11 *num.* 49. Quod † procedit etiam in ciue, Honded. *in conſil.* 5. *num.* 35. *lib.* 1. &c.

ARGVMENTVM.

Captura ad hoc vt ſit concedenda cõtra aliquem vigore ſtatuti, quomodo debeat de credito conſtare.

SVMMARIVM.

1 *Captura ad hoc vt ſit locus ex diſpoſitione ſtatuti, debet prius conſtare per publicum inſtrumentum de obligatione expreſſè & clarè.*

2 *Statutum tribuens exequutionem inſtrumento, etiã parte non citata, intelligendum eſt de puris, & liquidis inſtrumentis.*

3 *Intellectus ſeparatus ab inſtrumento & a carta, non ſufficit ad effectum talis captura.*

4 *Citatio eſt de iure diuino, & humano.*

5 *Statutum quod eſt contra ius commune interpretari debet, vt minus corrigat ius commune, quam ſit poſſibile.*

6 *Debitor qui per quinque vices perſeuerauit in annua ſolutione, præſumitur in præteritum etiam ſemper ſoluiſſe.*

DECISIO XLIII.

FVerat petita captura coram D. Iudice ordinario per Magnificum Theophilum Carellium contra Ioãnem Peretti de Lamare, quæ fuit eĩ denegata per d. Do. Iudicem, a qua pronuncia interpoſuit recurſus Do. Theophilus ad Rotam, quæ declarauit benè pronunciatum, & malè recurſum.

Primò, quia ex inſtrumento, cuius vigore agebatur per Magnif. Theophilum, non conſtabat de obligatione d. Ioannis, ſaltem eo modo, quo in hoc iudicio conſtare debuiſſet, ad effectum obtinendi petitam capturam; nam licet idem Ioannes iurauerit ab anno 1592. citra, eſſe in poſſeſſione bonorum pro D. Theophilo, quorum affictus modo petuntur, non tamen per hæc verba poterat dici inductum fuiſſe contractum aliquem locationis, ac conductionis, pro quo poſſent peti per Do. Theophilum penſiones, ſeu affictus aliqui, nec in dicto inſtrumento ipſe Ioannes conſtituit ſe debitorem

1 pro d. tempore de ſumma aliqua, & † ad hoc vt deueniri poſſit ad capturam contra aliquem ſine citatione ad formam ſtatuti, debet prius euidenter cõſtare de obligatione per inſtrumentum publicum, ita quod ibi legatur talis obligatio, Bal. *in l. legem, num.* 1. *cum ſeq. C. de locat.* Afflict. *deciſ.* 365. *num.* 15. Iaſ. *in conſ.* 49. *num.* 2. *lib.* 3. quos allegat & ſequitur Cabal. in terminis *in conſ.* 42. *num.* 6. & per Stat. *lib.* 1. *cap.* 111. *in princ.* Vnde, cum talis obligatio non appareat ex ipſo inſtrumento pro annis, pro quibus fuit petita captura, meritò fuit denega-

2 ta. Et † ſtatuta, quę tribuunt talem exequutionem inſtrumentis, debent intelligi de inſtrumentis puris, & liquidis, Bartol. *in l. proinde, in fine, ff. ad leg. Aquil.* Alexan. *in l. item quia, ff. de pactis, & in conſil.* 119. *col.* 2. *lib.* 1. quos allegat Cephal. *in conſil.* 204. *num.* 5.

Nec refert quod d. Ioannes ſe obligauerit pro annis tribus futuris ſoluere ſextaria tria cum dimidio frumenti ſingulo anno: quia ex hoc inferri non poteſt, quod etiam pro alijs annis præcedentibus, pro quibus iurauit ſe eſſe in poſſeſſione dd. bonorum, teneatur ſoluere eumdẽ affictum; tum, quia poterat eſſe, quod pro annis præcedentibus dd. bona poſſederit alio titulo, veluti precariò, ſeu alio modo, per quod non teneatur ad aliquam penſio-

3 nem; tum etiam, talis † intellectus eſt ſeparatus a carta, & ideo non ſufficit ad effectum capturæ obtinendæ, ad tradita per Iaſ. *in l. certi condictio, nu.* 21. *ff. ſi cert. petat.* vbi etiam Dec. *num.* 8. & Cabal. *d. conſil.* 42. *num.* 6.

Et cum ſtatutum prædictum ſit correctorium iuris communis, ex quo de iure communi non habent

bent exequutionem paratam talia inſtrumenta, *l.
minor viginti quinque annis cui fideicommiſſum, ff. de
minor. & l. ſi cum nulla, de re iudic. & l. 1. C. de ex-
4 cept. rei iudic.* & cum tollat † citationem, quæ eſt
non ſolum de iure humano, *l. nam ita diuus, ff. de
adopt. l. de vnoquoque, ff. de re iudic.* ſed etiam de iu-
5 re † diuino, Bartol. *in Extrauag. ad reprimend. ver-
ſic. & figura,* Propterea eſt interpretandum vt mi-
nus ius commune lædat, quam fieri poſſit, *cap. di-
lectus, vbi Butr. de conſuet. l. ſerui veſtri, cum ibi no-
tat. C. de noxal.* Roman. & Berous, quos allegat
Surd. *deciſ. 44. num. 6.*

Secundò, cum appareret ex confeſſione d. Ma-
gnifici Theophili, quod d. Ioannes per tres ſolutio-
6 nes cōtinuatas, ac etiam vlterius, nempè † per quin-
quennium ſoluerit continuò, præſumitur ſemper
in præteritum ſoluiſſe, vt per text. *in l. quicumque,
C. de apoch. publ. lib. 10.* Rota *in nouiſſim. deciſ. 3. de
locat.* Angel. *in Authent. de non alienand. §. ſcire au-
tem, num. 25. collat. 2.*

Et hoc etiam confirmatur ex eo, quod non erat veriſimile, quod Magnif. Theophilus iterum locaſſet eadem bona d. Ioanni, ſi pro annis præteritis remanſiſſet debitor de tanta ſumma, vel ſaltem apposuiſſet tale debitum in inſtrumento locationis, vel aliquam mentionem de eo feciſſet.

Tertiò, quia ſtāte ſolutione facta pro dicto quinquennio, & iuramento præſtito per d. Ioannem ſe ſoluiſſe pro tempore præterito (vt ex actis conſtabat) ad formam d. ſtatuti, non poterat vlterius inquietari, ſed debebat per Iudicem abſolui, ita diſponente ſupradicto ſtatuto, &c.

ARGVMENTVM.

A ſententijs definitiuis debet interponi appellatio, nō autem recurſus, qui datur vbi appellari non poteſt.

SVMMARIVM.

1 *Sententiæ definitiuæ eſt proprium in totum dirimere negotium de quo agitur, & ex hoc dignoſcitur quod ſit definitiua.*

2 *Recurſus in illis dumtaxat caſibus interponitur vbi appellatio admitti non poteſt.*

DECISIO XLIV.

Recurſui interpoſito ad Rotam per
Dom. Liuiam de Camigliano fuit
pronunciatū per Rotam, non fuiſ-
ſe, nec eſſe deferendum, quia cum
1 † pronuncia ſeu ſententia Domin.
Iudicis Ordinarij, a qua fuit inter-
poſitus præſens recurſus, eſſet ſententia definiti-
ua, ex quo abſoluit reum a petitis, per quod dicitur
negotium, de quo agitur in totum definitum, &
cum contineat abſolutionem, quod eſt proprium
definitiuarum, vt dicit Lepid. *deciſ. Lucana 95. in 1.
colum.* & ante eum Ripa, & alij, per Lepid. *ibidem*
allegati. Et cum a tali ſententia non eſſet prohibi-
ta appellatio, immò permiſſa, vtique ab ea, non da-
2 batur recurſus, cum † recurſus detur tantummo-
do in illis caſibus, in quibus appellari non poteſt,
vt per Menoch. *de arbitr. iudic. lib. 1. quæſt. 70. colum.
finali.* Lancellot. *de attentat. in 2. parte, cap. 19.* quos
refert & ſequitur Lepid. *deciſ. Lucana 97. colum. 4.
verſic. cum igitur.* Sed erat appellandum ad formam
ſtatuti, & iuris communis. Vnde cum talis recurſus
non competeret, merito per nos fuit pronuncia-
tum, ei non eſſe deferendum, &c.

ARGVMENTVM.

In domo propria pro debito ciuili aliquis capi non poteſt. Et quid operetur Clauſula renuncians, &c.

SVMMARIVM.

1 *In domo propria pro debitis ciuilibus nemo capi poteſt.*

2 *Idem eſt in loco vbi quis moratur & habitat exercendo artem ſuam, vt puta molendinarius in molendino.*

3 *Fallit, quando fuit renunciatum omni legum auxilio, quia tunc etiam in domo propria quis capi poteſt.*

4 *Requiritur tamen, quod talis renuncians ſciuerit quid importet dicta Clauſula, & quod eius vigore poſſit domi capi, aliàs illa Clauſula, Renuncians, &c. id non operatur.*

5 *Iuri quod quis ignorat ſibi competere, non creditur aliquis renunciare.*

6 *Renunciatio etiam generaliſſima non extenditur ad incognita ipſi renuncianti.*

7 *Notarij tenentur certiorare perſonas maximè idiotas de Clauſulis, quæ in inſtrumentis apponuntur.*

8 *Renunciatio reſtringitur ad ſpecificata.*

9 *Clauſula, Renuncians omni legum beneficio, in fideiuſſionis contractu appoſita, non extenditur ultra talem obligationem.*

10 *Renunciatio ſtrictiſſimè eſt interpretanda.*

11 *Clauſula, Renuncians, &c. non poteſt ſuppleri in præiudicium debitoris.*

12 *Maxime cum non fuit intellecta, nec ſtipulata.*

DECISIO XLV.

Fvit interpoſitus recurſus per Dominum Franciſcum Salium aromatarium, a pronuncia Dom. Iudicis prim. rum inſtantiarum, lata ad fauorem Saluatoris Pierij de Guamo ad Rotam, quæ pronuncia fuit per nos confirmata. Moti, quia cum ex teſtibus in proceſſu examinatis clarè appareret dictū Saluatorem fuiſſe in molendino, quod ipſe conduxerat a Magnif. Communi Lucenſi, captum pro debito ciuili. Et cum fuerit probatum d. Saluato-

 rem

rem habitaſſe, & habitare in dicto molẽdino, nun-
quam in domo eius propriæ habitationis, vna cum
vxore, & filijs, ſequitur quod ibidem non potuerit
capi pro debito ciuili, prout fuerat captus, ſecun-
dum vulgarem iuris regulam, & claram Doctorũ
1 ſententiam, quod † in domo propria quis capi non
poteſt, nec ab ea extrahi inuitus pro debitis, & cau-
ſis ciuilibus huiuſcemodi, tum domus eſſe debeat
vnicuique tutiſſimum refugium, iuxta text. *in l. ple-
rique, ff. de in ius vocan.* vbi Bart. & Doct. paſſim, &
in ſpecie Iaſon. *num.* 30. & Socin. *& in l. nemo de do-
mo*, vbi Dec. & Cagnol. *de reg. iur.* Pedroch. *in conſi.*
40. *num.* 57. & per ſtat. *in capit.* 117. *lib.* 1. Et quod
2 † talis diſpoſitio iuris communis, & ſtatutorum hã-
beat etiam locum in molendino, in quo molendina-
rius habitat, tradunt Iaſon *in d. l. plerique, num.* 10.
Carpan. *ad ſtat. Mediol. cap.* 65. *num.* 12. *par.* 2. Phi-
lip. Portius *concluſ.* 20. *verſ. ſeptimo, lib.* 3.

Nec obſtare viſum fuit dum ex aduerſo diceba-
tur, beneficium iuris communis & ſtatutorum nõ
poſſe ſuffragari dicto Saluatori, ex quo in inſtrumẽ-
to obligationis, & fideiuſſionis præſtitæ ad fauorẽ
ſupradicti D. Franchi, renunciauerat omni benefi-
cio legum, per Clauſulam generalem in d. inſtru-
mento appoſitam, Renuncians, &c. ſupradicta ete-
nim concluſio inter alias fallentias quas recipit vna
3 eſt, quod † non procedat, quando fuit renunciatum
tali beneficio legum, vt dicit Iaſ. *in d. l. plerique, nu-
mero* 29. *fallent.* 13. & per Socin. *ibidem num.* 69. *de
in ius vocan.* Et per Gabr. *in titul. de crimin. concluſ.*
10. *num.* 39. *& ſeq. limit.* 15. Et quod talis renuncia-
tio inter alios effectus operetur, quod quis in domo
propria capi poſſit, tradiderunt præter ſupra alle-
gatos, Tiraquel. *in l. ſi vnquam, in præfat. num.* 171.
ante finem, verſi. item & beneficio. Neuizan. *in conſil.*
91. *num.* 19. Ancharan. iun. *quæſt. famil. lib.* 1. *quæſt.*
37. *quæſito* 2. *num.* 6. *cum ſequen. & lib.* 2. *quæſt.* 8. *nu-
mero* 6. *& ſeq.* Roland. *in conſil.* 13. *num.* 14. *lib.* 1. *&
conſil.* 17. *num.* 13. *libr.* 4. Bertazol. *de Clauſ. clauſula*
40. *glo.* 6. *num.* 4. *ver. & beneficio, d. l. plerique.* Facit
ad hoc etiam ſtatuti diſpoſitio *cap.* 101. *lib.* 2.

Quia dicitur, prædicta intelligi debere ſano mo-
4 do, hoc eſt, in † eo, qui habuit ſcientiam, & cogni-
tionem valoris d. Clauſulæ, Renuncians, &c. & ſci-
uerit, & intellexerit id quod agitur, & pro quo de-
beat obligari: ſecus autem quando agatur cum idio-
ta, ruſtico, ac penitus litterarum ignaro, quia talis
ignorantia aufert conſenſum, cum conſenſus non
poſſit conſiderari in eo, qui non intelligit contenta
in inſtrumento, & vires Clauſularum in eo appoſi-
tarum. Vnde cum in proceſſu ſit probatum d. Sal-
uatorem eſſe ruſticum, ac litterarum ignarum, cum
nec etiam legere, ac ſcribere ſciat, & propterea nõ
poſſet ſcire, quid talis Clauſula importet, vtique e-
rat concludendum ſibi non potuiſſe præiudicare,
ſicuti in terminis noſtris tradit Marſil. *in Rubric.
de fideiuſſor. numer.* 36. & idem Marſil. *in ſingul.* 18.
per totum, per doctrinam Bar. *in l. finali, §. idem quę-
ſiuit, nu.* 2. *ff. de condict. indeb.* Quam doctrinam pro
ſingulari refert Alexan. *in conſil.* 42. *incip. ſuper præ-
5 miſſo*, 4. *colum. num.* 12. *in princ. volum.* 1. Non † enim
quis dicitur renunciare iuri, quod ignorat, *l. mater
decedens*, *vbi gloſ. & Doctor. ff. de inoffic. teſtam. l. nec
ignorantia, C. de donat. l. repudianda, ff. de acquir. hę-
red. l. ne quis, §. finali, ff. de acquir. hæred.* Iaſ. *in l. quam-
diu, num.* 3. *C. Qui admitti ad bonor. poſſeſ.* Dec. *in con-
ſil.* 531. *num.* 23. Alexand. *in conſil.* 8. *num.* 18. *vol.* 3.
Ceph. *in conſil.* 244. *nu. vlt.* vbi de communi, latius
in conſil. 3. *num.* 100. Paril. *in conſ.* 49. *num.* 43. *vol.* 3.
6 Pedroch. *in conſ.* 26. *numero* 23. Et † renunciatio e-
tiam generaliſſima, non trahitur ad incognita ipſi
renuncianti, *l. qui tutorlbus, ff. de tranſact. l.* 3. *ff. eod.
l. ſi de certa, C. eod.* Menoch. *in conſil.* 335. *numer.* 12.
7 *volum.* 4. Debent † enim Notarij certiorare tales
perſonas de huiuſcemodi Clauſulis, & etiam de
omni re, licet leui, vt dicit Iaſ. *in l. ſciendum, num.*
6. *ff. de verborum obligat.* Quod hic factum fuiſſe mi-
nimè apparet.

Secundò dicitur, talem renunciationem intelli-
gi debere in terminis, in quibus agitur, & non vlte-
8 rius, cum † reſtringatur tantum ad ſpecificata, Ri-
min. *in conſi.* 614. *nume.* 63. Surd. *in conſ.* 431. *numer.*
12. Menoch. *d. conſil.* 335. *num.* 7. Modo, dato quod
talis fideiuſſor renunciauerit omnibus beneficijs
9 † ſibi vti fideiuſſori, & ſecundum hos terminos cõ-
petentibus, non tamen intelligitur renunciaſſe alijs
beneficijs ſibi nõ vti fideiuſſori, ſed ex propria per-
ſona competentibus, vt eſt quod poſſit capi in do-
mo propria, ſicuti in ſpecie declarando virtutem
huius Clauſulæ, tradidit Pari. *in conſ.* 20. *num.* 99.
10 *vol.* 1. namque † renunciatio eſt ſtrictiſſimè inter-
pretanda, Grat. *in conſilio* 17. *num.* 46. *& conſil.* 22.
numero 16. *lib.* 1. & alij quos alleg. Cephal. *in conſil.*
334. *num.* 51. *& in conſil.* 313. *num.* 59. & ita intelli-
genda, vt minus præiudicet ipſi renuncianti, quam
fieri poſſit. Cephal. *in conſil.* 372. *num.* 60. vbi mul-
tos allegat.

Accedat etiam, quod quotidie conficiuntur in-
ſtrumenta talia cum huiuſcemodi Clauſula, & ta-
men nunquam pro debito ciuili capiuntur propria
in domo taliter obligati.

Tertiò, deuenimus in hanc opinionem, quia Ia-
ſon in contrarium allegatus, *in d. l. plerique*, ſuppo-
nit, quod in inſtrumẽto per verba expreſſa, & præ-
ciſa fuerit renunciatum omni legum auxilio, vnde
ex hoc elicit, quod ſub d. generalitatẽ veniat etiam
renunciatio auxilij *d. l. plerique*, quemadmodum
intelligunt omnes alij Doctor. eum ſequentes, &
referentes; & in his terminis loquitur etiam Bec-
cius, in contrarium allegatus, & in quo maximum
fundamentũ ex aduerſo fiebat, *in conſ.* 108. *nu.* 19.

Nec obſtat, quod in inſtrumento dictum ſit, (&
alijs) &c. Quia poteſt intelligi de alijs exceptioni-
bus, cum Clauſula habeat initium, Renuncians ex-
ceptioni, vel de alijs beneficijs fideiuſſoribus com-
11 petentibus, vt ſupra dictum fuit. Et † videtur non
poſſe ſuppleri in præiudicium ipſius debitoris, ad
tradita per Tiraquel. *de Conſtit. in vltima pag. nume.*
14. *&* 15. & per Grat. *in conſil.* 22. *numero* 18. *lib.* 1.
12 Præſertim † cum appareat non fuiſſe ſtipulatam,
& non intellectam ab ipſo fideiuſſore, vt tradit per
relatos ab eo, Sfort. Oddus *in conſil.* 49. *num.* 18.

ARGVMENTVM.

Chirographum recognitum quam probationem faciat, & quos effectus in iudicijs operetur.

SVMMARIVM.

1 *Chirographum recognitum habet vim plenę probationis contra ſcribentem, mandantem, uel cauſam ab eo habentem.*
2 *Conuentio quod chirographum habeat vim publici inſtrumenti valet.*
3 *Chirographum cum tali cōuentione, quod habeat vim publici inſtrumenti, habet exequutionem paratam, & operatur omnes alios effectus, ſicut publicum inſtrumentum.*
4 *Compenſatio in contractu locationis admittitur.*
5 *Compenſatio ſuccedit loco ſolutionis.*
6 *Tuſci incipiunt annum a die Incarnationis D.N. Ieſu Chriſti non Natiuitatis.*
7 *D.N. Ieſus Chriſtus fuit incarnatus per nouem menſes, antequam natus ſit.*
8 *Fiſcus tenetur ſoluere debita illius cuius, bona confiſcantur.*
9 *Elapſo termino ad comparendum præfixo, comparens non eſt audiendus.*

DECISIO XLVI.

IN cauſa recurſus interpoſiti ad Rotam per Dominam Magdalenam Gatteſcam, a ſententia Do. Iudicis primarum inſtantiarum, ad fauorem Dominæ Catharinæ Gatteſchæ, fuit pronunciatum benè fuiſſe recurſum per d. Magdalenam, & male iudicatum per dictum Dominum Iudicem. Mota, quia de credito dictæ Magdalenę ſatis conſtare viſum fuit ex chirographo ab ea producto, in quo magiſter Hercules Gatteſcus promiſit, ac ſe obligauit ſoluere Cæſari viro d. Magdalenæ agenti vna cum ea, ſcutos quinquaginta, de quibus modo agitur,
1 pro dote d. Magdalenę, quod † quidē chirographū cum fuerit recognitum per dictum Herculem, habet vim plenæ probationis, vt per Barzium, *deciſ. 21. num.* 8. contra ſcribentem, vel mandantem, & habentem cauſam ab eo, Anchar. *in conſil. 441. col. 2. in fine.* Iaſ. *in l. admonendi, num. 137. de iureiurand.* Feder. Scot. *in conſil. 3. num. 42. lib. 1. tomo* 2. Et bona illius, qui in tali ſcriptura aliquid promiſerit, intelliguntur expreſsè obligata ei, ad cuius fauorem huiuſmodi ſcriptura facta fuit, per diſpoſitionem ſtatuti, *lib. 1. cap. 97. verſic. declarantes etiam*, necnon
2 & per † conuentionem promittentis, ex quo declarauit velle, quod talis ſcriptura haberet vim inſtrumenti manu publici Notarij cōfecti, quod optime fieri poſſe tradit Rota Romana, *in nouiſſim. deciſ. 119. par. 1.* Et ex qua optimè in iudicio agi poteſt;
3 cum † talis ſcriptura habeat exequutionem paratam, & omnes alios operetur effectus, ſicuti inſtrumenta publica, vt in terminis tradit Magon. *in deciſ. Lucana 15. num. 30.* & Dec. *in conſil. 73. num. 1.* Pariſ. *in conſil. 121. num. 26. & 27. lib. 1.* Lepid. *deciſ. 11.* Socin. *in conſil. 102. lib. 3.* Cum ergo conſtet dictos iugales eſſe creditores d. Herculis, & cauſa dotis de ſcutis quinquaginta debebat admitti petita compenſatio pro rata temporis cum ſcutis duodecim, qui ſingulis annis debentur a dd. iugalibus
4 ipſi Catharinæ, quæ † compenſatio habet locum in tali contractu locationis, & conductionis, *§. in bonæ fidei, Inſtit. de actio.* vbi Iaſon. *numer. 83.* Gigas *de penſion. quæſt. 92. num. 7.* Pariſ. *in conſil. 108. num. 51. lib. 1.* Sebaſt. Medic. *de compenſ. par. 1. quæſt. 22.*
5 Cum † compenſatio ſuccedat loco ſolutionis, Abbas, *in cap. bona fides, num. 11. depoſi.* Angel. *in l. ſemel mora, ff. ſoluto matrim.* Alexand. *in conſil. 12. libro 5.* Gozad. *in conſil. 69.* Curt. *in conſil. 71.* Roland. *in conſil. 82. numer. 26. lib. 1.* & per Doctor. omnes, *in l. finali, C. de compenſat.* & ibi per Gloſſ. *in verbo indaginem.*

Modo non obſtat quæ in contrarium deducebātur. Et Primò, quod pronuncia Domini Iudicis a quo, cum ſit abſolutoria ab obſeruatione iudicij, non dicatur grauare, & propterea recurſui interpoſito ſub prætextu exceſſus, & noui grauaminis, non poſſit eſſe locus. Quia dicitur ſatis grauare, ex quo non admittitur compenſatio petita, & quia pars fuit condemnata in expenſis.

Secundò, non obſtat dum dicitur, quod non poteſt agi vigore talis chirographi exequutiuè, ex quo non fuit recognitum in tempore litis inchoatæ, & pretendi non poſſit proceſſum ſuſtineri vigore decreti Excellentiſſimi Conſilij, editi ſuper ſcriptis priuatis, de quo mentio habetur per Magon. *deciſ. 15. nu. 30. in Lucan.* & per Cornaz. *deciſ. 39. in princ.* Barz. *deciſ. 106. num. 18.* Quia dicitur, in fine dicti ſcripti apparere de mandato ad ſubſcribendum, & de recognitione ipſius legitimè factā, ac etiam in tempore, calculato anno ſecundū ſtylum Tuſcię, vt in principio eiuſdem ſcripturæ recognitionis habetur, quæ fuit confecta in Caſtro
6 Caſcinæ ſtatus Piſarum, † vbi annus inchoatur a die Incarnationis D.N. Ieſu Chriſti, hoc eſt vigeſima quinta Martij, non autem a die Natiuitatis, vt dicit Bart. *in Authent. Vt præponatur nomen Imper. num. 12.* & patet omnibus ibidem habitantibus, & ſic annus incipit per nouem menſes ante computationem eorum, qui incipiunt a Natiuitate,
7 cum † Chriſtus Dominus noſter ſit incarnatus per nouem menſes antequam fuerit natus, iuxta cap. Exodi 15. menſis iſte vobis principium menſium primus erit in menſibus anni, prout refert & ſequitur Bertazol. *de Clauſul. prima clauſula, gloſ. 2. num. 1. & 2.*

Tertiò, non obſtat, quod cum dicta Catharina nō ſit in aliquo obligata dicto Herculi, nec eius hęres etiam teneatur ad ſoluenda, neque compenſanda debita ipſius. Nam dicitur, quod cum dicta Catharina poſſideat bona dicti Herculis iam confiſcata, & ab Excellentiſſ. Principe in gratiam eidem conceſſa, talia bona ſunt affecta, & obligata, pro ſatisfa-

ſatisfactione dicti debiti, vt diſponitur *per d.c.97.*
8 *lib.1. Statut.* Vnde quemadmodum † fiſcus tenebatur ſoluere debita d. Herculis. Peregrin. *de iure fiſci, lib.5. tit.1. num.54. verſ. ſic etiam*, ita quoque dicta Catharina, quæ ſucceſſit in locum fiſci.

Vltimo loco nõ obſtat dum dicebatur, quod in tẽpore proclamatum factorum, iſti iugales nullam mentionem fecerint de tali credito, & propterea
9 cum † ſit elapſum tempus ad comparendum, non ſint amplius audiendi. Peregrin. *de iure fiſci, lib.5. tit.1. num.199. & ſeq.* Quia contrarium in facto apparebat, &c.

ARGVMENTVM.

Statuta quomodo ſint intelligenda. Dilatio conceſſa vni ex partibus, quando ſit communis alteri. Et multa ad declarationem *l. petendæ, C. de tempor. in integr. reſtit.*

SVMMARIVM.

1 *Verba (debeat, & teneatur) important formam.*
2 *Statuta ſunt ſtrictè, & ad litteram intelligenda, & abſque alia expoſitione, quam ea quæ patitur ſenſus, & conſtructio verbalis.*
3 *Incluſio vnius in ſtatutis, eſt excluſio alterius.*
4 *Statuta ſunt intelligenda ſano modo, & vt non operentur contra intentionem ſtatuentium, & a ſapientibus reprehendi non poßint.*
5 *In iudicijs eligens vnam viam in probando, non poteſt deinde variare.*
6 *Quod eſt verum quando res non eſt integra.*
7 *Actor varians in probatione, eſt repellendus.*
8 *Extenſio in ſtatutis de caſu ad caſum etiam ex maioritate rationis, non eſt permiſſa.*
9 *Nec admittitur in ſtatutis extenſio ad perſonas non ſpecificatas in ipſo ſtatuto.*
10 *Nec etiam ex identitate rationis.*
11 *Dilatio conceſſa vni parti, debet eſſe cõmunis alteri.*
12 *Aequalitas enim in iudicijs eſt ſeruanda, & non debet iudicium claudicare.*
13 *Fallit niſi aliàs inæqualitas reſultaret.*
14 *Reo datur vna dilatio de iure plus quam actori.*
15 *Quod dilatio conceſſa vni parti debeat eſſe cõis alteri, intelligitur ſecũdũ* l. petendæ, C. de tẽp. in integ. reſtit. *quando ex aliqua noua cauſa ſpeciali, & priuilegiata conceditur noua dilatio actori, vel reo.*

DECISIO XLVII.

AGebatur cauſa coram Spect. Officio ſuper viduis & pupillis, dum ibi eſſem Iudex, inter Illuſtriſſim. D. Iſabellam de Manſijs ex vna, & Spec. Vincentium Sinibaldum parte ex altera, occaſione productionis nonnullorum capitulorum, & eorum admiſſionis. In qua fuit pronunciatum, prædicta capitula pro parte d. Spect. Vincentij producta, non fore, nec eſſe admittenda; & hoc, quia cum d. Spectab. Officium nullam aliam habeat iuriſdictionẽ, niſi eam, quæ per capitula eſt ipſi conceſſa, vt diſponitur *per cap. 11. d. Officij*, vtique diligentiſſimè eorum diſpoſitio eſt attendenda, nec in aliquo extendenda. At cum *in cap. 3. eiuſdem Offitij*, vbi agitur de ipſius iuriſdictione, prouiſum, quod quando petitur aliquid, teneatur actor vnà cum ipſa petitione æſtimare intereſſe, factum, & valorem cauſæ, & caſu quo intereſſe eſſet æſtimatum in fraudẽ iuriſdictionis, minus quam æquum eſſet, licitum ſit reo iuſtificare hoc corã eodem Officio, vel Rota, in appellatione, vel recurſu, & iuxta hanc diſpoſitionem fuerunt a reo producta capitula, & admiſſa ad hoc iuſtificandum, & probandum: & modo actor producat alia capitula, & per teſtes probare intendat eius æſtimationem intereſſe fuiſſe rite, & veraciter factam, & quod non excedit ſummã, in qua ipſum Officium habet iuriſdictionem iudicandi, viſum fuit talia capitula, & probationes ipſius actoris non potuiſſe admitti, quia eſſet peruertere ordinem & concedere actori id, quod per capitulum ſupradictum eſt permiſſum reo, & excedere modum, & facultatem in dicto capit. determinatam.

Secundò, eo magis hoc erat dicendum, quia *per d. cap. 3.* datur modus procedendi, dum mandat, quod tempore petitionis teneatur actor æſtimare intereſſe, & ſi fuerit æſtimatum in fraudem iuriſdictionis, conceditur reo facultas iuſtificandi contrarium. Vnde cum ſit modus, & forma tradita, ea debet ad vnguem obſeruari. Quod autem ſit inducta forma, & neceſſitas ex verbo illo geminatè in d. cap. appoſito, tenentur, quod importat formam, & neceſſitatem. Et etiam per illa verba [ſi habbià a ſtimare l'intereſſe] quæ ſonant, quod debeat æſtimari intereſſe; & clarum eſt in iure, quod
1 talia † verba important formam, & neceſſitatem, Bartol. *in l.3. num.3. C. de pignor.* plura refert Roland. *in conſil.80. num.55. vol.3.* Et ratio & intentio ſtatuentium in concedendo reo talem probationem, videtur fuiſſe, ad hoc, vt actor cui conceditur æſtimatio intereſſe, benè caueat, iuſtè, ac fideliter æſtimare, ad hoc, vt fraudibus obuietur, & vt, ſi reus fuerit per talem æſtimationem grauatus, poſſit habere ſuum remedium probandi contrarium, & propterea videtur inductum ad fauorem ipſius rei, & non actoris, cui eſt in ſuo caſu prouiſum.

2 Tertiò, quia ſumus in ſtatuto, & † ſtatuta ſunt ſtrictè, & ad litteram intelligenda, Bald. *in l. iubemus, §. finali, C. ad Trebellia.* Bolognin. *in conſil.58.* Cum tantum diſponant, quantum loquuntur, & non vltra, Bald. *in l. teſtamẽtum, in fine, C. de teſtam. ordin.* Et ſtatuti verba ſi deficiant, deficit & eius diſpoſitio, *l.4. §. quoties*, vbi Bartol. & alij *ff. de damno infect.* Tiraquel. *in l. ſi vnquam, in verbo, libertis, nu. 2. C. de reuocand. donat.* vbi innumeros allegat, poſt Grat. *in conſil.66. colum.2. verſic. quinto confirmatur, lib. 1.* Et debent intelligi abſque alia expoſitione, 2
niſi

niſi quatenus ſenſus,ſeu conſtructio Grammatica-
lis patiuntur,ita Bald.in Auth.Si qua mulier,in fine,
C.de ſacroſanct.eccleſ.Alexand.optimè,in conſil.50.
num.2.vol.1.Curt.iunior in conſil.6.num.6. At cum
in præſenti ſtatuto non ſit prouiſum, quod actor
poſſit facere probationes, & contracapitulare ca-
pitulis a reo productis, ſequitur quod nullo modo
3 erant admittenda talia capitula; incluſio † enim
vnius, eſt excluſio alterius, l.cum prætor, ff.de iudic.
quod procedit etiam in ſtatutis, vt per Pariſ. in cõ
ſil.20.num.41.& conſil.23.num.24.vol.2.Menoch.
in conſil.350.num.18.vol.4.

Quartò, ſumus in foro, in quo quæſtiones co-
gnoſcuntur, & terminantur nullo iuris ordine ſer-
uato, ſed de facto, ſola facti veritate inſpecta, ma-
nu regia, ſine ſcriptis, vt diſponitur per cap. 13.
einſdem Offitij. At ſi admitterentur tales proba-
tiones contra intentionem ſtatuentium, conſtrue-
rentur proceſſus valdè magni ſuper emergẽtibus,
4 quod non eſt admittendum, cum † ſtatuta debeant
intelligi, ita vt ſanum recipiant intellectum, &
quod non operentur contra intentionem ſtatuen-
tium, & vt a ſapientibus reprehendi non poſſint,
c.erit autem lex, diſtinct.4.Caccialup.in l.omnes po-
puli,num.184.ff.de iuſt.& iu.Roland.in conſil.72.
num.39.cum ſeq.lib.3.

Quintò, quia parum, aut nihil deperit ipſi acto-
ri, quia ſi per reum non fuerit iuſtificatum quod
intereſſe ſit in fraudem iuriſdictionis æſtimatum,
habebit ipſe actor intentum: ſi uerò fuerit proba-
tum, quod ſumma ſit maior, quam fuerit æſtima-
ta, & quod excedat iuriſdictionem dicti Offitij,
tunc poterit in alio iudicio agere, & ibi experiri iu
ra ſua, quæ ſibi ſalua, & illæſa remanent.

Sextò, cum actor pro ſui parte elegerit probare
eius intentum per iuramentum, ſequitur illa con-
5 cluſio iuris, quod † eligens ſibi vnam viam in pro-
bando, non poteſt amplius variare, iuxta text. in
l.ſi mulier, in fine, ff. quod metus cauſa, & eſt notabi
lis doctrina Saliceti, in l.ſi quis iuſiurandum, in fine,
6 C.de rebus credit.quando† res non eſt integra, vt in
hoc caſu, in quo iam fuerat præſtitum iuramentũ,
& ſic adimpletum tale genus probationis, vt dicit
ibidem Salic.quem ad hoc allegat, & ſequitur De
7 cian. Reſponſo 46.nu.7.vol.3. vnde † actor tamquã
varius, videtur repellendus, vt eſt text. in l.1.C.de
furt. Pariſ. in conſ.77.vol.4.in princip.

Septimò adſunt verba in cap.12.d.Offitij talia,
[Et la giuriſdittione delli detti Giudici fuori delli
caſi eſpreſſamente detti in queſti capitoli, non poſ
ſa etiam di conſenſo delle parti prorogarſi, ne taci
tamente, ne eſpreſſamente. Et tutto quello che ſuo
ri delle cauſe, & caſi per queſti capitoli permeſſi
giudicaſſero, decideſſero, o terminaſſero, o pro-
ceſſaſſero, s'intenda, & ſia nullo ipſo iure.] Per quę
verba clare reſolui poteſt omnis dubietas; cum e-
nim in cap. 3.non ſit expreſſe poſitus caſus iſte, ex
quo vult, quod reus poſſit hoc probare, nec quid-
quam determinet de actore in hac parte, vtique
Spect.Offitium carebat omni iuriſdictione iudicã
8 di de eo; nec † poteſt fieri extenſio aliqua de caſu
ad caſum, cum hoc non ſit permiſſum in ſtatutis,
nec ex identitate, neque ex maioritate rationis, vt
per Pariſ. in conſil.49.nu.90.lib.1.cum alijs per eum
9 allegat. Et de iure † non poteſt fieri extenſio ſtatu-
ti ad perſonas non ſpecificatas in ipſo ſtatuto, ex
multis allegatis per Gabr. in concluſ.7. de ſtatut.nu
10 me.1.Etiam † ex identitate rationis, vt ibidem te-
net Gabr.num.21.& 41.

Octauò, non erant admittenda dicta capitula,
cum per ea intenderet actor probare totum con-
trarium, quod probare vult ipſe reus, & poſitio-
nes, & capitula de directo contraria non poſſunt
admitti, idque ad euitandum periculum periurij,
vt diſponitur per ſtat. lib.1.cap.68.verſic. ceterum.

Nec obſtat quod per diſpoſitionem l.petendæ,
11 C.de tempor. in integr.reſtit. † dilatio conceſſa vni
ex partibus, debeat eſſe communis alteri, & ibi
Bartol. num.2. Bald. num.7. Caſtren. num.8.& re-
liqui hoc notant, & omnes, in l.admonendi, de iure-
iuran. vbi in ſpecie Iaſon, num. 64.cum ſeq. in pri-
ma lectura & Speculat. in tit. de dilat.§. videndum,
num.14.cum alijs. Nam dicitur, prædicta non ha-
bere locum in caſu iſto, idque ex multis.

Primò, quia per ſtat. d. Offitij, in cap.11.ſupra
alleg.hoc ſublatum expreſsè videtur per illa verba
ſuperius adducta, ex quo non permittit, quod Iudi
ces poſſint iudicare, niſi in caſib.in d.capit. expreſ-
ſis, vnde cum caſus iſte non fuerit expreſſus; ſed
præſupponatur venire ex diſpoſitione iuris com-
munis, non poteſt haberi in aliqua conſideratione.

Secundo, diſpoſitio d. l.petendæ, & omnes do-
ctrinæ, quæ ad hoc allegantur, ſunt fundatæ in ra-
12 tione illa, vt † æqualitas ſeruetur in iudicijs, quæ
non debent claudicare, cap.2.de mutuis petit.l.ſole-
mus, ff. de iudic.l.ult.C.de fruct.& lit.expenſ.prout
conſiderat Ripa, in l. admonendi, num. 59.& 62.
de iureiuran. & ibi ceteri interpretes. At in caſu iſto,
13 ſi talis probatio admitteretur, ſequeretur † inæ-
qualitas inter partes, quia actor haberet commo-
dum æſtimandi intereſſe, factum, & valorem cau-
ſæ, & etiam per eius iuramentum hoc probandi;
deinde, aliud commodum conſequeretur, proban
di per teſtes contrarium illius, quod reus probauit;
reus verò haberet tantummodo beneficium pro-
bandi contra æſtimationem factam per actorem,
& ſic reo concederentur duæ probationes, & vna
tantum actori, quod eſſet inconueniens, l.in pecu-
niarijs, ff. de ſerijs, vbi etiam glo. in ver.item eſt, cum
14 alijs per eam allegat. per quæ iura † conceditur reo
vna dilatio plus quam actori, & ſic magis in hoc fa
uent iura ipſi actori, quam reo, glo. in d.l.in pecunia
rijs, ita in ſpecie argumentatur Menoch. in conſil.
367.num.29.lib.4.

Tertiò, habet locum diſpoſitio l.petendæ, quan
15 do † ex aliqua noua cauſa ſpeciali, & priuilegiata
conceditur noua dilatio actori, vel reo, Bartol. in
l.1.§.nunciatio, nume. 37.ff. de noui oper. nunciat.
Socin. ſenior, in conſil.110.num.5. Speculat. in tit.
de dilat.§.videndum, num.14.verſic.quod verum eſt;
quod non eſt in caſu iſto, propterea eius diſpoſitio
non procedit, ita etiam argumentatur Menoch. in
eodem conſilio 367.num.33.

Quartò, quia adducta in contrarium, loquuntur
in di-

in dilationibus, & terminis datis ad probandum; at hic non ſumus in aliqua dilatione ſeu termino quia ſtatutum allegatum, nullam dilationem, aut terminum aſſignat, qui poſſit eſſe communis vtrique parti, ſed tantum concedit reo quod poſſit iuſtificare cōtrarium, & hoc, quia cum in arbitrium actoris remiſerit æſtimationem valoris, ac intereſſe cauſę per eum propoſitæ, erat etiam conueniēs, quod aliquo modo eſſet conſultum reo, caſu quo actor æſtimaſſet in fraudem iuriſdictionis, & ipſius præiudicium. &c.

ARGVMENTVM.

Ceſſionarius quomodo ſuccedat in locum cedentis.

Compenſatio quando admittatur, &. quando non.

Intereſſe inter ſolitos negotiari quomodo debeatur.

SVMMARIVM.

1 *Inſtrumenta habent exequutionem paratam.*

2 *Per ceſſionem factam a creditore, ceſſionarius efficitur creditor debitoris ceſſi.*

3 *Ceſſionarius ſuccedit in ius cedentis.*

4 *Et cenſetur eadem perſona cum ipſo cedente.*

5 *Cedēs intelligitur ceſſionario cedere omnia iura, quæ habet in re ceſſa.*

6 *Succedens in ius alterius, habet omnia iura, & quæ habuit ille, in cuius locum ſucceſſit.*

7 *Ceſſionarius poteſt cogere debitorem ceſſum ad ſoluēdum etiam inuitum id quod debebat creditori cedenti.*

8 *Et nedum via ordinaria, ſed etiam exequutiua.*

9 *Sententia inducit rem notoriam, & claram.*

10 *Etiam ſi ab ea fuerit appellatum, quia nihilominus militat præſumptio pro ea, cui in dubio ſtādum eſt.*

11 *Compenſatio non habet locum de debito ad non debitum.*

12 *Compenſatio non etiam admittitur de liquido ad illiquidum.*

13 *Compenſatio non habet locum in depoſito, etiam irregulari.*

14 *Priuilegia competentia vero depoſito habent etiam locum in depoſito irregulari.*

15 *Quod habet locum etiam in depoſito mero quantitatis, in quo non admittitur compenſatio, licet dominium pecuniæ tranſiuerit in depoſitarium, contra Rotam Ianuenſem.*

16 *Compenſatio non admittitur in depoſito, quando interuenit iuramentum illius, apud quem res depoſitatur, de ea reſtituenda ex magis communi, reiecta opinione Bartoli & aliorum.*

17 *Intereſſe pecuniæ non ſolutæ debetur, quando probatur aliquem eſſe mercatorem, & ſolitum negotiari, & quod ſi pecuniam ſuam habuiſſet, lucratus fuiſſet id, quod petit.*

18 *Ex depoſito non debetur intereſſe.*

19 *Hoc tamen verum eſt in depoſito regulari, hoc eſt, quando certa ſpecies, vt ſpecies datur, ſecùs quando pecunia non datur vt ſpecies, ſed vt quantitas numeratur, & ſic in depoſito irregulari.*

20 *Mercatores ſcribunt debita, & credita, & pecunias quas accipiunt, & ſoluunt, & cum ad calculum deueniunt, habetur ratio temporis & intereſſe hinc inde, & fit inter eos compenſatio.*

21 *Intereſſe pro damno paſſo omni iure permittitur, cū nemo teneatur alteri cum ſui iactura ſubuenire.*

DECISIO XLVIII.

FVit interpoſitus recurſus per Spect. Franciſcum de Podio ad Rotam a ſententia Illuſtr. Domin. Iudicis primarum inſtantiarum ad fauorē hæredum q. Spect. Cęſaris de Nobilibus, quæ ſententia fuit per nos comprobata. Cum enim in præſenti cauſa duo principaliter fuerint petita, nempe ſcuti ducentū quinquaginta pro ſorte principali, necnon intereſſe dd. ſcutorum ab anno 1591. citra, pro quibus omnibus fuit conceſſa exequuutio per D. Iudicem a quo.

Quoad primum caput ſortis principalis fuit benè iudicatum per d. Dom. Iudicem a quo, cum de credito dd. de Nobilibus conſtaret ex inſtrumento publico, in quo apparebat de ceſſione facta per Sp. Octauium Ruſticum creditorem d. Spect. Franciſci ac Vincentij fratrum de Podio. Et de debito dd. Franciſci ac Vincentij inſolidum obligatorum appareret ex alio inſtrumento, vtique ſtante diſpoſitione ſtatut. *lib.* 1. *capit.* 111. fuit merito conceſſa
1 † exequutio talium inſtrumentorū. Surd. *in conſ.* 22. *ante num.* 19. & per Cartar. *decif.* 63. *numer.* 14. Cla-
2 rum enim eſt in iure, per † ceſſionem actionis factā a creditore, quod ceſſionarius efficitur creditor debitoris ceſſi, *l.* 1. vbi Alexand. & Doctor. communiter & præſertim Dec. *in* 1. *lect. in fine, ff. ſi cert. petat. & ibidem* Iacob. Butrig. Socin. iun. *in conſil.* 27.
3 *colum.* 2. *lib.* 2. Succedit † enim ceſſionarius in ius cedentis, *l. emptor*, vbi Bald. *in* 1. *not. C. de hæred. vel*
4 *action. vendit.* Et † cenſetur eadem perſona cum ipſo cedente, *cap. denique*, 7. *quæſt.* 1. *l. ſi donare*, §. 1. *ff. de donat. inter vir. & vxor.* Crot. *in conſi.* 83. *num.* 10.
5 Et conſequenter omnia iura, † quæ cedent habet intelliguntur ceſſa, *l. ſi ager, in fine*, vbi Din. Bartol. & alij *ff. de rei vendic.* Rim. iun. *in conſil.* 65. *num.* 21. Beccius *in conſil.* 105. *num.* 17. Surd. *conſil.* 22. *num.* 16. Vnde ſicuti ipſe Spect. Octauius Ruſticus agere potuiſſet contra dd. fratres de Podio pro recuperatione dictæ pecuniæ, penes eos depoſitatæ, ita eodem modo agere potuerunt hæredes Spect. Cæſa-
6 ris ceſſionarij, cum † is, qui in ius alterius ſuccedit, eodem iure vtatur, quod habebat ille cui ſucceſſit, *l. ſi eum*, §. *qui iniuriarum*, *ff. ſi quis caut.* Ancharan. *in conſ.* 244. *num.* 1. *in fine.* Specul. *in titul. de teſte*, §. 1. *verſic. ſed pone.* Surd. *d. conſilio* 22. *num.* 17. Et con-
7 ſequenter † poſſunt eos etiam inuitos cogere ad ſoluendum quod debebant cedenti, *l. idem*, §. *ſi cui mādauero*, *ff. mandati*, *l.* 1. *C. de nouat. l. nouem*, *C. quæ res*

pignor.

pignor.oblig.poſſ. Alexand. in l. 2. in princ. num. 28. ff.
8 ſoluto matrim. Et † nedum via ordinaria, ſed exe-
quutiua, vt per Roman. in conſil. 83. in 1. dubio, &
clarè determinatur per ſtat. d. cap. 111. uerſ. ſiue ſuc-
cedentium in d. credito in ius, & locum dicti creditoris.
Neque obſtare credidimus, dum pro parte dicti
Dom. Franciſci dicebatur, quod cum ipſe tempo-
re ceſſionis eſſet creditor d. Dom. Cæſaris de ſcutis
2500. vtique creditum ſcutorum 250. d. Dom. Cæ-
ſaris videbatur exſtinctum, vel ſaltem veniebat cō-
penſandum cum eius debito, prout d. Dom. Franci
ſcus talem compenſationem oppoſuerat. Quia di-
citur non conſtare de aliquo credito d. Dom. Fran
ciſci, ſed potius de debito ſcutorum 2054. vt ex ſen
tentia DD. Conſulum Curiæ Mercatorum appa-
rebat, in qua fuit declaratus debitor de tanta ſum-
9 ma, † quæ inducit rem claram, Innocent. in cap. ex
inſinuatione, extra de appellat. Pariſ. in conſi. 98. num.
25. lib. 3. Natta in conſil. 573. nu. 3. Rolan. conſil. 41.
10 numer. 10. lib. 1. Et licet a † tali ſententia fuerit ap-
pellatum, pro ea tamen aderat præſumptio, cui in
dubio ſtandum eſt, cap. cauſam, vbi Abb. numer. 5.
extr. de ſentent. & re iudic. Late Dec. in cap. quoniam
contra, numero 40. extr. de probatio.
Nec etiam obſtare poterat oppoſita compenſa-
tio; quia ſi nullum aderat debitum Spect. Cæſaris
ſed creditum, non poterat habere locum aliqua cō-
11 penſatio, cum † compenſatio nō poſſit fieri de de-
bito ad non debitum, l. 2. C. de compenſat. Sebaſtia.
Medic. in tract. de compenſ. par. 1. quæſt. 49. ante num.
2. Immò, dato etiam quod adeſſet creditum, ad-
huc non dabatur compenſatio. Primò, quia tale cre
ditum erat illiquidum, cum diu fuerit ſuper eo liti-
gatum, & contra illud pronunciatum, & modo du-
ret lis in iudicio appellationis, & econtra creditum
Spect. Cæſaris clarum, & liquidum appareret, tum
ex inſtrumento depoſiti, tum etiam ex inſtrumen-
to actionis ceſſæ per deponentem. Et clara eſt iu-
12 ris regula, quod † de liquido, ad illiquidum non fit
compenſatio, l. finali, C. de compenſat. §. in bonæ fidei,
Inſtit. de action. Bart. in l. cum fundus, §. ſeruū tuum,
& ibi Iaſ. num. 12. ff. ſi cert. petat. Pariſ. in conſil. 121.
lib. 2. Tindar. in tract. de compenſat. §. nunc videndum,
13 colum. 2. Secundo, quia verſamur in depoſito, † in
quo non admittitur compenſatio, l. ſi quis, vbi Bal.
& Salicet. C. depoſiti, Natta in conſil. 438. Roland.
in conſil. 17. num. 1. & in conſil. 4. num. 3. lib. 4. Bald.
in conſil. 317. lib. 3. Gratus in conſil. 93. num. 18. lib.
2. Etiam ſi agatur de depoſito irregulari, cum ſecū
14 dum magis receptas Doct. ſententias † priuilegia
veri depoſiti competant etiam depoſito irregula-
ri, Bald. in l. in contractu, §. 1. C. de non numer. pecun.
Natta in conſil. 438. num. 7. Rolan. d. conſil. 17. num.
6. lib. 1. & conſil. 4. num. 8. lib. 4. Cur. iun. qui de com
muni teſtatur, in l. 2. num. 15. ff. ſi cert. petat.
Nec obſtat dec. Ianu. 34. nu. 8. in contrariū alle-
gata, in qua dicitur, compenſationem admitti, quā
do pecunia nō ſignata, hoc eſt aliqua ſpecies fuerit
15 depoſita: Secùs † in mero depoſito quātitatis, vt
in caſu noſtro: Nā quod iſto etiam caſu non poſſit
opponi compenſatio, licet dominium pecuniæ trā-
ſiuerit in depoſitarium, videtur magis vera, & rece
pta opinio quam tenent Bald. in l. in contractibus,
§. 2. C. de non num. pecun. & in l. ſi hominem, §. quoties.
cum l. ſequenti, ff. depoſiti, c. 1. de feud. non hab. natur.
feud. Salicet. in l. penult. C. depoſiti, & in l. finali, col.
vltim. C. de compenſ. Bald. in conſil. 317. lib. 3. Crot. in
conſil. 139. num. 3. Natta in conſil. 438. num. 7. Ro-
land. in conſil. 17. num. 6. lib. 1. & conſil. 4. num. 8. lib.
4. Curt. iun. qui de communi teſtatur, in l. 2. numer.
15. ff. ſi cert. peta. Surd. in conſil. 146. num. 10. Sebaſt.
Medic. de compenſ. quæſt. 15. num. 8. quidquid dicat
Rota Ianuenſis.
Tertiò, etiam non erat admittenda talis com-
penſatio, quoniam in promiſſione reſtituendi depo
16 ſitum, † interuenit iuramentum Spect. Franciſci,
quo caſu non admittitur compenſatio, ſecundum
magis communem Doctor. ſententiam, de qua per
Iaſon. in l. eum qui, §. ſi iurauero, num. 5. ff. de iureiur.
& per Canoniſt. communiter, in c. ad noſtram, ext.
de iureiur. Aretin. in conſil. 99. Alexand. in conſil. 91.
lib. 4. & alios alleg. per Iaſ. in ſupra alleg. loco, Oſaſc.
deciſ. 92. num. 26. Afflict. deciſ. 381. num. 3. vbi teſta-
tur hanc eſſe cōem ſententiam, reiecta contraria
opinione Bar. quæ eſt damnata, in l. amplius non pe-
ti, colum. fin. ff. rem rat. hab. optimè Seraſin. de priuil.
iuram. priuileg. 74. Cum in materia iuramenti ſtan-
dum ſit Canoniſtis, Doctor. in capit. 1. de noui. oper.
nunciat.
17 Quo verò † ad intereſſe, fuit ſimiliter confirma-
ta ſententia Domini Iudicis a quo, eo quia viſum
fuit fuiſſe probata incumbentia, nempe, quod Sp.
Cæſar eſſet mercator, & ſolitus negociari, vt per
Alex. in conſil. 141. lib. 5. Dec. in conſil. 116. Aymo
in conſil. 320. num. 2. ad finem. Cagnol. in l. vnica, nu.
40. C. de ſentent. quæ pro eo quod intereſt, Lupus in l.
curabit, §. 6. num. 17. C. de actio. empt. Rimin. iun. in
conſil. 304. num. 9. lib. 3. Afflict. deciſ. 20. Item, quod
mercatores qualitatis & conditionis, prout erat
Spect. Cæſar, communiter lucrari conſueuerunt
ad rationem ſeptem pro centenario ſingulis annis,
& quod ipſe tantum lucratus fuiſſet, ſi illas pecu-
nias ſibi debitas habuiſſet, cum quibus potuiſſet
negotiari, Aretin. in l. continuus, §. cum ita, num. 7. &
ibidem Caſtr. num. 3. ff. de verborum oblig. Alexand. in
conſil. 41. num. 2. lib. 5. Cagno. in l. curabit, C. de actio.
empt. num. 67. cum ſeq. Et ita ſeruari in practica affir
mat idem Cagnol. in l. vnica, num. 42. C. de ſent. quæ
pro eo. Rota Ianuenſ. deciſ. 139. numero 8. Quibus
non obſtare videntur ea quæ in contrarium dedu-
cebantur.
18 Primò, quod ſumus in depoſito, & † ex depoſi-
to non veniunt vſuræ, ut in l. ſi ſacculum, ff. depoſiti,
vbi prohibitum apparet depoſitario vti re depoſi-
tata, & per conſequens non poſſunt peti vſuræ, &
hoc caſu depoſitum regulatur ſecundum naturam
mutui, Bart. in l. ſi quis nec cauſam, in princ. ff. ſi cer.
19 pet. Nam dicitur † prædicta habere locum in de-
poſito regulari, videlicet, quando certa ſpecies, vt
ſpecies datur, ſecus quando pecunia non datur vt
ſpecies, ſed vt quantitas numeratur, & ſic in depo
ſito irregulari, quo caſu dominium transfertur in
depoſitarium, prout in hoc caſu, & tunc debentur
vſuræ, cum ſimus in contractu bonæ fidei, l. 1. §.
banc

hanc autem actionem, l. ſi ſacculũ, in fine, & l. Lucius, la 1. & l. Quintus, ff. depoſiti. in quibus de iure Ciuili, & Canonico ſolet venire illud, quod quis de pecunia ſolitus eſt lucrari, Aret. *in conſil. 9. numer. 6. libro* 2. Et tale intereſſe dicitur in contractu depoſiti venire, tam ratione ſtipulationis, & conuentionis, *l. Lucius, la prima, ff. depoſiti,* quam ratione damni emergentis, quo caſu debetur. *l. die ſponſaliorum, §. 1. ff. depoſiti, l. 2. 3. & 4. C. eod.* Bart. *in l. 2. C. depoſiti,* Rota *in antiquis, tit. de depoſ. deciſ. 1. aliàs* 860. Rota Ianuenſ. *deciſ. 34. num. 1.* & eſt text. *in l. Iulianus, §. ex vendito, ff. de action. empt. & in l. curabit, C. eod.* vbi gloſ. & Cagnol. quod & etiam de iure Canonico traditum eſt, vt teſtatur Couaruu. *variar. reſol. lib. 3. cap. 1. fol. 689. verſic. quamobrem,* & eam etiam paſſim approbãt ſacri Theologi, D. Thomas, *Secunda Secundæ, quæſtio. 78. art. 2. in reſponſione ad primum argumentum.* S. Antoninus, *in 2. parte Summæ, tit. 1. cap. 8. §. 14. verſic. item quaeritur, fol. 23. col. 4.* Angelica, *in verbo, Vſura, nu. 14. verſic. tertium ſi debitor.* Nauar. *in Summ. edit. Romanæ in verbo, Non furtum facies, cap. 17. de ſeptem pręcept. decalogi, num. 230. 231. & nu. 246. & in Summa Venetijs edita, in verbo, Non furaberis, cap. 17. §. 27. numer. 231. & 238.* Armilla, *in verbo, vſura, il primo, num. 3.* Gabriel Biel *in 4. Sentent. diſt. 15.* Maximè cum ſimus in mercatore, & ſolito negotiari, qui non tenebat ſuas pecunias otioſas, vt per Rotam Ianuenſ. *deciſ. 30. num. 3. & deciſ. 81. num. 8. deciſ. 74. nu. 3.*

Secundò dicebatur, quod ex quo tempore ceſſionis Spect. Cæſar erat debitor Spect. Franciſci, de multo maiori ſumma, quam importaret ceſſio ipſi facta ab Octauio Ruſtico, non poterant venire aliquæ vſuræ, ex eo quod non debetur, *l. cum de indeb. ff. de probat.* Vel ſaltem donec fuerit per ſolutiones varias hinc inde inter eos ſequutus effectus, Spect. Franciſcus debitor Spect. Cæſaris, quod fuit de anno 1596. & in omnem caſum non poteſt venire aliquod intereſſe niſi a die moræ, *l. Lucius, la prima, ff. depoſiti.* Quia omnia prædicta tolluntur
20 ex † ſtylo, qui inter mercatores ſeruatur, qui plura inuicem exigunt, & ſoluunt, & dant, & numerãt hinc inde, non tñ vt vna ſolutio cedat in extinctionem alterius; ſed hinc inde debitum, & creditum cauſatur, & ſcribitur; vt per Imol. *in l. 1. in fine, ff. de ſolut.* & Alex. *in conſil. 85. Ponderatis narratis, num. 3. vol. 3.* Et cum poſtea ad calculum deueniunt, habetur inter eos ratio tpis, & intereſſe, & fit hinc inde cõpenſatio debiti, & crediti, vt optimè tradit Rota Ianuen. *in deciſ. 26. num. 24.* Quod factum fuiſſe per d. Spect. Cęſarem ex eius libris apparet, qui de ſumma ſcutorum 2500. debita Spect. Franciſco de anno 1591. idem ſoluit intereſſe cõputatis etiam ſingulis diebus vſque ad ann. 1596. quo cœpit d. Spect. Franciſcus eſſe debitor ipſius, ſicuti etiam Spect. Cæſar eius creditum de ſcutis 250. deſcripſit in debitum Spect. Franciſci, cum intereſſe ad rationem ſeptem pro centenario. Et hoc ſeruauit tam ad ſui debitum, quam creditum. Vnde cum ex dictis libris appareat, Spect. Cæſarẽ ſoluiſſe intereſſe Spect. Franciſco pro eius credito, ad rationem ſeptem pro centenario, eodem etiam iure dicendum eſt teneri Spect. Franciſcum ad ſoluendum idem intereſſe Sp. Cæſari, *toto tit. Quod quiſque iuris,* &c.

Quod eo magis erat dicendum in caſu iſto, cum ob huiuſmodi crediti retardatã ſolutionem Spect. Cæſar fuerit damnum paſſus, eo quia coactus fuit
21 pecunias ſub cambijs accipere; † Intereſſe enim pro cõcurrenti quantitate dãni paſſi omni iure permittitur, Gloſ. *in c. peruenis, verſic. ſeruet indemnẽ; de fideiuſſor. cap. cum quæſtus, & c. ſalubriter, ext. de vſur.* Roman. *in conſ. 94.* latè Roland. *in conſil. 35. num. 1. lib. 1.* Rimin. iun. *in conſil. 67. num. 4.* Quod habet locum etiamſi debitor non fuiſſet in mora ſoluendi, Conrad. *in tract. de contract. quæſt. 30. col. 3. verſ. prima concluſ.* Rebuff. *in l. 1. in princ. num. 24. C. de eo quod intereſt.* Caietan. & Nauarra, relatia Virginio Boccac. *in tract. Vti poſſidetis, cap. 18. nu. 70.* cum in tali caſu hoc non tendat ad extorquendas vſuras, ſed ad damnum euitandum; cum nemo teneatur alteri cum ſui iactura ſubuenire, *c. ſi non licet, 23. q. 5. l. naturalis, ff. de præſcript. verb.* prout ita determinat Anchar. *in Regula Peccato, quæſt. 9. de reg. iur. in 6.* Alexan. *in conſil. 221. col. 1. lib. 2.* poſt notata per Archidiac. *in cap. Vſura, 24. q. 3.* Ioan. Calder. & alij, *in c. nauiganti, de vſur.* Sali. *in Auth. Ad hac, quæſt. 16. C. de vſur.* &c.

ARGVMENTVM.

Reſtitutio in integrum aduerſus rem iudicatam propter inſtrumenta nouiter reperta quomodo ſit concedenda.

Actio ad dotem cui, & contra quem detur.

SVMMARIVM.

1 *Sententia in rem iudicatam tranſacta, inducit rem claram, & notoriam, & ius conſtituit inter partes, pro veritate habetur, & facit de albo nigrum.*
2 *Ex ſententia in rem iudicatam tranſacta acquiritur dominium rei in ſententia aſſignatæ, tam quoad dominium, quam quoad proprietatem.*
3 *Reſtitutio in integrum conceſſa ſine cauſę cognitione eſt nulla.*
4 *Reſtitutio in integrum de iure debet peti in tempus quattuor annorum continuorum; quia intra tale tempus eſt præſcriptũ tali reſtitutionis beneficio.*
5 *Hæreditas dicitur adita, quando hæres detinet bona hæreditaria, & maximè id in filijs procedit.*
6 *Quem de euictione tenet actio, eumdem agentem repellit exceptio.*
7 *Reſtitutio in integrum ad hoc vt concedatur propter inſtrumenta de nouo reperta, debet probari, quod talia inſtrumenta de nouo fuerint reperta, & quod de illis prius non fuerit habita notitia, quia præſumitur notitia talium ſcripturarum, quando paulo ante*

lo ante

lo ante fuerunt confecta.
8 *Actio ad dotem datur viro, non autem mulieri, &*
quando datur talis actio vxori, primò datur aduer
uerſus maritũ, quatenus adſit, ſin minus aduerſus
eius hæredes, vltimo loco contra tertios poſſeſſores.

DECISIO XLIX.

FVit appellatum ad Rotam per Ioã
nem Michaelis Benedicti de Co-
reglia; a ſententia D. Cõmiſſarij
Coregliæ, ad fauorem D. Mariæ
Vanini de dicto loco, quæ ſenten
tia fuit retracta, & pronunciatum
bene fuiſſe appellatum, & male iudicatum. Moti,
quia de bono iure d. Ioannis viſum fuit optimè cõ
ſtare, & eius authorũ per ſententias in Curia Mer
catorum obtentas, in quibus ſupradictis actoribus
fuerunt in ſolutum aſſignata bona, de quibus mo-
do controuertitur, pro credito, quod dicti autho-
res habebant cum Vanino patre d. Mariæ, prout
apparebat ex actis d. Curiæ in hoc iudicio exhibi-
1 tis. Quæ † ſententiæ cum vſque de anno 1593. la-
tæ fuerint, nec ab eis fuerit a multis annis poſtea
appellatum, clarum eſt feciſſe tranſitum in iudica
tum, & inducere rem claram, & notoriam, & ius
conſtituere inter partes, pro veritate haberi, & fa
cere de albo nigrum. *l. res iudicata, de reg. iur. l. inge*
nuum, ff de ſtatu homin. c. diffinitiua, 2. q. 6. Specu-
lat. *in tit. de ſentent. §. finali, num.* 15. Natta *in conſil.*
524. *num.* 4. Surd. *in conſil.* 268. *num.* 1. Et facere de
indebito debitum. Surd. *deciſ.* 24. *nu.* 9. *cum ibi alleg.*
2 Et † ex tali ſententia inducitur acquiſitio dominij
rei in ſententia aſſignatæ, *l. ſtatu liberi a ceteris, §.*
Quintus, ff. de ſtatu liber. l. ſed ſi res, ff. de public. l. ſi
per errorem, ff de vſucap. cum alijs per Alexand. al-
legatis *in conſil.* 123. *nu.* 1. *lib.* 2. Vnde cum huiuſce
modi bona aſſignata in ſolutum prædictis actori-
bus fuerint effecta ipſorum, tam quoad dominiũ,
quam quoad proprietatem, vtique potuerunt ab
ipſis alienari in d. Ioannem; cum vnuſquiſque in
re propria ſit moderator, & arbiter, *l. in re manda-*
ta, C. mandati.

Nec obſtare viſum fuit dum ex aduerſo diceba
tur, d. D. Mariam aduerſus tales ſententias, ac
rem iudicatam, fuiſſe per binas ſententias D. Iu-
dicis a quo, in integrum reſtitutam. Quia dicitur,
talem in integrum reſtitutionem nullo modo ſubſi
ſtere poſſe, idque ex pluribus.

3 Primò, quia † conceſſa ſine debita cauſæ cogni
tione, & non auditis, neque citatis his, qui habe-
bant intereſſe, hoc eſt, dd. authoribus qui prote-
ſtati fuerant penes acta, non deueniri debere ad
aliquos actus, niſi ipſis citatis, iuxta textum *in*
l. de vnoquoque, ff. de re iud. Aſin. *in praxi iud.* §. 5.
cum ſeq. propterea videtur nulla, per ea, quæ la-
tè ſcribit Vantius *de nullit. ex defec. citation. num.*
20. *cum ſeq.*

4 Secundò, quia † non fuit petita intra tempus aſſi
gnatum a iure ad petendam reſtitutionem in inte-
grum, quod eſt quattuor annorum continuorum,
vt diſponitur per text. *in l. finali, C. de tempor. in in-*
tegr. reſtit. & in cap. 1. *de reſtit. in integr. lib.* 6. Oddus
de reſtit. in integr. qui multos adducit, *prima parte,*
quæſt. 19. *art.* 3. *num.* 18. Cum intra iſtud temporis
ſpacium præſcriptum ſit tali beneficio Odd. *ea-*
dem quæſt. 19. *in princip.* Ex quibus cum appareret
pronunciam d. D. Iudicis fuiſſe nullam, non pote-
rat etiam dici, quod fecerit tranſitum in iudica-
tum, *l. ſi expreſſim, vbi Doctor. ff. de appellat.* Surd.
in conſil. 61. *nu.* 53. Honded. *in conſil.* 29. *nu.* 40. *li.* 2.

Nec etiam obſtat dum dicebatur, quod dicta bo
na, quando fuerunt aſſignata prædictis authori-
bus, eſſent prius effecta bona dotalia d. Mariæ, ex
quo a Vanne eius patre fuerunt ipſi in dotem data,
& quod ipſa poſſederit poſt d. acquiſitionem per
aliquod temporis ſpatium. Nã reſpondetur quod
cum in iudicio in Curia mercatorum actitato, ac
in datione in ſolutum ſemper fuerit ipſa Maria ci
tata, vtique debebat a talibus ſententijs appellare,
quod cum non fecerit, videtur acquieuiſſe talibus
ſententijs. Et eo magis cum fuerit probatum ip-
ſam Mariam vna cũ alijs eius ſororibus poſt mor-
tem patris tenuiſſe, ac poſſediſſe bona paterna, ſe-
5 quitur quod † per hoc fuerit effecta hæres patris;
cum per tales actus hæreditates aditæ dicantur, &
maximè in filia, ad not. per Marant. *in l. is poteſt,*
ff. de acquir. hæred. & per Maſcard. *concluſ.* 44. *num.*
22. *vol.* 1. Ex quo ſequitur, quod tamquam hęres te
nebatur ſoluere hoc debitum paternum, & ſic ei-
6 dem obſtare videbatur regula, quod † quem de e-
uictione tenet actio, eumdem agentem repellit ex-
ceptio, *c. petitio, de iureiur. l. exceptio, C. de euiction.*
Anchar. *in conſil.* 291. *num.* 2.

Sicuti etiam non obſtat dum dicebatur d. reſti-
tutionem fuiſſe concedendam iterum dictę Marię
propter inſtrumentum de nouo repertum, de quo
non habebat antea notitiam, ad latè tradita per
Oddum *de reſtitut. in integr. par.* 2. *quæſt.* 73. *cum*
ſeq. Quia dicitur non fuiſſe in proceſſu probatum,
7 quod tale † inſtrumentum de nouo fuerit reper-
tum, & quod de illo prius non habuerit notitiam,
prout requirebatur, & erat probandum pro parte
d. Mariæ, vt per Oddum, *in d.* 2. *parte, quæſt.* 75.
articulo 5. *per totum.* Immò, præſumitur habuiſſe
notitiam d. inſtrumenti, ex quo fuit confectum per
annum ſolum ante d. dationem in ſolutum dd. de
Vrſis. Et cum agatur de eius intereſſe, ex quo in
eo fuit aſſignata eius dos viro ſuo; cum vnuſquiſ-
que præſumatur diligens in concernentibus pro-
prium intereſſe.

Accedat etiam quia vigore inſtrumenti de quo
in proceſſu, nullum ius videbatur competere dictę
8 Mariæ, ſed tantum † Dominico eius viro, cui da-
tur actio ad rem dotalem, *l. doce ancillam, C. de rei*
vendicat. l. ſi pro te, C. de dot. promiſſ cum alijs vul-
garibus. Maximè, cum bona fuerint data pro pe-
cunia, in qua dos conſiſtebat, vnde quatenus ad do
tem daretur actio d. Mariæ, primò aduerſus mari-
tum, quatenus adeſſet, ſin minus aduerſus eius hæ-
redes agere debebat, antequam poſſet agere con-
tra tertios poſſeſſores, Benintend. *deciſ.* 98. Gabr.
de iure dot. concluſ. 3. *per totam.* &c.

ARGVMENTVM.

Libri mercatorũ quomodo & quando probent.

Proxeneta quando ſit integer teſtis, & quam probationẽ inducat quoad contractus quos ipſe tractauit.

SVMMARIVM.

1 *Libri mercatorum ad fauorem ſcribentis de iure non probant.*

2 *Fallit quando adeſſet ſtatutum, vel conſuetudo, quod libris mercatorum credi debeat.*

3 *Allegans conſuetudinem debet illam probare.*

4 *Actore non probante, reus eſt abſoluendus a petitis.*

5 *Capitulans cenſetur fateri omnia in capitulis contenta.*

6 *Scripturam producens, cenſetur fateri vera eſſe omnia in ea contenta.*

7 *Quod habet locum etiam in ſcriptura priuata.*

8 *Confeſſio ſcindi non poteſt.*

9 *Proxeneta non eſt teſtis idoneus.*

10 *Nec inducit ſemiplenam probationem, vt poſſit eſſe locus iuramento ſuppletorio.*

11 *Proxeneta eſt idoneus teſtis, vbi viget conſuetudo quod ipſi, & eius libris credatur.*

12 *Proxeneta probat, quando pars non oppoſuit illum nõ eſſe idoneum teſtem.*

13 *Proxeneta probat quãdo actus, in quo fuit mediator, ſortitus fuiſſet effectum ſuum, ſed locus eſt quando agitur ſolum de aliquibus probandis, quæ præceſſiſſent contractum.*

14 *Proxeneta quando eſſet perſona multum integra, eſt idoneus teſtis.*

15 *Proxeneta eſt teſtis idoneus, quando concurrunt aliqua adminicula ad coadiuuandum eius dictum.*

16 *Malus ſemel, præſumitur ſemper malus in eodem genere mali.*

17 *Proxeneta an probet, iudicis arbitrio remittitur.*

DECISIO L.

HAeredes q. Nicolai Camilli interpoſuerunt appellationem ad Rotam a ſententia D. Officialis Fundaci lata ad fauorem Petri Antonij Scorſini, quæ ſententia fuit cõfirmata, eo quia viſum fuit pro parte dd. hæredum non poſſe concedi petitam executionem vigore partitæ libri eorum apothecæ. Clara eſt enim in iure cõcluſio, quod † libri mer-
1 catorum de iure communi ad fauorem ſcribẽtium non probant, nec eis creditur, *cap. 2. de fide inſtrum.* Doctor. *in l. quædam, §. nummularios, in verbo decernitur, ff. de edendo, in l. inſtrumenta, & in l. exemplo, C. de probat.* & per innumeros ferè Doct. quos congerit Maſcard. *de probat. concluſ. 973. num. 1. & num. 9.* & talis liber non ſolum non probat pro ſcribente, ſed nec etiam pro eius hærede, etiam ſi eſſet Eccleſia, ſeu Fiſcus, vt *ibidem* per Maſcard. *num. 2.*

2 Et quamuis prædicta † concluſio limitetur, non procedere, quando adeſſet ſtatutum, vel conſuetudo, quod libris mercatorum credi deberet pro ſcribente, *cap. cum dilectus, extra de fide inſtrumen.* & paſſim Doctor. *in l. admonendi, ff. de iureiuran.* Ioſeph Ludouic. *in concluſ. 29. ampliat. 39.* cum ibi allegatis, & per Maſcard. *in d. concluſione 973. nu. 16. vbi multos alios allegat.* Attamen, cum in hac Ciuitate Lucana non appareat adeſſe tale ſtatutũ,
3 nec † fuerit probatum pro parte actorum vigere hanc conſuetudinem, prout erat neceſſe, Cephal. *in conſil. 377. num. 53.* Ioſeph Ludou. *allegata concluſ. 29. cum ibi allegatis*, vtique viſum fuit non
4 fuiſſe † ſufficienter probatam intentionem actorum, & propterea reum fore abſoluendum a petitis, iuxta text. *in cap. finali, extra de iure iuran. l. qui accuſare, C. de edendo.*

Nec prædictis obſtat dũ ex aduerſo dicebatur, quod quatenus etiam prædictis libris non eſſet plenè ſtandum, per ſupradicta, & per ea, quæ per teſtes pro parte d. Petri Antonij examinatos depoſita fuerunt ad tollendam fidem dd. librorum. Ex confeſſione tamen d. Petri Antonij videtur probatum dictum Nicolai: (nam in quinto capitulo producto per d. Scorſinũ) ipſe Scorſinus ponit, [Qualmente a conto di dd. ſcudi 51. detto Camilli aſſignò al d. Scorſini 27. panni da letto da eſſo Scorſini riceuuti a lire dodici l'vno per mano di Giulio Cenſale in eſtintione del ſudetto debito del Ca-
5 milli] & clarum eſt in iure, quod † qui capitulat, fatetur contenta in capitulis, vt ex multis adductis per Honded. *in conſil. 79. num. 55. lib. 1.* & per Surd. *deciſ. 58. num. 12.* Quod idem etiam habetur in fide d. Iulij proxenetæ, producta per eumdem Scorſinum, & ſic per eum approbata, iuxta veram
6 Doct. ſententiam, quod † producens ſcripturam, intelligitur approbare, & confirmare omnia in ea contenta, *cap. cum olim, de cenſib.* Pariſ. *in conſil. 125. num. 20. lib. 1.* Crauet. *in Reſponſo pro genero, num. 222.* Natta *in conſil. 365. nume. 3.* Beccius *in conſil. 5. num. 38.* Menoch. *de arbitr. iudic. caſu 21. num. 1. & caſu 94. num. 8.* Surd. *in conſil. 151. num. 16. & 157. num. 22. in 2.*

7 Quod † etiam procedit ſi eſſet ſcriptura priuata, & carens ſollemnitate, Bald. *in l. alia, num. 3. C. de his, quib. vt indign.* Angel. *in conſil. 132. nu. 3. verſic. ſecundo quia.* Alexand. *in conſil. 184. num. 2. lib. 7.* Pero. *in conſil. 90. num. 10. & 22. lib. 3.* deciſ. Pedemon. 39. *num. 23.* Surdus, *conſil. 151. num. 16.*
8 Quia dicitur, non † diuidi ac ſcindi talem confeſſionem, ſed debere vel in totum acceptari, vel in totum reijci a dd. hæredibus, cum ſimus in connexis, & cum talis confeſſio ſit vnita inſeparabiliter cum credito ſcutorum quinquaginta d. Scorſini. Nec dicatur vnum ſine alio confeſſatum, vt per Bartol. *in l. Aurelius, §. idem quæſiuit, ff. de liber. legat.* Boer. *in deciſ. 339. num. 3. & ſequen.* Alexan. *in conſil. 87. lib. 1. & conſil. 2. num. 22. vol. 4.* Rota *deciſ. 272. vol. 2. diuerſor.* Menoch. *de arbitr. caſu 93.*

num.

num. 21. *& caſu* 95. Surdus, *deciſ.* 258. Crauet. *de antiquit. tempor. par.* 1. §. 5. *num.* 76.

Secundò, non erat condēnandus d. Scorſinus ad ſoluēdam ſummam petitam per dd. actores: quia viſum fuit ſatis docuiſſe de ſolutione, ac ſatisfactio ne prætenſi crediti, quatenus etiam fuiſſet iuſtificatum per actores: nam produxerat fidem d. Iulij proxenetæ de prædictis omnibus deſcriptam in libro ipſius proxenetæ, qui quidem liber eum eſſet (vt vulgo dicitur) marchiato, & a Notarijs Curiæ mercatorum ſubſcriptus, ex ſtatuto Curiæ mercatorum ei præſtatur plena fides, vt in eodem ſtatut. *lib. primo, cap.* 20. *verſic. Et non eſſendoſi oſſeruato*. Et idem proxeneta hoc idem in ſuo examine medio iuramento teſtatus eſt; quem cum in proceſſu ſit probatum eſſe virum bonæ conditionis, vtique viſum fuit, fuiſſe per eum inductam ſaltem ſemiplenam probationem, vt per Magon. *deciſ. Lucana* 95. *num.* 14. aſſerens huiuſcemodi proxenetis attenta Lucana conſuetudine plus fidei adhiberi, quam ſimplici teſti, & per cōſequens, fuiſſe locum delationi iuramenti in ſupplementum, prout delatum fuit per d. D. Iudicem a quo.

9 Nec obſtat quod fidei † proxenetæ, & eius ſcri
pturis non videatur fides adhibenda propter affe-
ctionem, quā pręſumuntur habere in contractibus
quos ipſi tractant, vt per Gabriel. *commun. opin. de*
teſtibus concluſ. 20. *in princ.* Farinac. *de oppoſit. contra*
perſonam teſt. quæſt. 60. Illat. 16. *numer.* 412. *cum ibi*
allegat. Maſcard. *concluſ.* 1036. *num.* 7. Immo, quod
10 per † dictum proxenetæ non induceatur ſemiplena
probatio, ita vt iudex poſſit deferre iuramentum
in ſupplementum, tenent Farinac. *in alleg. quæſtio.*
60. *num.* 4. *&* 13. & Maſcard. *d. concluſ.* 1036. *num.*
27. Nam dicitur, ſupradictam concluſionem mul-
tas limitationes recipere.

Primò enim non procedit, quando exſtat ſtatu-
tum, vel conſuetudo in aliqua Ciuitate, quod pro-
11 xenetis, † & eorum libris credatur, vt in hac Ciui-
tate exſtat, per alleg. deciſ. Magon. 95. *num.* 14. ita
limitat Maſcard. *in alleg. concluſ.* 1036. *num.* 15. &
Farinac. *d. quæſt.* 60. *num.* 441.

12 Secundò, non procedit † niſi quando a parte fue
rit oppoſitum, quia parte non opponente (prout in
hoc caſu non oppoſuit) eius dictum attenditur, &
conualidatur, vt per Maſcard. *in d. concl.* 1036. *nu.*
16. & Farinac. *ibidem num.* 440.

13 Tertiò, non † habet locum, quando actus eſſet
ſortitus effectum ſuum, nec ageretur de eius retra-
ctatione, ſed tantum de probandis aliquibus quæ
præceſſiſſent cōtractum, vel aliqua qualitate actus
iam perfecti, vt erat in præſenti caſu, in quo age-
batur de probatione qualitatis actus, nempe quod
[illegible]ditio ſit facta in extinctionem eius quod Nico-
laus Camilli debebat. Gabriel. *in d. concluſ.* 20. *num.*
8. Maſcar. *in alleg. concluſ. num.* 18. Farinac. *ibidem,*
num. 432.

14 Quartò limitatur, † quando proxeneta eſſet per
ſona multum integra, Farinac. *d. q.* 60. *num.* 436. At
in proceſſu teſtes deponunt de bona conditione, &
fama d. Tulij, ideo, &c.

15 Quintò, non procedit, quando † aliqua præſum-
ptio concurrit pro eo, quod mediator ſeu proxene-
ta deponit, quia hoc caſu habetur pro teſte integro,
Maſcard. *in alleg. concluſ.* 436. *num.* 28. & Farinac.
ibidem num. 438. & Gabriel. *d. concluſ.* 20. *num.* 4. At
in caſu iſto cadit præſumptio temporis ſeptem an-
norum, per quod tempus non præſumitur quod ex-
ſpectaſſet ipſe Camillus in exigendo hoc credito,
ſi non fuiſſet ei ſatisfactum; in hac enim Ciuitate
non retardantur tales exactiones a debitoribus exi-
gibilibus, niſi per ſpatium vnius anni, vt deponunt
teſtes examinati.

Cadit etiam alia præſumptio: quia per teſtes e-
xaminatos fuit depoſitum, d. Nicolaum alias non
adnotaſſe in dd. libris pecunias ſolutas a debitori-
bus in extinctionem eorum debitorum, nec con-
trapoſuiſſe partitis eius creditorum, vt quilibet fi-
delis, & legalis mercator facere debet, vnde erat
præſumendum, etiam in hoc credito ab eo præten
ſo, non fuiſſe contrapoſitum creditum d. Scorſini,
16 † cum ſemel malus, ſemper præſumatur malus in
eodem genere mali, *c. ſemel, de reg. iur. in* 6. Cephal.
in conſ. 666. *num.* 47. *vol.* 4.

Ex quibus omnibus cenſuimus per atteſtatio-
nem, & iuratam depoſitionem talis proxenetæ, in-
ductam ſaltem fuiſſe ſemiplenam probationem ad
effectum, vt ei poſſet deferri iuramentum in ſupple
17 mentum. Nam † quanta fides huiuſcemodi proxe
netis ſit adhibenda, ex circumſtantijs, & qualitate
perſonarum, & cauſæ, Iudicis arbitrio eſſe remiſ-
ſum, teſtatur Farinac. *d. quæſt.* 60. *num.* 414. *verſic.*
non tamen, cum multis per eum allegatis. Soc. iunior,
in conſ. 29. *num.* 16. *& conſ.* 31. *nu.* 18. *lib.*... Menoch.
in conſ. 92. *num.* 85. &c.

ARGVMENTVM.

Cauſa criminalis quando non faciat ceſſare cauſam ciuilem.

SVMMARIVM.

1 *Iudicium criminale ſuperueniens, facit ceſſare iudicium ciuile.*

2 *Et ideo magis, cum cauſa criminalis ſit præiudicialis cauſæ ciuili, & excluſiua iuris agentis.*

3 *Cauſa criminalis facit ceſſare ciuilem, quoad ſententiam, non autem quoad proceſſum; quia poteſt procedi in ciuili vſque ad ſententiam, non obſtante ſuperuenientia cauſæ criminalis.*

4 *Et de conſuetudine proceditur in vtraque cauſa minuendarum litium gratia.*

5 *Cauſa criminalis non facit ceſſare ciuilem, quando quis fuit negligens, & nimium ſe coarctauit in proponenda ſua actione criminali; quia tunc dicitur calumnioſè hoc facere.*

6 *Qui calumnioſè & per malitiam quærit differre iudicium, non eſt audiendus.*

7 *Negligens autem ille dicitur in proponendo iudicio criminali, quando illud proponit poſt concluſum in cauſa ciuili.*

DECISIO LI.

IN cauſa recurſus interpoſiti ad
Rotã per Iacobum Naueſium a
pronuncia Domini Commiſſarij
Vallis Limæ,ad fauorẽ Petri Lau
rentij Martij, & Ioannis Alderi-
ci,fuit per nos pronunciatum,be-
ne iudicatum, & male recurſum. Moti, quia licet
1 ſatis ſit clara in iure illa concluſio,quod † pendente
iudicio ciuili,ſi motum fuerit iudicium criminale,
debeat ceſſare iudicium ciuile, & in eo ſuperſede-
ri, *l.finali,C.de ordin.iudic.* Cinus *in l.1.in vlt. colum.
C.qui accuſ.non poſſ.* Bart.*in l. Diuus, & in l.ſeq.ff.de
petit.hared.* Bal.*in l.ſi quis teſtibus, col.pen. C.de teſt.
& in l.finali,in fine, C.de fide inſtrum.* latè Farinac.
*in praxi,de var.ac diuerſ.queſt.quæſt.*100.*numer.*59.
per totam. Et propterea cum in caſu noſtro uerten-
te, cauſæ ciuili ſuperuenerit cauſa criminalis, ſu-
per falſitate ſcripturarum productarum videretur
2 ſupraſedendum in cauſa ciuili,maximè † cum talis
cauſa criminalis eſſet præiudicialis cauſæ ciuili, &
excluſiua iuris agentis ciuiliter, Anchar.*in conſ.*62.
*num.*1. Ayino,*in conſil.*280.*num.*1.& latè Farinac.
*in alleg.q.*100.*num.*60.

Attamen,non obſtantibus prædictis,viſum fuit
contrarium dicendum, & confirmandam eſſe ſen-
tentiam D. Iudicis a quo, dum mandauit procedi
ad vlteriora in cauſa ciuili,ſaluis iuribus ſuper cau-
ſa criminali,& hoc

3 Primò, quia cauſa † criminalis facit ſupraſede-
re ciuilem quoad illius expeditionem,& ſententiã,
non autem quoad proceſſum. Affli ct.*deciſ.*103.Ca-
pic.*deciſ.*25.*num.*1. Grammat. *deciſ.*60. *num.*23.*in
fine*,Clar.*in praxi,§.finali, quæſt.*2.*num.*4. Farinac.
4 *d.quæſt.*100. *num.*93. Et de † conſuetudine gratia
minuendarum litium in vtraque cauſa ſimul proce
ditur, Socin.*in conſil.*18. *num.*1.*lib.*1. Clarus *in pra-
xi,§.finali q.*14.*num.*12. Farinac. *d.quæſt.*100.*num.*
92. Vnde, cum ſententia D. Iudicis a quo,ſit tan-
tum de procedendo ad vlteriora reſpectu proceſſus
viſa fuit digna confirmatione.

Secundò, quia ſupradicta concluſio limitatur,
5 vt non procedat, † quando quis fuit negligens in
proponenda actione criminali,nimiumque ſe arcta
uit, diuque ſtetit intentare actionem criminalem
poſt ciuilem, tunc enim præſumitur calumnioſè a-
gere,& ideo non eſt ſuperſedendum. Afflict. *d.de-
ciſ.*229. *num.*2. Capic. *deciſ.* 25. *num.*5. Grammat.
*deciſ.*60.*poſt numerum* 24. Angelus *de malefic. in ver
ſic.inchoata,nu.*20.*& alij,quos allegat idem* Farinac.
6 *d.quæſt.*100. *num.*102. Cum † is qui calumnioſe &
per malitiam quærit differre iudicium, non ſit au-
diendus, *l.*1.*C.de calum.l.*1.*C.de iuram.calumn.cap.
ſuſcitate,de in integr.reſtit.l.ſatis apertè,ff.de falſis.*

7 Dicitur † autem quis negligẽs & nimium ſe ar-
ctans, quando criminalem cauſam proponit poſt
concluſionem in cauſa ciuili, vt per Afflict.*in deciſ.*
103.*in princ. & deciſ.*229.*num.*1. Capic.*d.deciſ.*25.
*nu.*5.Farinac.*d.quæſt.*100.*num.*105. &c.

ARGVMENTVM.

Ad iuramentum deciſiuum deferen-
dum requiritur ſpeciale manda-
tum, nec ſufficit Clauſula, Item ad
iurandum.

SVMMARIVM.

1 *Procurator tunc dicitur habere mandatum legitimum
ad deferendum iuramentum, quando hoc ei ſpecificè
fuit demandatum,ac etiam vide ſub num.*3.

2 *Clauſula,Item ad iurandum,&c.non operatur vt pro
curator poſſit deferre iuramentum.*

4 *Statutum quod eſt conforme cum diſpoſitione iuris
communis, debet aliquid operari vltra diſpoſitio-
nem iuris communis,ne aliàs reddatur ſuperfluum,
& debet ad vnguem, & præciſè, non autem per æ-
quipollens adimpleri.*

5 *Iuramentum vnica tantum vice ſuper eodem facto eſt
deferendum,propter periurium.*

6 *Iuramentum deciſiuum non poteſt à parte deferri,ni-
ſi fuerit a Iudice approbatum.*

7 *Eligens vnam viam in probando, non poteſt amplius
confugere ad aliud genus probationis.*

8 *Solutio non dicitur integrè facta, ſi in vno nummo
tantum deficiat.*

DECISIO LII.

IOſeph Tuſchius habuit recurſum
ad Rotam a ſententia Dom. Iudi-
cis primarum inſtãtiarum,lata ad
fauorem Michaelis Arighi,quam
ſententiam duximus reuocãdam,
eo quia,cum ſententia Dom. Iudi
cis a quo, eſſet fundata ſuper delatione iuramenti
deciſiui oblati a procuratore d. Michaelis ipſi Io-
ſeph. Et cum tale iuramentum non fuerit præſti-
tum per ipſum Ioſeph intra terminum duorum die
rum vtilium, iuxta diſpoſitionem ſtat.*lib.*1.*cap.*66.
per quod diſponitur, quod reus negligens iurare,
habeatur pro confeſſo, vtique viſum fuit non poſſe
ſuſtineri ſententiam d. D. Iudicis a quo.

Primò, quia præallegatum ſtatutum requirit,
quod procurator habeat legitimum mandatum ad
talem delationem iuramenti, vt ex primis verbis
1 dicti ſtatuti apparet. De iure autem dicitur † habe-
ri legitimum mandatum ad hoc peragendum,quã-
do procurator habet ſpeciale mandatum ad iura-
mentum deferendum, & ei nominatim hoc fuerit
demandatum, vt eſt text.*in l.iuſiurandum.*17.*§.fina
li,& in l. iuſiurandum,*34. *§.deſenſor,ff.de iureiur.c.
qui ad agendum,de procur.lib.*6. Maſcard.de probat.
*concluſ.*9.*numer.*58. At in mandato d.procuratoris
2 hoc non legitur,ſed habetur tantummodo † Clau-
ſula cetera ta,Item ad iurandum,&c.quæ non ope-
ratur huiuſcemodi facultatem deferendi iuramen-
tum, vt per Marc.*in deciſ. Delfin.*687.*num.*1. vbi e-
tiam Addition. *in littera A.in verbo, iuramentum,*

cum

cum ibidem allegat. & Carocc. *de iuram.quæſt.9.deci*
mætertiæ quæſt.princip. Coſta *de remed.ſubſid.remed.*
96.num.6. Nec videtur poſſe contineri ſub Clauſu
la, & cetera: quia fuiſſet neceſſe per notarium ta-
lem Clauſulam extendi, ſecundum ſuam, non au-
tem generalem conſuetudinem, vt per Caball. *in*
3 *conſil.deciſiuo 177. num.22.* Et quod † ad hoc iura-
mentum deferendum requiratur ſpecialiſſimum
mandatum, tradit Carpanus, *ad Statuta Mediolan.*
cap.66.nu.25. Et Neuiz. *in conſil.5.* Rota Auinion.
4 *deciſ.7.* Et Theſaur. *deciſ.17.* Et † ſtatutum quan-
do coniungitur cum iuris diſpoſitione, plus debet
operari, ne ſit ſuperfluum, & ideo non poteſt per
æquipollens adimpleri, ſed præciſè, & ad litteram
eſt adimplendum, Maſcardus, *Concluſ.9.* Carpanus
ad Statuta Mediol. cap.324. nume.183. Surd. *deciſ.*
268.num.18.
Secundò, non poterat deferri tale iuramentum:
quia cum iam fuerit per d. Ioſeph medio iuramen
to reſponſum poſitionibus negatiuè, non poterat
eidem deferri iuramentum ſuper eadem re; cum
5 ei † qui ſemel iurauit ſuper eodem facto, amplius
non deferatur iuramentum; Sacramentalis enim
probatio niſi ſemel admittitur, vt ex multis per
Maſcard. alleg. *in concluſ.126. num.20.* & Rota,
de iureiur.deciſ.4. Oſaſch. *deciſ.10.& 11.* Carocc. *de*
iuram.quæſt.29.& 32.principali. Et hoc propter ti
morem periurij, vt per Carocc. & Coſtam *in locis*
prææallegatis.
6 Accedat, quia † talis iuramenti forma erat a Iu
dice approbanda, & diſponit idem ſtatutum, &
eſt vnum de requiſitis a iure, vt per Marantam,
6.parte, tit.de iurament.nu.22. Rota Ianuenſ. *deciſ.*
156.num.13. Quod non fuit ſeruatum in hoc caſu.
Tertiò dicebatur etiam, non eſſe locum delatio
ni dicti iuramenti deciſiui, ex quo iam pro parte d.
7 procuratoris fuerat † electa via probandi per teſtes
eius intentionem, vnde non videbatur amplius
permiſſum confugere ad aliud genus probationis,
nempè, per iuramentum, per text. *in l.ſi quis iuſ-*
iurandum, C.de rebus creditor. latè Decianus *Re-*
ſponſo 61.numero 7.& 8.libro tertio. vbi multa ad-
ducit.
Non obſtat, dum dicebatur pro parte dicti pro
curatoris ex aduerſo, recurſum fuiſſe nullum ex
eo, quia ſumma a qua fuerat recurſũ, eſt multo ma
ior floren.26. pro quibus fuit ſolutum datium, &
ideo ex defectu non ſoluti integri datij proceſſus
eſſet nullus, ex diſpoſitione *cap.23.lib.1.Stat.&*
capit.13.lib.5. Et decreti Excellentiſs. Conſilij
ſub die 3. Auguſti 1599. quod dicitur procedere,
8 etiam, † ſi in vno nummo ſolutio deficeret, Alex.
in l.in exequutione, §.item ſi ita, num.5.ff.de verbor.
obligat. Quia dicitur, in huiuſcemodi recurſu ab
exceſſu, & nouo grauamine, non ſolui datium pro
certa ſumma, ſed tantum pro grauamine, quod
æſtimatur ad rationem flor.26. & ita quotidie pra
ctica ſeruat. Imò, retorquendo hoc contra ipſum
adducentem, dicitur, quod cum in primo iudicio
fuerit ſolutum datium per ipſum procuratorem
ad eamdem rationem floren.26. & ſumma petita
importet multo plus, vtique iudicium per ipſum
actitatum erit nullum, vt in terminis deciſiuè con-
ſuluit Cabal. *in conſil.25.* &c.

ARGVMENTVM.

Sententia lata contra diſpoſitionem ſtatuti, dicitur nulla, non ex defectu iuriſdictionis, ſed quia lata fuit contra formam legis.

SVMMARIVM.

1 *Dictio negatiua (Non) appoſita verbo, poſſit, tollit omnem potentiam, atque facultatem.*
2 *Sententia lata contra diſpoſitionem ſtatuti dicitur nulla, non propter defectum iuriſdictionis iudicantis, ſed quia eſt lata contra formam ſtatuti.*
3 *Recurſus eſt ſimilis appellationi, & ſecundum terminos appellationis regulatur.*
4 *Extenſio in pœnalibus admittitur ex identitate rationis, quando ratio eſt expreſſa in ipſa lege.*

DECISIO LIII.

FVit interpoſitus recurſus ex defe-
ctu iuriſdictionis, a ſententia Ill.
Dom. Prætoris Lucenſis, ad fauo
rem Fiſci, per Franciſcum Mar-
ci de S. Margharita; & fuit per
Rotam pronunciatum, Defectũ
iuriſdictionis oppoſitum, non ſubſiſtere. Mota,
quia cum præſens cauſa eſſet merè criminalis, &
in ea criminaliter fuerit proceſſum, negari non po
terat, quin ex diſpoſitione ſtatuti & cap. Rotæ hu
ius ciuitatis, d. Dom. Poteſtas fuerit Iudex compe
tens, eique per dd. Statuta & Capitula ſit tributa
iuriſdictio, & facultas cognoſcendi, ac terminan
di huiuſcemodi cauſas, quo ſtante, viſum fuit defe
ctum iuriſdictionis oppoſitum contra d. Do. Præ-
torem, nullo modo ſubſiſtere.
Nec obſtare credidimus, dum ex aduerſo dice-
batur, qđ ex quo D. Poteſtas condemnauit dictum
Marcum, non præcedentibus binis citationib. ad
formam ſtatuti, *lib. 4. cap. 20. & 21.* factis videli-
cet per diuerſos nuncios, videatur ei ſublata facul-
tas, & iuriſdictio iudicandi, per verba *d.cap.21.* ibi:
[nulla perſona poſſit banniri per aliquem Officia-
1 lem, niſi talis perſona fuerit citata] &c. Cum † di-
ctio negatiua appoſita verbo, (poſſit) videatur adi-
mere omnem potentiam, & facultatem. gloſ. *in c.*
1.de reg. iur.in 6. Lanfranc. *in cap.quoniam, de pro-*
bat. num.24. & importet neceſſitatem, & formã,
Carpan. *ad ſtat. Mediolan. cap.335. num.4.* Tira-
quel. *de legib. connubial. gloſ. 4. num. 1* & Bartol.
in l. Mœuius, num.20.ff.de leg.2. Quia dicitur prę-
dicta verba operari inualiditatem, & nullitatem
ſententiæ, ex quo non fuit ſeruata forma ſtatuti,
ſed non auferre iuriſdictionem iudici competen-
2 tem. Cum † ſententia lata contra formam ſta-
tuti dicatur nulla, non ex defectu iuriſdictionis,

ſed

ſed quia lata fuit contra legem, Vantius, *de nullit. ex defect. proceſſ. nume.* 118. *& de nullit. ex defectu iuriſdict. nume.* 35. Oſaſch. *deciſ.* 142. Gabriel. *de ſentent.* 7. *concluſ. num.* 5. & eo magis in caſu iſto, cum talis negatiua per ſtatutum non ſit appoſita ſuper ſubſtantialibus cauſæ, ſed ſuper modo procedendi, quo fit, vt minus iuridicè fuerit proceſsũ, & propter hoc ſit prohibita condemnatio.

Non videtur quoque attendendus præſens recurſus, ex quo proceſſus primi iudicij non fuit præſentatus in hoc ſecundo iudicio ſubſcriptus a notario rogato ſententiæ condemnatoriæ facienti fidem, quod talis ſit integer proceſſus illius cauſæ; ex quo ſequitur, quod appellatio efficitur deſerta, & prima ſententia confirmata, vt diſponitur per decretum Excellentiſs. Conſilij, ſub die 23. Nouembris 1604.

Nec releuat dum dicitur d. decretum loqui in appellatione, non autem in recurſu, de quo nunc agitur, & ex diuerſis non fit illatio, *l. Papinianus e-*
3 *xuli, ff. de minor.* Quia dicitur † recurſum eſſe ſimilem appellationi, & ſecundum terminos appellationis regulari, Magon. *deciſ. Lucana* 23. *num.* 1. *cum ibi allegatis*. & Menoch. *de arbitr. iudic. lib.* 1. *quæſt.* 70. *num.* 26. & ideo diſpoſitio dicti decreti videtur habere locum, cum vigeat eadem ratio ex
4 preſſa in ipſo decreto, licet † ſimus in pœnalibus, in quibus fit extenſio ex identitate rationis, quando ratio eſt expreſſa in ipſa lege, vt notanter tradit Iaſon, *in l.* 1. *numero* 13. *ff. in ius vocati vt eant, cum ibi allegatis*.

ARGVMENTVM.

Iudex ex indicijs & præſumptionibus poteſt reum condemnare, ſi nõ pœna ordinaria ſaltem extraordinaria. A ſententia arbitraria Iudicis an detur appellatio.

SVMMARIVM.

1 *Teſtes ſingulares non faciunt plenam probationem.*
2 *Teſtes habentes vtilitatem in cauſa, in qua examinantur, non plenè probant.*
3 *Teſtes inimici non admittuntur.*
4 *Iudex ex cauſa poteſt pœnas minuere, & commutare, prout ſibi iuſtum videbitur.*
5 *Iudex ex vehementibus indicijs poteſt condemnare in pœnam extraordinariam reum.*
6 *Arbitrio iudicis remittitur, quę dicantur indicia ſufficientia ad reũ condemnandũ pœna extraordinaria.*
7 *A ſententia arbitraria iudicis non datur appellatio.*
8 *Habet locum prædicta concluſio in iudice, qui ex mero arbitrio, & ſecundum ſuam conſcientiam iudicare poteſt: ſecùs in iudice ordinario, & qui ex mera iuris diſpoſitione tenetur iudicare.*
9 *Fallit etiam, quando iudex excederet in arbitrando, quia tunc ab eius ſententia admittitur appellatio.*

DECISIO LIIII.

NIcolaus Menchi de Guamo appellauit ad Rotam a ſententia D. Vicarij Vallis Limæ, lata ad fauorẽ Fiſci. Quam Rota reformauit. Mota, quia cum d. ſententia eſſet fundata ſuper arbitrio, ex quo cõdemnauit d. Nicolaum *in lib.* 90. pœna ſic arbitrata. Viſum fuit tale arbitrium nimis rigoroſum, & propterea eſſe reducendum *ad lib.* 50. prout reduximus; tum quia teſtes pro informatione curiæ e-
1 xaminati non videbantur conteſtes † ſed ſingulares, & ſic non integrè probantes delictum venditionis frumenti cum menſura non ſignata, ac non iuſta, prout prætendebatur pro parte fiſci, vt per Dec. *in conſil.* 189. *nu.* 8. Alexan. *in conſil.* 32. *num.* 5. *lib.* 1. tum etiam, quia eorum depoſitiones in eorumdem vtilitatem reſultare videbantur, propter
2 † intereſſe quod ipſi prætendere potuiſſent ſi Nicolaus condemnatus fuiſſet ob talem venditionẽ: Magon. *deciſ. Lucana* 75. *num.* 12. Farinac. *de teſtibus quæſt.* 60. *num.* 6. *cum ſeq.* Natta, qui teſtatur de magis communi *in conſil.* 369. *num.* 13. *in fine*.
3 Et etiam quia † ex depoſitione dd. teſtium percipi poterat, quod ipſi teſtes odio proſequebantur dict. Nicolaum, *l.* 3. *ff. de teſtib.* Barzius, *deciſ.* 143. *num.* 10. Alexan. *in conſil.* 99. *nu.* 3. *verſic. & poſito, lib.* 1. Ex quibus viſum fuit d. Nicolaũ non potuiſſe condemnari in eam pœnam, in qua fuit condemnatus, quæ erat fere pœna ordinaria delicti, ſed eſſe reducendam ad ſatis mitiorem, nempè, *lib.* 50. tantũ.
4 In iure enim ſatis notum eſt, † Iudicem poſſe ex cauſa pœnas minuere, & commutare, prout ſibi iuſtum videbitur, vt per Dec. *in cap. cauſis, num.* 18. *de officio deleg.* Viuius, qui dicit communem, *lib.* 1. *Commun. opin. opinione* 165. Alexan. *in conſil.* 122. *num.* 2. *& conſil.* 79. *num.* 4. *eod. libr.* Granuc. *theorem.* 17. *num.* 6. Farinac. *de delict. & pœnis, quæſt.* 17. *num.* 15. Et eſt expreſsè diſpoſitum per ſtatut. *in capit.* 23. *libro* 5.

Cenſuimus tamen ſtantibus prædictis depoſitionibus teſtium, tam ſuper ipſo delicto, quam ſuper publica voce, & fama, de eo, & de mala qualitate perſonæ ſupradicti inquiſiti, reſultare indicia adeo grauia, & vrgentia, vt potuerit d. Nicolaus condẽnari in pœnam extraordinariam pecuniariam mitiorem, tamen ordinaria. Cum in iure ſit communi
5 ter receptum, quod † Iudex poteſt ex indicijs vehementibus, & valde grauibus, condemnare reum in pœnam extraordinariam pecuniariam, & mitiorẽ ordinaria, vt ex multis allegatis tradit Farinac. *in ſua praxi, titul. de reo confeſſo & conuicto, quæſt.* 86. *num.* 83. Ruin. *in conſil.* 10. *numer.* 7. *lib.* 5. Et cum ar-
6 bitrio † Iudicis commiſſum ſit iudicare quænam ſint indicia vrgentia, & ſufficientia ad condemnandum aliquem ex indicijs, & præſumptionibus, vt affirmat idem Farinac, *in allegato loco, nu.* 91. idem tenet Menoch. *de arbitr. iud. lib.* 2. *caſu* 499. *& in tractatu de præſump. lib.* 1. *q.* 44. *num.* 1.
7 Nec obſtat dum pro parte fiſci dicebatur, † ab

huiuſcemodi ſententia arbitraria non dari appellationem, per multa, quæ adducuntur per Menoch. *de arbitr. iud. lib. 1. quæſt. 70. num. 6. verſic. contrariam itaque ſententiam*, cum ab arbitrio non detur appellatio, Bart. *in l. 1. in fine, de leg. 2.* Crauet. *in conſil. 78. cum ibi alleg.* Boer. *deciſ. 284. numer. 17.* Quia dicimus,

8 illud † procedere in Iudice, qui ex mero arbitrio, & ſecundum propriam conſcientiam iudicare poteſt: ſecùs eſt in Iudice Ordinario, qui ex mera iuris diſpoſitione iudicare tenetur, prout in caſu hoc, qui habet legem præſumptam, ſecundum quam Iudicare debet. Ita declarat Menoch. *in allegato loco, num. 2.* & Magonus, *deciſ. Lucana 42. nume 1021.* Farinac. *de delict. & pœnis, q. 17. nume. 28. cum ibidem allegatis.*

9 Et vbi † Iudex talis excedit in arbitrando, datur appellatio. Lancellot. *de attentat. 2. par. cap. 12. lim. 9. num. 10.* Farina. *in tit. de delict. & pœnis, quæſt. 17. num. 31. & de varijs, ac diuerſis quæſt. q. 101. nu. 110.* Maſcard. *in concluſ. 696. num. 1. cum ſeq.* &c.

ARGVMENTVM.

Proceſſus quando dicatur nullus ex defectu perſonæ illegitimæ.

SVMMARIVM.

1 *Inſtrumentum dicitur probatio euidens & probata, ita vt vlterius eo habito non ſit inueſtigandum.*

2 *Actus facti a procuratore non habente legitimum mandatum, reddunt proceſſum nullum.*

3 *Quod procedit, quando tales actus ſunt circa ſubſtantialia: ſecùs ſi non ſint circa ſubſtantialia.*

DECISIO LV.

DOminus Frãciſcus Granuccius habuit recurſum ad Rotam a ſententia Domini Iudicis primarum inſtantiarum, lata ad fauorem ſer Vincentij Aconcij, quæ fuit per Rotam reuocata; eo quia de credito dicti Granuccij conſtabat ex publico inſtrumento exhibito.

1 Et qui pro † ſe habet inſtrumentum, dicitur habere ſuam intentionem in iure fundatam, ita vt vlterius non ſit inueſtigandum. Rolan. *in conſil. 40. num. 12. volum. 2.* Cephal. *in conſil. 520. nume. 7. & 574. num. 4. & conſilio 580. num. 3.* Cum inſtrumentum dicatur probatio euidens, manifeſta, ac probata. Roland. *in d. conſil. 40. num. 8.* Maſcardus qui multos allegat, *concluſ. 906. num. 1. cum ſeq.* Propterea viſum fuit non poſſe impediri eius exequutionem petitam, per ea quæ a parte aduerſa deducebantur.

Non enim obſtare viſum fuit, dum dicebatur

2 proceſſum † huius cauſæ eſſe nullum, ex quo procurator comparuit in hoc iudicio, & in prima eius comparitione non produxit mandatum, ex quo videtur ſequi nullitas proceſſus, per diſpoſitionem ſtatuti, *lib. 1. cap. 26. verſic. ceterum*, & cap. Rotę 42. *verſi. & ſi actoris procurator*, per illa verba (Non audiatur,) quę importãt nullitatem proceſſus ipſo iure, vt ex multis quos allegat tenet Vantius *de nullit. ex defectu mand. num. 53.* Dec. qui de communi teſtatur, *in conſil. 245. num. 2. verſi. ſed prædictis.* Quod nec etiam in toto proceſſu fuit factum, & propterea etiam de iure communi proceſſus redditur nullus, *c. in noſtra, in fine, extr. de procur. cum ibi notatis.*

Nam dicitur, quod acta ſubſtantialia præſentis iudicij fuerunt facta per dictum Franciſcum principalem, videlicet, petitio exequutionis, productio inſtrumenti eius crediti, ad iuſtificandam exequutionem in termino decem dierum aſſignatorum a ſtatuto, reſponſiones factę ad poſitiones, productio capitulorum, & interrogatoriorum, nominatio, & præſentatio teſtium, & alia. Et licet nonnul-

3 li actus † fuerint facti per dictum procuratorem, cum tamen non verſarentur circa ſubſtantialia cauſæ, viſum fuit propter hoc non vitiari proceſſum, ad tradita per Cornaz. *deciſ. 39. in fine.* Sed ex actitatis per dictum Franciſcum optimè ſuſtineri poſſe. Immò hoc idem fundamentũ fortius vrgebat contra dictũm ſer Vincentium, cum eius procurator in hoc iudicio numquam produxerit eius mãdatum. Nec ſuffragari ei poterat, dum dicebatur apparere de mandato eius procuratoris in quodam actu, vbi dicebatur (procurator dicti Ser Vincentij; manu mei) &c. Et non eſſe opus alia exhibitione, cum ex illis verbis appareret mãdatum eſſe penes actuarium, qui de eo fuerat rogatus. Quia dicitur ex illis verbis probari illum notarium eſſe rogatum de tali mandato. Sed propter hoc non poterat dici factam fuiſſe realem, & actualem exhibitionem & productionem, quam requirit ſtatutum, & capitula Rotæ ſupra allegata, dum volunt procuratorem teneri producere ſuum mandatum in publica forma, & in actis regiſtrari, & realiter, & cum effectu exhiberi, &c.

ARGVMENTVM.

Sententia nulla quando poſſit per Iudicem appellationis confirmari, ſeu reformari.

SVMMARIVM.

1 *Sententia lata parte non citata, eſt nulla, etiam ſi lata ſit per Imperatorem.*

2 *Iudex appellationis poteſt ſententiam Iudicis a quo, nullam ob defectum citationis, confirmare; dummodo foueat bonum ius ſuper meritis.*

3 *Fallit concluſio, quando nullitas fuit in iudicio principaliter intentata.*

4 *Nullitas ſententiæ quando principaliter intentata dicatur.*

5 *Et quando nullitas eſt principaliter intentata, poteſt Iudex prius declarare ſententiam nullam, & eodem inſtanti eandem confirmare.*

DE-

DECISIO LVI.

IN cauſa recurſus interpoſiti per
Lucam Bonifacij, a ſententia D.
Iudicis ordinarij ad fauorem Do.
Mariæ Curbij, ad Rotam, fuit
pronunciatum nulliter fuiſſe iudi-
catum per d. Do. Iudicem a quo,
cuius tamen ſententiā iuſtis de cauſis duximus con
firmandam.

Moti, quia cum ſupradictus Do. Iudex a quo,
1 pronunciauerit ad fauorem d. D. Mariæ, non † ci-
tata parte, nec ea audita ſuper iuribus ſuis, vtique
talis ſententia fuit nulla, cum in vnoquoque actu
pars ſemper ſit citanda, *l. de vnoquoque, ff. de re iu-
dic. l. nam ita Diuus, & ibi Bar. ff. de adopt. l. ſi quan-
do, C. de teſtament. Clement. Paſtoralis, de re iudic. c.
Eccleſia S. Mariæ, in fine, de Conſtit.* Et ſententia
Imperatoris lata ſine citatione partis, eſt nulla, vt
tradunt innumeri Doct. quos allegat, & ſequitur
Gabr. *tit. de citat. concl. 1. num. 9.*

Verum, quia d. D. Maria fouebat bonum ius in
meritis, dictaque ſententia iuſta viſa fuit, ideo per
nos fuit confirmata. Eſt enim veriſſima in iure cō
2 cluſio, quod iudex † appellationis poteſt ſenten-
tiam nullam ob talem defectum citationis, confir-
mare, reformare, corrigere, & emendare, & anul
lare, prout iuſtitia ſuadet. Ita tenent communi-
ter Doct. Bart. *in l. 1. C. quando prouocare non eſt ne-
ceſſe.* Bald. *in conſil. 298. num. 3. vol. 3.* veram, & cō
munem hanc dicit Alexand. *in conſil. 79. num. 23.
cum ſeq. vol. 2.* Rota Ianuen. *deciſ. 23. nu. 16.* Vant.
*in tit. quot, & quibus modis nullit. propo. poßit in iu-
dic.* Alex. *in conſil. 111. num. 2. vol. 5.* Cornazan. *de-
ciſ. 39. nu. 11. & deciſ. 194. num. 2.* qui teſtatur de
communi. Cephal. *in conſ. 223. num. 21.* Magon.
deciſ. Lucana 92. num. 33. Roland. *in conſil. 41. nu-
me. 40. vol. 1.*

Nec obſtat dum ex aduerſo dicebatur, Iudi-
3 cem appellationis, † non poſſe confirmare talem
ſententiam nullam, quando nullitas fuit principa-
liter intentata, vt notat Bart. *in l. cum quærebatur,
cum ibi not. ff. de re iudic. & in l. ſi ut proponis, nu. 6. C.
quomodo & quando iudic.* Bald. *in conſil. 492. col. fi-
nali, num. 7. vol. 3.* Alexan. *in conſil. 111. num. 4. ver-
ſic. quando eſſet non ſolum appellatum, vol. 5.* Et ſic
pluries per Rotam Romanam fuiſſe deciſum teſta
tur Granuc. *theorem. 17. num. 20. vol. 1.* Et quod
Iudex confirmans talem ſententiam facit iniuſti-
tiam, teſtatur Cæſar de Graſſis, *deciſ. 11. aliâs 104.
in tit. de ſentent. & re indic.* & idem *deciſ. 37. num. 8.
10. & 11. cum ſeq. in tit. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.*

Quia dicitur, non fuiſſe principaliter talem nul
4 litatem in hoc iudicio intentatam, quia tunc † di-
citur principaliter intentata nullitas, quando ſeor
ſum ab appellatione de nullitate dicitur; vel quan
do conditionaliter appellatur poſt nullitatem prin
cipaliter propoſitam, ſub illis verbis, & ſi qua eſt,
appello; vt declarat Vant. *in tit. quot & quib. mod.
nullit. &c. in princip. verſic. principaliter*, & in his
terminis loqui videtur Cabal. *in conſil. 151. nu. 11.*
& Granuc. *theorem. 17. nu. 21.* Couarru. *pract. quæſt.
cap. 24. num. 7.* Viuius, *Comm. opin. 551. ſub nume. 5.*
Contard. *in l. vnica limit. 7. num. 10. C. ſi de moment.
poſſeſſ.* Secus vero (prout in hoc caſu) quando prin
cipaliter fuit appellatum, & mediante appellatio-
nis remedio fuit petitum pronunciari ſententiam
nullam, & iniuſtam.

Et quatenus etiam eſſemus in caſu, in quo dici
5 poſſet † principaliter nullitatem fuiſſe intentatam,
attamen Iudex appellationis eodem inſtanti, quo
nullam declarat ſententiam, poteſt etiam eādem
confirmare. Felin. *in c. in litteris, num. 4. & ſeq. de
offic. & poteſt. iudic. delegati.* Alexand. *in conſil. 111.
num. 4. lib. 5.* plenè Corneus *in conſ. 324. num. 9. ver-
ſic. quinimmo etſi nullitas, lib. 1.* Granuc. *d. theorem.
17. num. 21. verſic. puto tamen*, & ante *num. 6.* Vant.
de nullit. in tit. quot. & quib. mod. etc. num. 111. Et ra
tio ea eſt: quia quando ſimul appellatur, & de nul-
litate dicitur, tunc appellatio deuoluit totam cau-
ſam ad ſuperiorem, qui poteſt primam ſententiam
reformare, ſupplere, & nullam, vel aliquam decla
rare, & confirmare, prout iuſtum fuerit, vt per ſta
tut. *lib. 1. cap. 23.* &c.

ARGVMENTVM.

Caducitas ob non ſolutum canonem
de re emphyteutica, quādo dicatur
incurſa, & quando non, & quando
præſumatur ſciētia, vel ignorantia.

SVMMARIVM.

1 *Filius præſumitur habere iuſtam cauſam ignorantiæ contractus emphyteuſis initi per eius patrem.*

2 *Dominus directus agens contra hæredem eo quia defecerit in ſolutione canonis, debet probare illum habere talis emphyteuſis ſcientiam.*

3 *Qui ſuccedit in ius alterius, ex iuſta ignorantiæ cauſa non incidit in moram, niſi fuerit eidem facta legitima notificatio.*

4 *Nec ſcientia ſuperueniens operatur reſpectu præteriti temporis.*

5 *Et iſta ſcientia debet eſſe certa, & non præſumptiua; quia vbi agitur de iuris alicuius priuatione, nō ſufficit præſumpta ſcientia, ſed certa requiritur.*

6 *Mora non incurritur quando creditor non adeſt debito tempore in loco vbi ſolutio erat deſtinata.*

7 *Quo caſu non requiritur aliqua proteſtatio.*

8 *Iura loquentia de purgatione moræ, intelliguntur vbi verè fuit incurſa.*

9 *Hæres ſoluens canonem domino directo, præſumitur habere ſcientiam contractus emphyteuſis initi a defuncto.*

10 *Depoſitum vim ſolutionis habet, & excuſat emphyteutam a caducitate.*

11 *Teſtes ſingulares de factis a ſe ipſis deponentes, plenè probant.*

DE-

DECISIO LVII.

FVit appellatum ad Rotam per D.
Stephanum Meconium, vti pro-
curatorem filiorum quondam Pe
tri Peregrini, de Coreglia, a ſen
tentia Illuſtris Dom. Iudicis Or-
dinarij, ad fauorem Ioan. Bapti-
ſtæ quondam Nicolai Silueſtri, & fuit pronuncia-
tum per Rotam, male iudicatum, & benè appel-
latum, & ſucceſſiuè declaratum, caducitatem pro
parte d. Ioan. Baptiſtæ Silueſtri intentatam non
fuiſſe incurſam.

Mota, quia viſum fuit iniuſtè proceſſum fuiſſe
ad prætenſam caducitatem per d. Ioan. Baptiſtam
contra prefatos fratres; cum enim ipſi non ſint pri
mi acquirentes, & fuerint ac ſint filij, ac ſui hære-
des Petri eorum patris primi acquirentis, non po-
tuit in eis aliqua conſiderari culpa, quoniam præ-
1 ſumitur eos iuſtam † habuiſſe ignorantiam contra-
ctus emphyteutici per eorum patrem initi, ideo
cadere non potuerunt. Socin. iun. *in conſil. 70. nu. 4. cum ſeq. lib. 1.* Affict. *deciſ. 240. nu. 1. verſic. dubium
faciebat*, Plot. *de in litem iuran. §. 4. nu. 71. verſ. 11.*
& Simon de Pret. *de interpret. vlt. volunt. lib. 5. dub.
2. ſol. 70. num. 198.* Clar. *in §. emphyteuſis, quæſt. 8.*
2 *verſic. proſequendo materiam.* Et dominus † directi
prætendens contra hæredem rem deuolutam ob
non ſolutum canonem, tenetur probare eius ſcien
tiam, cum ipſe hæres habeat præſumptionem pro
ſe, vt tenet Corbul. *de cauſ. priua. ob non ſolut. canon.
limit. 20. num. 9.* cum multis per eum allegat. Pe-
droch. *in conſ. 16. num. 103. & ſeq.* Quod in hoc ca
ſu non fuit probatum. Nec per intimationem li-
belli factam tempore litis motæ potuerunt emphy
teutæ prædicti moram incurrere reſpectu præteri
3 ti temporis; nam † qui ſuccedit in ius alterius, ex iu
ſta ignorantiæ cauſa non incidit in moram, niſi fa
cta eidem fuerit legitima notificatio. Burſat. *in con
ſil. 453. num. 26. verſic. primo quia, l. qui in alterius,
ff. de reg. iur.* Cephal. *in conſ. 24. num. 17. & 18.* Quod
4 non fuit factum in caſu iſto; † nec ſcientia ſuperue
niens operatur reſpectu præteriti temporis, nec
ex ea puniri aliquis poteſt. Crauet. *in conſil. 16. nu.
74.* Berous, qui teſtatur de communi, *in conſil. 88.
5 num. 33. lib. 1.* Et † quando agitur de pœna, & iuris
alicuius priuatione, (vt in hoc caſu) non ſufficit
ſcientia præſumpta, ſed certa requiritur. Ruin. *in
conſil. 66. nu. 18. lib. 3.* Cephal. *in conſil. 720. nu. 17.*
Rota in antiquis *deciſ. 21. de dolo, & contumac.* Caſ
ſador. *deciſ. 2. num. 4. de pœnis*, Creſcent. *deciſ. 193.*
de communi teſtatur Flamin. Pariſ. *de confident.
quæſt. 21. num. 78.*

6 Præterea, mora † incurri non potuit, ex quo cre
ditor non probauit debito tempore fuiſſe Coreliç,
& ſic in loco deſtinato tali ſolutioni. Plot. *in allega
to loco, nu. 67.* Ruin. *in conſil. 150. nu. 4. li. 1.* vbi ſub
7 dit hoc † caſu nō requiri proteſtationē debitoris.
& Magon. *deciſ. Luc. 78. nu. 3.* Hond. *in conſ. 36. nu.
12. & 27. lib. 2.* Immò, potius apparebat ex actis,
iſtum dominum directi habitare Lucę, quo non te
nebantur dd. fratres adire ad moram purgandam,
quam non incurrerant, *l. eius qui, ff. ſi cer. pet.* Et
8 qui † loquuntur de purgatione moræ, id intelli-
gunt quando commiſſa fuit, vt per Doctores, *in
l. ſi quis maior, C. de tranſact.*

Nec obſtare viſum fuit, dum ex aduerſo dicteba
tur per duos teſtes examinatos per dictos fratres
emphyteutas, probari talem ſcientiam, cum per
eos videatur atteſtari, quod affictum ſoluerunt d.
9 Ioan. Baptiſtæ per duas vices: quia per † ſolutio-
nem canonis præſumitur ſcientia in hærede. Cor-
bul. *de cauſ. priu. ob non ſol. canon. nu. 17. cū ibi alleg.*

Nam dicitur, quod prædicti teſtes loquuntur
de affictibus, non autem de canone emphyteutico,
de quo nunc agitur. Et quatenus etiam loqueren-
tur de canone, ex ſolutione canonis reſultat tan-
tummodo præſumptio ſcientiæ cōtractus emphy-
teutici. At quando tractatur de pœna concernen
te priuationem iurium, & bonorum alicuius, non
ſufficit ſcientia præſumpta ad priuationem huiu-
ſcemodi inducendam, ſed requiritur certa, & in-
dubitata ſcientia, vt ſupra dictum fuit.

Accedat etiam, quod per depoſita facta ante-
quam caducitas fuerit intentata, dicitur facta ſolu
10 tio canonis, cum † depoſitum vim habeat ſolu-
tionis, & a caducitate excuſationem præſtet, prout
in terminis tradit Barzius *deciſ. 50. num. 37. verſic.
demum.* Et per teſtes examinatos videtur etiam ſa-
tis conſtare de alijs duabus ſolutionibus præceden
11 tibus dicta depoſita. Qui teſtes, licet † ſint ſingu-
lares, cum tamen de eorum facto deponant, eis
ſtandum eſſe, late probat idem Barzius *in d. deciſ.
50. nu. 3. & 4. cum ſeq.* Ex quibus viſum fuit caduci
tatem prædictā non fuiſſe incurſam, ſed teneri dd.
fratres ad ſolutionem canonum non ſolutorū, &c.

ARGVMENTVM.

Ad petendam reſtitutionem in integrum aduerſus lapſum fatalium, quæ requirantur.

SVMMARIVM.

1 *Reſtitutio in integrum non conceditur, niſi conſtet de læſione.*
2 *Læſio ex ſolo lapſu fatalium non probatur.*
3 *Sententia habet pro ſe præſumptionem, quòd rectè, ac ritè fuerit lata.*
4 *Vt ritè concedatur reſtitutio in integrum, requiritur plena cauſæ cognitio.*
5 *Item requiritur noua inſtantia, libellus, & alia.*
6 *Ad petendam reſtitutionem in integrum requiritur ſpeciale mandatum.*

DECISIO LVIII.

IN cauſa inter D. Laurentiam quondam
Baptiſtæ de Medicina, ex vna, & Vincen
centium, & fratres quondam Iuliani de
eodem loco, parte ex altera, occaſione pronun-
ciæ

ciæ Rotæ quod inſtantia eſſet perempta, & reſtitutionis in integrum petitæ per d. Laurẽtiam, fuit per Rotam pronunciatum, quoad peremptionem inſtantiæ fore perſiſtendum in decretis. Quo verò ad reſtitutionem in integrum, eſſe reſeruandam ius illam petendi tale quale in alio iudicio.

Et hoc, quia quoad lapſum inſtantiæ ex calculo dierum vtiliũ, clarè apparebat de ipſius peremptione. Quo verò ad reſtitutionem in integrum, viſum fuit non poſſe per Rotam concedi.

1 Primò, quia † reſtitutio in integrum non conceditur, niſi fuerit oſtenſum de læſione, *l. minoribus, C. de reſtit. in integr.* Cephal. *in conſil. 348. num. 17.* Oddus *de reſtit. in integr. part. 1. quæſt. 36. art. 2. nu-*
2 *me. 10.* Quæ † læſio ex ſolo lapſu fatalium non probatur, vt eſt communis Doctor. ſententia, *in l. nam & poſtea, §. minor, ff. de iureiur. l. minoribus, C. de in integr. reſt.* Gratus *in conſil. 119. nume. 41.* Dec. *in conſil. 436.* & Pariſ. *in conſil. 30. vol. 4.* & alij quos allegat, & ſequitur Lepidus, *deciſ. Lucana 108. in princip.* At in caſu iſto cum non fuerit oſtenſum adeſſe læſionem aliquam, immò ſtãte ſententia ad
3 fauorem aduerſariorum, quæ † habet præſumptionem, quod foueat ius, *l. Herennius, §. cauſis, de action.* Lepidus *d. deciſ. 108.* meritò fuit denegata talis reſtitutio.

Secundò, non videbatur concedenda petita reſtitutio in integrum, quia in tali iudicio reſtitutionis, quæ principaliter poſt latam ſententiam fuerat petita, requiritur libellus, litis conteſtatio, &
4 alia neceſſaria in iudicijs. Ratio eſt: quia † requiritur cauſæ plena cognitio, vt per Oddum, *de reſtit. in integr. quæſt. 34. art. 5. & 6. & quæſt. 35. art. 1.* Quod cum non fuerit in hac petitione ſeruatum, vtique non poterat talis reſtitutio concedi.

5 Requiritur † etiam in huiuſcemodi iudicio noua inſtantia, Oddus *de reſtit. quæſt. 34. art. 3. num. 13.* & late Magon. *deciſ. Lucana 67. num. 11.* quæ non poteſt formari per Iudices appellationis ad eorum libitum, ſicuti eſſet faciendum, ſi tale iudiciũ hoc modo intentatum admitteretur, quia eſſet contra diſpoſitionem cap. Rotæ 29. 31. & 52. in quibus eſt præfixa iudicibus certa inſtantia in omnibus appellationibus, & recurſibus, a quibus capitulis non poſſunt recedere.

6 Accedat, quia † ad petendam reſtitutionem in integrum, requiritur ſpeciale mandatum, Magonus *deciſ. Lucana 67. nu. 10.* qui teſtatur de communi opinione. At in mandato procuratoris qui eam petebat, non legitur talis Clauſula, meritò, &c.

ARGVMENTVM.

Tutor etiamſi ſit reus, tenetur edere libros rationum.

Confeſſio per errorem emiſſa, an poſſit reuocari, & quando.

SVMMARIVM.

1 *Materia editionis tota ſuper æquitate verſatur.*

2 *Vbi agitur cum tutore, vel alio, qui rationem reddere tenetur, etiamſi ſit reus, debet libros, & quaſcumque ſcripturas edere, quæ tangunt intereſſe illius, cui eſt reddenda ratio.*

3 *Qui tenetur reſpondere capitulis, & eis intra terminum a iudice aſſignatum non reſponderit, habetur pro contumace, & capitula habentur pro confeſſatis vel denegatis, ad commodum aduerſarij.*

4 *Iudex poſt concluſum in cauſa poteſt interrogare.*

5 *Verba (quaſcũque interrogationes) omnes interrogationes comprehendunt.*

6 *Confeſſio erronea reuocari poteſt.*

7 *Confeſſio tamquam emiſſa per errorem, non poteſt reuocari, quando per partem fuit acceptata in vim irreuocabilis confeſſionis.*

8 *Confeſſio falſa, & erronea non nocet, dummodo probetur veritatem eſſe in contrarium.*

9 *Principalis in iudicio comparens ſine Clauſula, citra, &c. cenſetur mandatum procuratori factum reuocaſſe.*

10 *Fallit tamen quando principalis comparuiſſet alia vice poſt primam illam comparitionem, cum Clauſula, Citrà, &c. quia tunc mandatum ſui procuratoris non cenſetur reuocatum.*

DECISIO LIX.

IN cauſa recurſus interpoſiti per Mag. Do. Iacobum Bondaccam, vti procuratorem Spect. Petri de Maſſeis a ſententia Illuſt. D. Iudicis primarum inſtantiarum, ad fauorem Spect. Hieronymi, ac Laurentij de Maſſeis reformando ſententiam D. Iudicis a quo, fuit per nos pronunciatum d. Spect. Petrum Maſſeium teneri ad præſtandam patientiã, quod Spect. Hieronymus Maſſeius ſeu Magn. in cauſa procurator, poſſit videre librum de quo agebatur in partibus etiam concernentibus negotiũ quod olim vigebat Pariſijs, & quod cantabat ſub nomine Alexandri, & Benedicti Maſſei, & ex eo partitas extrahi, collationari, & authenticari facere in forma. Necnon declarauimus eumdem Spect. Petrum, ſeu eius in cauſa D. procuratorem teneri reſpondere interrogatorijs ex aduerſo productis ad primam diem iuris, aliàs pro confeſſis vel negatis habeantur, ad commodum partis aduerſę. Quo verò ad librum petitum per dd. Spect. Hieronymum, ac Laurentium, ſimiliter pronunciauimus eumdem Spect. Petrum teneri ad effectualiter producendum, ac relaxandum in manibus Actuarij cauſę dictum librum, reſeruato tamen iure dicto Petro docendi de errore ſuæ confeſſionis.

1 Moti, quia cum † editionis materia tota verſetur ſuper æquitate, Bald. *in l. 1. num. 4. & 10. ff. de edendo.* Magon. *deciſ. Lucana 5. num. 6.* Menoch. *de arbitr. indic. caſu 175. num. 5.* Et vbi tractatur

cum

2 cum † tutore vel alio, qui rationem reddere tene
tur, etiamſi reus ſit, debet cogi edere librum, &
rationes quæ quoquo modo tangant intereſſe il-
lius, cui eſt reddenda ratio. Berous *in conſil.* 181.
num. 35. *lib.* 1. & alij, quos allegat, & ſequitur Me
noch. *in conſil.* 275. *num.* 17. Vnde cum in præſenti
cauſa doctum fuerit per d. Hieronymum, de eius
intereſſe, ex libro producto in iudicio, in quo appa
reret Sp. Aitantem Maſſeium patrem, d. Sp. Hie-
ronymi, habere participationes, & miſſas in ne-
gotijs ſocietatis olim Pariſijs vigentis, & cantan-
tis ſub nominibus Alexandri, & Benedicti Maſ-
ſei, merito fuit per Rotam declaratum, d. Spect.
Petrum, teneri ad præſtandam patientiam, quod
talis liber poſſit videri per d. Spect. Hieronymum
in partibus concernentibus eius intereſſe, reſpectu
participationis, & miſſarum, ſicuti in omnibus a-
lijs partibus quæ quoquo modo tangere poſſunt
ſtatum prædictæ negotiationis Spect. Alexandri,
ac Benedicti Maſſei, ad text. *in l. argentarius, §. edi,*
ff. de edendo.

Quo verò ad ſecundum caput ſententiæ, in
quo declarauimus dictum Spect. Petrum, ſeu eius
Procuratorem, teneri ad reſpondendum interro-
gatorijs pro parte d. Spect. Hieronymi productis,
ita erat pronunciandum, propter claram ſtatuti
diſpoſitionem de qua in libro primo cap. 22. circa
finem, vbi talia verba habentur, nempe, [In pro-
ceſſu verò cauſæ, poſſit Iudex vbicumque ſibi vi-
debitur, & prout æquitas ipſum mouerit, tam ex
officio, quam ad petitionem partis, & tam ante li-
tem conteſtatam, quam poſt, & vſque ad ſenten-
tiam in quacumque parte iudicij, interrogare tam
actorem, quam reum, & quaſcumque interroga-
3 tiones facere, prout ſibi videbitur, & ſi † interro-
gatus in termino ſibi aſſignato per Iudicem non
reſponderit, contumax reputetur, & pro confeſ-
ſo, vel negato habeatur, prout cedet ad com-
modum partis aduerſæ.] Quod etiam eſt conſo-
num diſpoſitioni iuris communis, vt eſt text. *in l.*
vbicumque, ff. de interrog. action. per quam dictionē,
4 (vbicumque) volunt Doctor. quod † etiam poſt
concluſum in cauſa, Iudex poſſit interrogare, vt
dicit Natta *in conſil.* 56. *in princip.* & adeſt text. *in*
cap. cum Ioannes, in fine, de fide inſtrum. Et ſtatutum
vtitur verbis vniuerſalibus geminatis (quaſcum-
5 que † interrogationes) quæ omnes interrogationes
includunt. Gloſ. iuncto textu, *in l.* 2. *in verbo, quas*
libet, C. de quadrien. præſcript. & *in l. cum pœna, ff. de*
recept. arbitr. Barzius *deciſ.* 116. *nu.* 10.

Fuit etiam in ſententia noſtra dictum, Spect. Pe
trū, ſeu eius in cauſa procuratorem, &c. ad hoc vt
conſtaret poſſe d. Spect. Petrum etiam per Procu-
ratorem reſpondere dd. interrogatorijs, ad tollen-
dam difficultatem, quæ videbatur oriri a ſententia
D. Iudicis a quo, dum mandauit citari dictum Sp.
Petrum ad perſonaliter comparendum, cum hoc
videretur dicto Spect. Petro licere, per *cap.* 49.
lib. 1. *Statu.*

Quo verò ad librum petitum in ſecunda peti-
tione vltimæ cedulæ per D. Alexandrum Barbe-
rium dicto nomine, condemnauimus d. Petrum ad
illum effectualiter exhibendum, eo quia, cum ſit
liber communis Spect. Petri, & Spect. Aitantis, in
ipſoque contineantur multa reſpicientia intereſſe
d. Spect. Hieronymi, & ex capitulis & reſponſio-
nibus eis factis per d. Petrum, patebat, vtique erat
cogendus d. Petrus ad talem exhibitionem facien-
dam, ad text. *in l. argentarius, §. edi, ff. de edend.* cū
ibi notatis paſſim per Doct. cum talem librum re-
manſiſſe penes d. Spect. Petrum appareret ex eius
confeſſione, vt in quinto capitulo d. Hieronymi,
ac Laurentij. Et licet per d. Petrum eadem die fue
rit reuocata talis confeſſio tamquam per errorem
facta, & cum iuramento declarauerit d. librum pe
nes eum non remanſiſſe, ſed penes d. Aitantem, vt
in proceſſu &c. & ſic videretur potuiſſe eius con-
6 feſſionem † tamquam erroneam reuocare, *l. error,*
C. de iuris & facti ignoran. Gabr. *Comm. opin. tit. de*
confeſſ. concluſ. 5. *in fine.* Menoch. *conſil.* 191. *nu.* 60.
Decian. *Reſponſo* 10. *num.* 81. *lib.* 3. Huiuſmodi ta
men reuocationem non fore attendendam duxi-
7 mus; cum enim † prima confeſſio medio iuramen
to facta per Spect. Petrum fuerit in vim irreuoca-
bilis confeſſionis acceptata per d. D. Alexandrum
procuratorem, non erat attendenda talis reuoca-
tio, niſi docto de errore. Dec. *in c. cum cauſam, nu-*
me. 5. *de appellat.* Alexan. *in conſil.* 90. *num.* 1. *lib.* 1.
alios citat Gabr. *in tit. de confeſſ. concluſ.* 6. *num.* 12.
& Apoſtillator ad Magon. *deciſ. Lucana* 17. *in litte*
ra A. & ex multis alijs, quos allegat, & ſequitur
Maſcard. *Concluſ.* 378. *nume.* 5. *in fine.* Et in hoc
caſu non fuit probatus talis error, tantummo-
do enim Spectab. Petrus corrigendo, & emen-
dando, ſeu declarando eius priores reſponſiones,
medio iuramento dixit d. librum penes ſe non ex-
ſtare, ſed remanſiſſe penes Spect. Aitantem, per
quam reſponſionem licet iuratam, non tolli prio-
rem reſpoſionem etiam iuratam, ſed debere plenè
de errore conſtare, viſum fuit, quia tali iuramen-
to non videtur ſtandum, cum pars habeat ſuam
intentionem fundatam ſuper primam confeſſionē
iuratam, vt in ſimili dicit Crauet. *in conſil.* 255. *nu*
8 *me.* 5. *verſ. tamen in caſu iſto.* Et quia † confeſſio fal-
ſa, & erronea non nocet, dummodo probetur ve-
ritatem eſſe in contrarium, Maſcard. *Conclu.* 384.
num. 1. & *concluſ.* 643. *num.* 8. Pariſ. *in conſ.* 97. *nu.*
81. *lib.* 1. Menoch. *in conſil.* 658. *num.* 6. Alexand.
in conſil. 90. *num.* 1. *lib.* 1. Natta *in conſil.* 558. *nu.* 2.
verſ. ſed error confitentis. Quod in caſu iſto nullibi
apparebat, & ideo fuerunt in ſententia noſtra ap-
poſita verba illa (reſeruato tamē iure, &c.) ad hoc,
vt eſſent d. Spect. Petro reſeruata iura talia, qualia,
docendi melius de tali errore.

Nec obſtat dum dicebatur acceptationem per
procuratorem factam, non poſſe haberi in aliqua
9 conſideratione, quia cum Spect. Hieronymus † cō
paruerit abſque Clauſula, Citra, &c. mandatum
ipſi a Spect. Hieronymo factum antea videtur re-
uocatum Bart. *in l. qui mutuam, §. non ideo, ff. man-*
dati. Bald. *in l. fideicommiſſa, §. ſi rem, circa finem,*
ff. de legat. 3. Vant. *de nullit. ex defectu mandati,*
nume. 167.

Quia dicitur, quod idem Hieronymus ſub die
5. No-

5.Nouembris cõparuit, non vtens d.Clauſula, ſed altera eius ſed comparitio ſub die 3.Nouembris facta fuit cum d.Clauſula, Citra, &c. & ſic vnica vice tantum videtur comparuiſſe ſine tali Clauſula, quo caſu cum † poſtmodum idem Hieronymus eadem die, & in exequutione pronunciæ eo inſtante factæ per D. Iudicem, comparuerit cum Clauſula, Citra, &c. non dicitur facta reuocatio procuratoris, vt in terminis tradit Menoch. *de præſumpt. lib.2. præſumpt.36. num. 9. & 10. vbi concordantes allegat, &c.*

ARGVMENTVM.

Emphyteuta non dicitur cecidiſſe a iure ſuo, niſi Domino volente, ac declarante.

SVMMARIVM.

1 *Emphyteuta alienans irrequiſito domino, amittit emphyteuſim, & vtile dominium cum proprietate conſolidatur.*

2 *Emphyteuta autem ob alienationem non cadit, niſi domino volente, & declarante.*

3 *Scientia filij, & nepotis, arguit ſcientiam patris, aui, & aliorum maiorum.*

4 *Emphyteuta numquam cadit antequam fuerit facta declaratio caducitatis, dummodo talis declaratio fieri potuerit.*

5 *Hæres non poteſt declarare voluntatem teſtatoris defuncti.*

DECISIO LX.

EVit interpoſita appellatio ad Rotã per D. Iacobum Donatum, vti procuratorem nonnullorũ de Caſalibus, a ſententia Ill. D. Iudicis primarum inſtãtiarum, lata ad fauorem nonnullorum de Munſonibus. Et fuit pronunciatum per nos, Bene appellatum, & male iudicatum.

Moti, quia cum per dictos de Munſonibus actũ eſſet in hoc iudicio per rei vendicationem, ad conſequutionem nonnullorum bonorum, de quibus in eorum petitione contra dictos de Caſalibus, & vigore inſtrumenti acquiſitionis factæ de dictis bonis per quondam Peregrinum de Munſonibus, & idem Peregrinus eadem bona conceſſerit cuidam Saluatori, a quo dd. de Munſonibus dicta bona acquiſiuerant. Cumque prædictus Saluator iura dicti liuelli vendiderit Benedicto Caſali, vni ex reis conuentis, vtique viſum fuit per ſupradictos de Munſonibus non potuiſſe agi contra dictos de Caſalibus, prout actum fuerat, quia in primis erat declarandum dd. bona cecidiſſe in commiſſum, & effecta fuiſſe caduca, & per conſequens inſtrumenta dd. liuellorum non poſſe in aliquo opitulari reis conuentis, quibus vigore dd. inſtrumentorum erat acquiſitum vtile dominium dd. bonorum. Vnde cum vtile dominium eſſet penes ipſos, ſequitur actores non habere ius quoad illud, & per conſequens non potuiſſe agere rei vendicatione, ad tradita per Borgnin. *deciſ. 23. in fine, in 2. parte, de contract.* Corbul. *de cauſ. priuat. ob alienat. irreq. domino, quæſt. 7. in fine.*

Nec obſtat dum dicebatur ex aduerſo, quod
cum d. Saluator alienauerit iura prædicti liuelli ir-
requiſito domino directi, in Benedictum Caſaliũ,
& ſic contra pactum expreſſum in inſtrumento ap
1 poſitum, ſequitur, quod † tam vigore pacti, quam
ex diſpoſitione iuris communis, dicitur cecidiſſe
ab omni iure liuelli. latè per Corbul. *de cauſ. priuat.*
per alien. irrequiſito domino, per text. *in l. finali, C. de*
iure emphyt. Iaſ. *in l. 2. quæſt. 20. C. eod.* Rolan. *in*
conſil. 51. num. 1. vol. 3. Et propterea non poſſe di-
ctos de Caſalibus ſe fundare ſuper tali acquiſitione
per d. Saluatorem facta.

2 Quia dicitur, per † alienationem factam ab em
phyteuta irrequiſito domino, non cadere ipſum
emphyteutam a iure ſuo, niſi domino directi vo-
lente, ac declarante, *l. 2. vbi Doct. C. de iure emphyt.*
in Auth. de non alien. in §. ſcire autem. Alexand. *in*
conſil. 113. num. 3. lib. 4. Barzius *deciſ. 50.* Corbul.
de cauſis priuat. ob alien. limit. 40. in princ. Berous *in*
conſil. 116. num. 12. lib. 1. Cephal. *in conſil. 222. nu. 2.*
Riminald. *in conſil. 249. num. 49.* Quod cum nulli-
bi declaratum fuerit, non poteſt dici fuiſſe reſolu-
tum d. inſtrumentum liuelli, nec poſſe ſuffragari
dictis de Caſalibus.

Nec obſtare etiam videtur, quod cum dd. de Munſionibus prætenderent nũquam habuiſſe notitiam de dicto inſtrumento alienationis, niſi a mẽſe, vel paulo ante citra, propterea non potuiſſe declarare talem caducitatem, quam ignorabant.

Quia dicitur, ſatis fuiſſe probatam hanc ſcien
tiam ex receptionibus canonum per plures annos,
nempè, tredecim factis per dd. actores, videlicet
Iulium & Franciſcum, qui cum ſint filius & ne-
3 pos ipſius concedentis, ex eorum † ſcientia argui-
tur etiam ſcientia in eorum maioribus, *l. octaui, ff.*
Vnde cognati, l. de tutela, C. de in integr. reſtit. minor.
l. filium, C. de liberali cauſa.

4 Accedat, quia cum † nec etiam poſt habitam
ſcientiam talis alienationis, fuerit facta talis decla
ratio caducitatis, ſemper videtur concluſio prædi
cta procedere, quod non facta declaratione caduci
tatis, numquam emphyteuta dicatur cecidiſſe a
iure liuelli, & hoc quatenus fieri potuiſſet talis de-
claratio, ad tradita per Ruin. *in conſil. 10. num. 4.*
& in conſil. 35. num. 28. lib. 1. Caſſador. *deciſ. 3. de*
locat. Cacheran. *deciſ. Pedemont. 132. num. 6.* Et ra-
5 tio eſt: quia † hæres non poteſt declarare volunta
tem teſtatoris defuncti. Tiraquel. *in l. ſi umquam,*
in verbo, reuertatur, num. 302. C. de reuocand. donat.
Becc. *in conſil. 70. num. 10.* Surd. *deciſ. 66. num. 19.*
Propterea fuerunt eiſdem de Munſonibus reſer-
uata iura in alio iudicio, &c.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Tutor qui ſemel reddidit rationem ſuæ adminiſtrationis, non tenetur amplius reddere.
Solutio ex quibus facta præſumatur.

SVMMARIVM.

1 *Ratio ſemel reddita, amplius reddi non debet.*
2 *Tutor ſemel liberatus a redditione rationis adminiſtratæ tutelæ, non poteſt amplius moleſtari ab hæredibus illius qui eum liberauit.*
3 *Liberatio facta cum iuramento, non poteſt amplius retractari, & actor à limine iudicij eſt repellendus.*
4 *Ratificatio liberationis redditæ rationis facta per minorem maiorem effectum, operatur quod ſi talis liberatio nulla fuiſſet, confirmetur & valeat.*
5 *Nemo auditur veniens contra factum proprium.*
6 *Hæres debet factum defuncti obſeruare.*
7 *Dictio, (non) adiecta verbo, poſſit, tollit, omnem potentiam.*
8 *Minor maior factus liberans per tranſactionem ſuũ tutorem non poteſt audiri, niſi actione de dolo.*
9 *Actio de dolo iure communi tollitur ſpatio duorum annorum.*
10 *Bona quæ reperiuntur apud hæredem, præſumuntur fuiſſe apud defunctum.*
11 *Liberatio facta tutori, non extenditur ad ea, quæ ab ipſo pupillo vendicari poſſunt, & num. 13.*
12 *Redditio rationis non dicitur per liberationem remiſſa quoad bona, quæ tutor occultauit, & penes ſe retinuit.*
14 *Solutio crediti antiqui probatur ex coniecturis.*
15 *Solutio ex antiquitate temporis præſumitur.*
16 *Liber defuncti facit plenam probationem.*
17 *Liber qui habet partitas verificatas in vna parte, præſumuntur omnes aliæ veræ.*
18 *Argumentum a veriſimili multum operatur in iure.*
19 *Veriſimilitudo operatur, vt libris etiam priuatis credatur.*
20 *Solutio ex veriſimili præſumitur facta.*
21 *Quietationes cum verbis generaliſſimis comprehendunt quæcumque credita inter debitorem, & creditorem, etiam ignota, & incogitata.*
22 *Et hoc maximè, quando ſaltem in genere de eis cogitari potuerit.*
23 *Contrahentes autem de credito in genere cogitaſſe creditur, quando in quietantijs vſi ſunt verbis generalibus.*
24 *Scientia crediti arguit quod contrahentes de eo cogitauerint. &*
25 *Scientia probatur, quando penes aliquem reperitur inſtrumentum crediti, & illud in iudicium produxit.*
26 *Vbi eſt inſtrumenti caſus, ceſſat omnis diſputatio.*

DECISIO LXI.

APpellatum fuit ad Rotam per Magnif. D. Stephanum Meconium, vti procuratorem DD. de Baronis ac Lucheſijs, a ſententia D. Auditoris primarum inſtantiarũ, lata ad fauorem Spectab. Thomæ Antognoli. Et fuit pronunciatum per nos, bene appellatum, & malè iudicatum.

Moti, quia cum in tali iudicio d. Spect. Thomas ageret contra dictos Baronos ac Lucheſios, ad hoc vt ipſi redderent rationem adminiſtrationis tutelæ Chriſtophori Bernardinij per quondam Spect. Guglielmum Antognolum geſtæ, ex quo ſupradicti Baroni, ac Lucheſij erant hæredes Franciſci Antognoli filij d. quondam Guglielmi, videlicet dd. Baroni in proprietate cum cautela & beneficio inuentarij, & dicti Lucheſij in vſufructu. Viſum fuit petita per d. Thomam non poſſe de iure concedi ex pluribus.

Primò, quia ſatis trita eſt in iure illa Concluſio,
1 quod † ratio ſemel reddita, amplius reddi non debet, *l. ſemel, C. de apoch. publ. lib.* 10. Doctor. *in c.* 1. *de cler. ægrot. lib. 6. l. quamuis, vbi Bar. ff. de condit. & demonſtr.* Socin. *in conſil. 92. in princ. vol.* 4. Gratian. *deciſ. March.* 180. *num.* 17. Natta *in conſil.* 40. *nu.* 1. *cum ſeq.* Menoch. *de arbitr. iudic. lib. 2. caſu* 219. *centur. 3. num.* 37. Decian. *Reſponſo* 43. *num.* 15. *vol.* 4. Atcum in caſu iſto ex inſtrumento appareat, quod D. Clara Barona, vti tutrix Franciſci de Antognolis eius filij, reddiderit rationem tutelæ Chriſtophori Bernardinij adminiſtratæ per Guglielmum eius virum, & patrem d. Franciſci, merito non videbatur amplius peti poſſe talis redditio rationis.

Secundò, quia d. Chriſtophorus cum conſenſu d. Thomę ſui tutoris, liberauit d. Franciſcum authorem dd. Baronorum, ac Lucheſiorum a tali redditione rationis adminiſtratæ tutelæ, vt ex inſtrumento exhibito apparet. Vnde non poterat modo Spect. Thomas petere quod de nouo redde-
2 ret rationem; quia cum † ſemel d. Franciſcus fuerit liberatus, non poterant ſui hæredes hac de cauſa amplius moleſtari, vt in puncto tradunt Ceph. *in conſil.* 192. *nu.* 12. & 13. Decian. *d. Reſponſo* 43. *nu. 8. verſ. tertio facit.* Dec. *conſil.* 94. *nu.* 4. Gratian. *d. deciſ.* 180. *num.* 183.

Tertiò, quia prædicta liberatio vltra quod fuit facta per verba valde ampla, generalia, atque præ-
3 gnantia, † fuit etiam iuramento firmata, promittendo partes cum iuramento, talem liberationem obſeruare, quod iuramẽtum operatur, vt talis liberatio nulla ratione in dubium reuocari poſſit, & actor a limine iudicij repelli debeat. Gloſ. *in l. 3. §. 1. in verbo, liberationem, ff. de contr. ac inutil. action. tutel.* plenè Cephal. *d. conſil.* 192. *num.* 17. Menoch. *in conſil.* 22. *num.* 18. & 19. *vol.* 1. Pariſ. *in conſil.* 96. *nume.* 83. & 84. *par.* 1.

Quartò, quia d. Chriſtophorus factus maior ratificauit, & approbauit expreſsè d. quietationem, & liberationem, vt ex inſtrumẽto exhibito patet.

4 Quæ † ratificatio operatur, quod licet prima quię
tatio nulla fuiſſet, tamẽ reddderetur valida per prę
dictam ratificationem ſubſequutam, vt per Me-
noch. *de arbitr.iudic.caſu* 209.*nu*.37.*Centur*.3.*lib*.
2. Et Decian. *d.Reſponſo* 43. *num*.9. Et ſicuti non
poterat d.Chriſtophorus tali contractui contraue-
5 nire; cum † nemini liceat contra factum propriũ
venire. Cabal. *in conſil*. 166.*num*.20. ita Spect. Tho
mas illi contrauenire minimè poterat, cum ſit hæ-
6 res ipſius: quia † hæres factum defuncti obſeruarę
debet, *l.cum a matre, C.de rei vendic.l.ex qua perſo-
na*, vbi Dec. & Cagnol. *de regul.iur*. Ruin. *in conſil*.
30.*num*.10.

Quintò, quia quinquennium datum a Statuto *in cap*.56.*li*.2. intra quod tutores compelli poſſunt ad reddendam rationem tutelæ, iamdiu erat elapſum, per cuius lapſum intelliguntur tutores plenariè liberati, ita, quod poſtea nequeant moleſtari tali occaſione, vt ad litteram diſponitur in d.ſtatuto, in quo ſunt conſideranda illa verba (non poſ-
7 ſit Iudex) ea enim negatiua † præpoſita verbo, po
teſt, adimit, atque tollit omnem potentiam, & authoritatem Iudici compellendi tutores ad ratio nem reddendam poſt tempus in ſtatuto determinatum, vt poſt multos relatos tradit Surdus *in conſil*.364.*num*.14.*lib*.3.

Sexto, habemus text. *in l.actione, cum l.ſeq. C.de
8 tranſact*. vbi habetur, quod quando † minor factus
maior, per viam tranſactionis, liberat tutorem a redditione rationis, nullam aliam exceptionem ad uerſus talem tranſactionem opponere poteſt, niſi de dolo intra legitima tempora, qui dolus cum nõ fuerit probatus intra biennium, intra quod datur
9 talis probatio, quia † actio de dolo tollitur de iure
communi ſpacio duorum annorum, Iaſ. *in l.cum mota, num*.26.*C.de tranſact*. iuxta text. *in l.fin. C.de dolo*. Cephal. *in conſil*.192.*nu*.22.*lib*.2. Immò, cum nec etiam hactenus probatus fuerit talis dolus, męrito non erat amplius audiendus d.Thomas in hac ſua petitione. Et per ſtatutum *in d. cap*. 56. *lib*.2. *verſic.illud in prædictis*, videtur permiſſa per quinquennium talis exceptio, quo elapſo, prout in hoc caſu per multos annos iam erat elapſum, non poterat audiri allegans dolum.

Nec obſtare viſa ſunt ea, quæ in contrarium deducebantur, nempè, quod cum hic apparere videretur de enormiſſima læſione, excedente dimidiã, & de errore ac dolo reſultantibus ex huiuſmodi lęſione, non videantur vllo modo procedere adducta in contrarium ex doctiſſimè deductis per Do, Aduocatos cauſæ,

Quia omiſſis reſponſionibus validiſſimis, quæ a ſingulis afferebantur, ſatisfactum fuiſſe & ipſis, & parti ſufficienter arbitrati ſumus per reſeruatio nem in ſententia noſtra appoſitam ad fauorem d. Spect. Thomæ conſequendi ab hæredibus d. Guglielmi omnia bona, ſeu eorum valorem, de quibus in inuentario, deductis deducendis, &c. Nã bo
10 na, † quæ peruenerunt ad manus dicti Guglielmi,
erat præſumendum, quod fuerint etiam apud eius prædeceſſores, vt firmat Anchar. *in conſil*.330.*nume*.10. Socin. *in conſil*. 159. *num*.19. *verſic. & dicit Paulus, lib*.4. Et proinde ab eo vendicari poterant, iuxta tradita per Surdum *in conſil*.296.*num*.23. & *deciſ*. 184. *per totam*. Et liberatio quoad talia bona d.Chriſtophori non videatur aliquid operari, cum
11 regulariter † liberatio tutori facta, non extenda-
tur ad ea, quæ ab eo vendicari poſſunt, vt probat text. *in l.Aurelius, §.Mæuia, & ibi notatur, ff.de liber.legat*. Surdus *in conſil*. 112.*nu*.96. Gabr. *in conſil*.146.*num*.20.*lib*.1. Craſſus *de ſucceſſ.§.legatum, quæſt*.40. *num*.4. Menoch. *de præſumpt. lib*.4.*præ-
12 ſumpt*.164.*num*.12. & *ſeq*. Et † redditio rationis
non dicitur per liberationem remiſſa quoad bona quæ tutor occultauit, & penes ſe retinuit de bonis pupilli. Socin. *in conſil*.159.*num*.19. & *conſil*.190. *num*.5. & *conſil*.92.*num*.19.*lib*.4. Iaſ. *in conſil*.219. *col*.3.*verſ.ſecundo reſpondetur, lib*.2. Anchar. *in conſil*.330.*num*.13. Roland. *in conſil*.49.*nu*.58. & *ſeq. lib*.1. Maſcard. *de probat.concluſ*.1252.*num*.8. *cum ſeq*. & *num*.19. Dec. *in conſil*.110. *in fine*, & *conſil*. 349.*num*.11. Couaruu. *var.reſol.lib*.2.*cap*.14.*nu*.1.
13 Et regulariter (vt dictum eſt) generalis † liberatio
non extenditur ad ea, quæ vendicari poſſunt. Bart. *in l.non ſolum, §.finali, de liber.legata*, Iaſ. *in d.conſil*. 219. *circa finem*. Surd. *deciſ*. 174. *nume*.2. Alex. *in conſil*.46.*nume*.4.*lib*.1. Maſcard. *vbi ſupra, num*.7. Honded. *in conſil*.82.*num*.53.*lib*.1.

Quo verò ad ſecundum caput, ſcutor. 250 petitorum per d.Spect. Thomam, fuerunt dd. Barones ac Lucheſij abſoluti a petitis, ex pluribus.

Primò, quia cum ageretur de debito valde anti
14 quo & creato vſque de anno 1565. ſatisfactio † &
ſolutio ipſius probatur nedum ex veris probationibus, ſed etiam ex præſumptionibus, adminiculis, & coniecturis. Surdus *deciſ*.105.*num*.10. Menoch. *præſump*.135.*num*.2.*lib*.3. Maſcard. *concluſ*.418. *num*.26.*vol*.3. Cum ergo Spect. Thomas per ſpatium quadraginta annorum iſtud creditum non
15 petierit, ex tanti † temporis lapſu, & taciturnita
te arguitur etiam ſatisfactio, & ſolutio, atque etiã probatur, Pariſ. *in conſil*.137. *num*.12. *lib*.4. Menoch. *præſumptio*.135.*num*.2. & *ſeq*. & latius *in conſil*.457.*num*.1.*lib*.5. Maſcard. *concluſ*.1318.*nu*.27. *vol*.3. Surdus *deciſ*.105.*nu*.4. maximè, cum d.Thomas eſſet perſona accurata, & diligens in rebus proprijs, quę cõiectura deſumpta ex qualitate perſonæ, arguit ſolutionem. Maſcardus *d.concluſ*.457. *num*.6. Surdus *d.deciſ*.105.*nu*.2.

Secundò, quia ex computis, & partitis extractis ex libris d.Guglielmi apparebat, quod d.Spec. Thomæ fuit ſatisfactum de prætenſo credito ſcutorum 250. Cui libro, licet ſit perſonæ priuatæ, ple
16 na fides tamen danda videtur. Primò, quia † eſt li-
ber perſonæ iamdiu defunctæ, Maſcar. *concl*.974. *num*.3. Crauet. *conſil*.275.*num*.6. Becc. *conſil*.47. *num*.13. vbi de magis communi fidem facit. Secundò, quia ea partita, quod Guglielmus remanſerit creditor Thomæ de ſcutis 287. pro totidem expẽſis in communem vtilitatem verſis, deprehenditur vera ex publico inſtrumento, in quo d. Thomas vocat ſe debitorem Guglielmi de prædicta
17 ſumma: & propterea † cum partitæ huius libri
eſſent in parte verificatæ, & approbatæ, præſumuntur

muntur in totum veræ. Surdus *d.deciſ.199.num.2.*
Maſcard. *Concluſ.974.num.15.* Rota Roman. *di-*
uerſ.deciſ.vlt.parte prima,num.14. Tertiò,quia non
erat veriſimile, quod ſi Spect. Thomas fuiſſet cre-
ditor ſcutorum 250.conſtituiſſet ſe debitorem Sp.
18 Guglielmi, prout fecerat; quod † argumentum
a veriſimili, multum operatur in iure. Viuius *deciſ.*
255.num.1. Senat.Pedemont. *deciſ.170.num.9. &*
19 *ſeq.* Et quod † etiam libris perſonæ priuatæ plena
fides adhibeatur, not. Crauetta *d.conſil.275.nu.8.*
20 Surdus *d.deciſ.105.num.6.* Et ex † iſto veriſimili,
ſolutio creditori arguitur facta, atque probatur,
Surdus *d.deciſ.105.num.* 8. Maſcardus *d.concluſ.*
418.num.29.
21 Tertio ex † quietationibus generalibus factis in-
ter dd. fratres, quæ cum ſint factæ per verba mul-
tum generalia, comprehendunt omnia, & quæcũ-
que credita inter eos exſiſtentia, ita vt etiam credi
ta illis incogitata, & ignota remiſſa cenſeantur.
Crauetta *conſil.227.num.14.& 15.*Cephal.*conſil.*
*463.num.28.& 29.*Natta *in conſil.113.num.2.*ple
nè Menoch.*in conſil.496.nu.58.*Surdus *conſi.267.*
num.6. Purpur. *in conſil.189.num.1.*
Nec obſtare viſum fuit, dum dicebatur quod
Spect. Thomas non habuerit notitiam talis credi-
ti, & per conſequens, quietationes non extendun-
tur ad incognita. Quia dicitur Primò, quod ſecun
dum ſupra allegatos Doctores, tales quietationes
etiam extenduntur ad non cogitata, ex Menoch.
22 & aliis ſupra citatis. Secundo, dicitur † prædi-
ctam Concluſionem non procedere, quando con-
trahentes ſaltem in genere de credito cogitare po
tuerunt, Rota Romana *diuer.deciſ.149.nu.1.par.1.*
23 Honded.*d.conſil.49.num.30.* & dicitur † quod cõ
trahentes de credito in genere cogitauerint, quan-
do in quietantijs vſi ſunt verbis generalibus, ut in
hoc caſu, ſicuti in puncto dicit Honded. *d.conſil.*
49.num.31. Surdus *d.conſil.267.num.8.* Tertiò re
24 ſpondetur, quod cum d. Thomas de † aſſerto cre-
dito tempore factæ quietantiæ notitiam haberet,
propterea præſumitur quod de eo cogitauerit, vt
in terminis dicunt Purpur. *d.conſil.89.in fine*, ſe-
quitur Honded. *d.conſil.49.num.33.in fine.* Quæ
25 notitia † arguitur, quia penes ſe habebat inſtru-
mentum aſſerti crediti, ac illud in iudicio produ-
xit. Bart. & alij *in l.qui Romæ, §.duo fratres, ff. de*
verb.oblig. Caſtren.*d.conſil.59.dub.3.lib.1.* Becc.*in*
conſil.108.num.22. Quartò, quia in vltimo inſtru
mento quietantiæ expreſsè dicitur, quod ea exten
26 datur ad incogitata, & propterea † cum habea-
mus caſum ex inſtrumento determinatum, non vi-
detur vlterius quærendum. Bald. *in conſil.249. in*
fine, lib.1. Aymo *in conſil.31.num.7.* Beccius *in con*
*ſil.74.num.19.*Surdus *in conſ.134.num.3.lib.1.*&c.

ARGVMENTVM.

Indicium ad torturam ſufficiens quã
do inducatur.

SVMMARIVM.

1 *Ad hoc vt poſſit aliquis ſubijci tormentis, debent exſtare indicia contra ipſum legitima & ſufficientia.*
2 *Ad inducenda talia indicia requiritur dictum teſtis omni exceptione maioris, & abſque aliqua macula, & vndique inuulnerabilis.*
3 *Mulier propter ſexus imbecillitatem a teſtimonio repellitur.*
4 *Meretrix dicitur infamis, & a teſtimonio repellitur.*
5 *Teſtis domeſticus à teſtimonio repellitur.*
6 *Vox ad inducendam probationem dicitur multum fallax, & periculoſa.*
7 *Teſti non afferenti cauſam ſui dicti, non creditur, nec facit indicium ad torturam.*
8 *Teſtis de viſu, etiamſi non ſit omni exceptione maior, ſufficit ad tormenta, ſecundum nonnullorum opinionem, quæ tamen reprobatur.*

DECISIO LXII.

IN cauſa recurſus interpoſiti per
Antonium Bernardini Balnei, &
Franciſcum Ioannis Colognoræ,
a pronuncia Perilluſtr. Dò. Præ-
toris Lucenſis, ad fauorem Fiſci,
fuit per Rotam pronunciatum,
benè recurſum, & malè iudicatum.
Eo quia, cum d. D. Prætor declarauerit contra
dd. Antonium, & Franciſcum inquiſitos exſtare
indicia ſufficientia ad torturam, vtique viſum fuit
talem pronunciam non poſſe de iure ſubſiſtere.
1 Clara eſt enim in iure concluſio, quod † ad hoc vt
quis poſſit ſubijci tormentis, debent exſtare con-
tra ipſum indicia ſufficientia, & legitima ad tor-
menta, *l.1.l.maritus, & l.milites, §.oportet, ff. de*
quæſtion.
2 Ad inducenda † autem talia indicia, requiritur
ſaltem dictum teſtis omni exceptione maioris, &
abſque vlla macula, quamuis minima, & vndique
inuulnerabilis, per tex. *in l.1.§.idem Cornelio, vbi*
communiter Doctor.& in l.maritus, vbi gloſ.in verbo,
illicitæ, in fine, ff. de quæſtion. Clarus *in ſua Praxi,*
quæſt.22. verſ. vnum tamen ſcias, in fine, latè Fari-
nac. *de indic. & tort. quæſt.37.num.58.* At cum in
caſu iſto contra dd. inquiſitos non exſtarent alia in
dicia, niſi ea, quæ reſultabant ex depoſitione Fran
ciſcæ Pauli Blancalanæ, (aliæ enim mulieres ſuper
hoc examinatæ nihil deponebant,) quæ cum mul
tos pateretur defectus, clarè conſtabat non poſſe
dici teſtem omni exceptione maiorem, & ſufficien
tem ad tormenta inferenda.
3 Eſt enim primo loco mulier, † quæ propter ſe-
xus imbecillitatem a teſtimonio repellitur. *c.mulie*
rem, ibi, [nec teſtis eſſe] vbi gloſ. *in verbo, nec te-*
ſtis, 33.q.5. & in c.forus, in fine, de verbor.ſign. Fari-
nac. *de oppoſit.contra perſon.teſt.quæſt.59.nu.1.*
Secundò, erat meretrix, (vt in ipſo examine aſſe
4 rebatur) quæ † cum ſit infamis, *l.palam, §.non ſo-*
lum, ff.de ritu nupt. l.Athletas, §.ait prætor, ff. de his

qui not.infam. non poteſt dici teſtis integer,& a te-
ſtificando repellitur. *l.3.§.lege Iulia, & ibi gloſ.in
verbo,palam, ff.de teſtibus.* Magon.*deciſ. Lucana* 89.
num.4. Maſcard.de probat. *Concluſ.*1356.*num.*20.
*volu.*3. Farinac. *de oppoſit.contra perſon.teſt.quæſt.*
60.*num.*359.

Tertiò, quia habitabat cum Clara meretrice,
5 quæ querelauerat dd.inquiſitos,& ſic † tamquam
teſtis domeſtica a teſtimonio repellitur. *l.etiã, vbi
Doctor. C.de teſtib.l.1.§.ad quæſtionem, ff.de quæſt.
l.teſtes eos, ff.de teſtib.* late Farinac.*de oppoſit. con-
tra perſon.teſtium,quæſt.*55.*num.*1. Maſcard.*de pro
bat. lib.*1.*concluſ.*533.*num.*1.*& concluſ.*1357.*nu-
me.*46.*lib.*3.

Quartò, quia aſſerebat non cognouiſſe ſupradi
6 ctos niſi † ad vocem, quod eſt multum fallax,& pe
riculoſum. Clarus *in praxi quæſt.*21.*verſic. ſed quid
ſi teſtis.*

Quintò, quia nullum cauſam reddebat ſui dicti
7 quo † caſu teſti non creditur,nec facit indicium ad
torturam. Idem *in §.finali,quæſt.*53.*in fine, verſic.
præterea dici.*

Nec obſtat dũ pro parte Fiſci dicebatur, quod in delictis occultis, & difficilis probationis, teſtis, etiam quod non ſit omni exceptione maior, ſufficit ad torquendum; per Farinac.*de indic.& tortur. quæſt.*37.*nu.*62.

Quia reſpondetur, Farinac. hoc non dicere,ſed
8 quod † teſtis de viſu etiam ſi non ſit omni exceptio
ne maior, facit indicium ad torturam, ſecundum
nonnullorum opinionem, quam tamen ipſe non
probat: ſed contrarium ſentit,vt ibidẽ aſſerit. Et
in hoc caſu nõ aderat teſtis de viſu, ſed de proba-
tione per vocem, & ſic multo minoris fidei, cum
multi per vocem decipi poſſint. Clarus,*d.quæſt.*21.
verſic.ſed quid ſi teſtis.&c.

ARGVMENTVM.

Pendentia vnius ex articulis in iudicio appellationis, quando faciat ſuperſederi in primo iudicio. Et quando articuli dicantur connexi.

SVMMARIVM.

1 *Proceſſus ad vlteriora non impeditur, licet vnus ex articulis cauſæ pendeat in alio iudicio, quando articuli non ſunt connexi, ſed diuiſi, ac inuicem ſeparati.*

2 *Articuli tunc dicuntur annexi, quando ſententia ferenda ſuper vno, parit exceptionem rei iudicatæ ſuper alio.*

3 *Ad cognoſcendum autem talem connexitatem, debet attendi ſententia ferenda in iudicio appellationis non autem in primo iudicio.*

4 *Articuli etiamſi ſint ſeparati, quando tamen fuerunt deducti in vno eodemque libello, interpoſita appellatio ab vno, ſuſpendit executionem primi Iu*

dicis quoad totam cauſam, ſecundum opinionem Abbatis, ac aliorum, quæ tamen reprobatur communiter a Doctoribus.

DECISIO LXIII.

SPectabilis Franciſcus Bedinius habuit recurſum ad Rotam occaſione pronunciæ D. Iudicis primarum inſtantiarum, latæ ad fauorem Illuſt. D. Siluiæ Liuiæ de Bedinis, & fuit pronunciatum per Rotam, malè recurſum,& benè iudicatum.

Nota,quia cum pronuncia D. Iudicis a qua pre
dictus D. Franciſcus ſenſit ſe grauatum, contine-
ret eſſe procedendum ad vlteriora quoad primũ
iudicium redditionis rationum, & ſuperſedendũ
in cauſa exhibitionis librorum pendente appella-
tione ſuper hoc capite coram Rota. Vtique viſa
fuit talis pronuncia iuri, & æquitati conſona; cum
enim articulus a quo pendebat recurſus,non poſſet
dici connexus cum alio articulo redditionis ratio-
num,ſed diuerſus, ac ſeparatus, non poterat impe
diri proceſſus ad vlteriora per appellationem ab
1 vno capite quoad aliud caput; quia † tunc impe-
ditur procedi ad vlteriora, quando articuli ſunt
inuicem connexi, ac coniuncti. Gloſ. *in l.amplio-
rem, in verbo, iudicatis, C. de appellat.* Butr. *in c.ſu-
per eo, de appel.* vbi etiam Franc. *num.9. verſic. ſed
dum.* Dec. *col.1.verſ.ſed tamen ſuſtinendo.* Boer.*de-
ciſ.*73.*num.*6. late Lancellot. *de Attent.appel. pen-
den.cap.*20.*limit.*2.*num.*25.*in fine.* Quod autem
articulus redditionis rationis non eſſet connexus,
ſed diſiunctus, ac ſeparatus ab articulo exhibitio-
2 nis librorum conſtabat; Quia tunc † articuli dicun
tur connexi, quando ſententia ferenda ſuper vno,
parit exceptionem rei iudicatæ ſuper alio, vt ex
multis affirmat Lancellot. *de Attent. cap.*20.*limit.*
2.*num.*30. At in caſu noſtro poſſunt iſta inſimul ſta
re, quod tutor non teneatur rationem adminiſtra-
tionis tutelæ reddere, & ita pronunciari; quia nõ
adminiſtrauerit, vel illam reddiderit, vel alia fece-
rit, propter quæ a tali onere ſit liberatus, & tamẽ
ſit obligatus ad exhibendos libros; cum dd. libri
non ſint tutelares, ſed hæreditarij, & econuerſo.

Nec obſtare viſum fuit dum dicebatur ex aduerſo, quod imò articulus exhibitionis librorum videatur connexus cum alio redditionis rationis: quia ſi fuerit declaratum Spect. Franciſcum non teneri rationẽ reddere dictæ tutelæ, erit quoque in conſequentiam declaratum, non teneri ad exhibendos libros petitos.

Quia reſpondetur, non procedere d.conſequen
tiam, per ea, quæ ſupra dicta ſunt, & etiam quia
3 ad effectum † cognoſcendi talem connexitatem,
debet attendi ſententia ferenda in iudicio appella
tionis, an ſcilicet aliquo pacto præiudicare valeat
articulo pendenti in primo iudicio, non autem ſen
tentia ferenda per primum Iudicem, ex quo præ-
tenditur, quod articulus a quo pendet appellatio,
debeat ſuperſederi facere in alia cauſa, & ſic quod
occaſione appellationis debeat ſuperſederi. At ſen

tentia

tentia ſerenda in appellatione, quocumque modo emanet, non poteſt parere exceptionem rei iudicatæ in alio iudicio, vt ſupra demonſtratum eſt, cum agatur de libris hæreditarijs, non autem tutelaribus, & ſic de diuerſis, igitur &c.

Nec obſtat etiam dum dicebatur, quod quando
4 etiam dd. articuli † eſſent ſeparati, quia deducti fuerunt in vno, eodemque libello, appellatio interpoſita ab vno, ſuſpendit iuriſdictionem primi iudicis quoad totam cauſam. plenè Abbas *in d. cap. ſuper eo, a num. 6. vſque ad nu. 10. & ibidem* Hoſtienſ. *num.* 1. Io. Andr. *num.* 2. Berous *in cap. ſuper eo, il 2. verſ. ſed aliter.* Nec continentia cauſæ diuidatur, *contra l. nulli, C. de iudic.*

Quia dicitur, talem opinionem Abbatis eſſe a Doctoribus communiter reprobatam, vt latè per Franc. *in d. cap. ſuper eo, col. 3. verſic. ſed aduerte, de appell.* vbi reſpondet argumentis Abbatis Dec. *conſ. 33. num. 4.* Aegidius Bellamera *in conſil.* 18. *num. 3. vſque ad finem*, & latiſſimè per Lancellot. *vbi ſupra cum pluribus ſequentibus, ſub nume.* 12. vbi reprobata opinione Abbatis, regulam firmat ſecundum Butrium, ac Francum. &c.

ARGVMENTVM.

A ſententia de euacuando, non dari appellationem, cum alijs nonnullis ad materiam facientibus.

SVMMARIVM.

1 *A ſententia de dimittendo, ſeu (vt vulgo dicitur) de diſgumbrando, non datur appellatio.*
2 *Sententia debet ferri ſuper totum negotium, de quo agitur, aliàs eſt nulla.*
3 *Quod procedit ſuper rebus, non autem perſonis, quia ſententia lata ſuper certis tantum perſonis, & alijs omiſſis, valet quoad perſonas non omiſſas.*
4 *Actus nullus non eſt actus.*
5 *Perempta inſtantia expirat Iudicis iuriſdictio.*
6 *Sententia nulla ob peremptionem inſtantiæ, poteſt confirmari, quando fouet bonum ius in meritis.*
7 *Locator poſt finitum tempus locationis, non poteſt exequi inſtrumentum primę locationis aduerſus conductorem exequutiuè per tacitã reconductionẽ.*
8 *Illud tamen procedit quoad exactionem affictus, non autem quoad pręceptum de dimittendo; quia quoad hoc dicitur agi ſemper vigore primę locationis.*
9 *Captura petita nomine plurium, poteſt valere reſpectu vnius, & reſpectu aliorum non valere.*
10 *Conductor non poteſt contra dominum quęſtionem dominij opponere.*

DECISIO LXIV.

FVit interpoſitus recurſus ad Rotam per D. Ioſeph. Stephani, vti procuratorem Nicolai, ac Nardi de Maſſa macinaria, a pronuncia D. Iudicis Ordinarij, lata ad fauorẽ D. Angiolæ de Ghirardis. Et fuit per Rotam pronunciatum, benè iudicatum, & malè recurſum.

Mota, quia cum in præſenti iudicio ageretur de præcepto de dimittendo, occaſione locationis, & de locatione appareret per publicum inſtrumẽtum, & ageretur contra nominatos in eodem inſtrumento, & tempus in eo appoſitum iam fuerit elapſum, vtique viſum fuit habere locum diſpoſitionem ſtatuti, *lib. 1. cap. 167.* in quo mandatur Iudici, quod debeat præcipere conductoribus, quatenus cum effectu infra terminum eius arbitrio ſtatuendum, diſgombrare, & liberam rem locatam locatori dimittere. Quod cum factum fuerit a D. Iudice a quo, propterea eius ſententia viſa fuit confirmatione digna.

Nec obſtare viſa ſunt multa, quæ in contrarium deducta fuerunt, quæ omnia licet vnica reſponſione tolli poſſe videantur, eo quia ſtatutum præallegatum prohibet conductori, quod non poſſit vllam defenſionem proponere, vel allegare, & quod a ta-
1 libus † præceptis, & proceſſibus non poſſit appellari, ſupplicari, vel querela moueri, vel ad aliquem Iudicem recurſum haberi. Prout etiam de iure communi cauetur, ad diffuſe deducta per Barzium *deciſ.* 115. *num.* 10. *& per totam*, Bald. *in l. vnica, C. ſi de moment. poſſeſ. & ibi* Contard. *limit.* 3. Roman. *ſingul.* 782. Caroc. *de locat. & conduct. parte 6. tit. de ſentent. & deciſ.* 19. *num.* 34. Nonnullis tamen reſpondendo, dicimus,

Quoad primum dum dicebatur, quod cum ſententia non fuerit lata ſuper toto, videtur nulla; duo enim intentata fuere, confirmari nempe præceptũ contra Dom. Angiolam, & Gherardum, & tamen Dom. Iudex a quo, præceptum confirmauit reſpectu D. Angiolæ, nulla facta mentione de alio, nempe Gherardo, nec appoſita fuit dictio taxatiua, (tãtum) vel (ſolum) vel aliud ſimile, iuxta ea, quæ animaduertit Salicet. *in l. 1. colum. 3. C. ſi aduer. rem*
2 *iudic.* Et † quando ſententia non eſt lata ſuper toto, eſt nulla, vt diſponitur per ſtatut. *cap. 107. lib. 1. in fine.* Quod etiam procedit de iure communi, *vt in l. in hoc, ff. famil. erciſcund.* Magon. *deciſ. Lucana* 65. *num.* 17. Carpan. *ad ſtatut. Mediol. c. 31. par. 1. nu.* 71. & per Salicet. *in ſupra alleg. loco.*

Nam reſpondetur, quod in præſenti iudicio nihil aliud petitum fuit, quam conſignatio frũctuum ſequeſtratorum, & confirmatio præcepti de dimittendo. Vnde cum ſuper vtroque capite petitionis fuerit pronũciatum, dici non poteſt quod ſuper toto pronuncia prolata non fuerit. Nec obſtat, quod ſententia lata non fuerit quoad omnes actores, vt ex aduerſo dicebatur; quia aliud eſt, quod iudicatũ non ſit ſuper omnibus rebus petitis, & aliud quod
3 ſententia non fuerit dicta quoad † perſonas omnes in iudicio interueniẽtes; quia reſpectu primi caſus, bene obſtat regula præmiſſa, ſed reſpectu ſecundi ea non procedit, cum loquatur de rebus, non autem de perſonis, & propterea videmus quod ſi ſententia feratur quoad aliquos in iudicio interuenientes, alijs omiſſis, valet quoad perſonas non omiſſas, *l. non idcirco*, vbi Bar. & alij, *ff. de iudic.* Dec. *in conſil.* 295. *in princ.* Vant. *de nullit. ex defect. proceſ. nu.* 100.

Roncagallus *in l. 3. §. vbi duo, numer. 137. & ſeq.*
de duobus reis, & in indiuiduo ſic reſpondendo ad
regulam, *l. 1. C. ſi aduerſ. rem iudic.* diſtinguit Paul.
in d. l. non idcirco, in princ. Nec obſtat text. *in l. in hoc*
iudicio, ff. famil. herciſc. quia eius diſpoſitio ſpeciali
ratione procedit, dumtaxat in iudicio diuiſorio, ex
quo ſi diuiſio facta nó eſſet quoad omnes, effectum
ſuum non ſortiretur, vt in puncto reſpondit Salice.
ex aduerſo allegatus, *in d. l. 1. C. ſi aduerſ. rem iudic.*
num. 4. poſt medium, ver. nec huic ſolutioni. Secundò
etiam reſpondetur dicto obiecto, quia procurator
comparuit in hoc iudicio vti procurator Dom. An-
giolæ, & tutorum d. Gherardi vigore mandati, con
tra quod mandatum fuit oppoſitum inter alia, non
eſſe legitimum reſpectu tutorum d. Gherardi, ex
multis tunc adductis, & allegatis, quibus attentis,
cum Dom. Iudex a quo, cenſerit dictum procurato
rem reſpectu dictorum tutorum non habere man-
datum legitimum, non tenebatur quoad ipſos ali-
quid pronunciare; cum perinde eſſet ac ſi nemo ip-
ſorum nomine comparuiſſet in iudicio, cum notum
4 ſit † actum nullum non dici actum, *l. 1. in fine, ad Ter*
tul. Alexand. *in conſil. 33. numero 1. in princip. lib. 1.*
Quia paria ſunt, actum non fieri, & nullum fieri, *l.*
nulla, de author. tutor. l. quoties, vbi Iaſ. ff. qui ſatiſdare
cogan. Et idem eſt non habere mandatum, vel illud
habere aliqua ratione inualidum. Vant. *de nullit. ex*
defectu manda. nume. 121. Vnde, cum mandatum re-
ſpectu dd. tutorum eſſet inualidum, perinde erat, ac
ſi eorum nomine nemo comparuiſſet, & cõſequen
ter D. Iudex a quo, de eo mentionem facere in ſen
tentia non tenebatur.

Secundò, non obſtat dum dicebatur inſtantiam
cauſæ fuiſſe peremptam, & per conſequens ſenten
5 tiam fuiſſe nulliter prolatam, cum † perempta In-
ſtantia exſpiret Iudicis iuriſdictio, Afflict. *deciſ. 70.*
num. 4. & deciſ. 283. num. 4. Roland. *in conſil. 80. nu-*
mero 3. lib. 4. Natta *in conſil. 32. nume. 13. & conſilio*
309. num. 11. Papienſ. *in Praxi, in forma ſenten. diſ-*
fiu. num. 13.

Quia vltra ea quæ deducta fuerunt ad oſtenden
dum inſtantiam non fuiſſe peremptam, vnica tamẽ
reſponſione hoc obiectum tollitur, nempè, quod
6 Iudex appellationis poteſt † ſententiam etiam nul-
lam ex tali defectu, confirmare, quando fouet bo-
num ius circa merita. Alex. *in conſil. 111. num. 2. lib.*
5. Grammat. *in conſil. 14. num. 1. inter ciuilia*, Rolan.
in conſil. 41. num. 40. vol. 1. Vantius *de nullis. ex defe-*
ctu citat. num. 107. in fine, & 129. Cornazan. *deciſio.*
Lucana 39. num. 11. & deciſ. 194. numer. 2. qui dicit
communem Magon. *deciſ. Lucana 92. nume. 33.* At
quoad præſens iudicium, viſum fuit ſententiam D.
Iudicis a quo, fouere bonum ius, per ea quæ ſupra
in principio diximus, diſpoſita a ſtatuto, & per Bar
zium *in alleg. deciſ. 115.* Quare &c.

Non procedit etiam quod dicebatur, quod cum
7 tempus † locationis iam eſſet exſpiratum, & inſtru
mentum locationis reſolutum, non poterat illius
virtute executiue agi poſt primum annum condu-
ctionis, vt per Borgnin. *deciſ. 44. nu. 83. cum ſequent.*
parte prima.

8 Quia dicitur † hoc procedere quoad exactionem
affictuum, non autem quoad præceptum de dimi-
mittendo: quia quoad hoc, ſemper verificatur agi
vigore inſtrumenti locationis, & dicitur actum ex
prima locatione in inſtrumento expreſſa, quamuis
tacitè continuata, vt in terminis tradit Magon. *de-*
ciſ. Lucana 47. nu. 3. & alij, quos allegat & ſequitur
Barzius *deciſ. 115. num. 17.*

Nec minus quod inſtrumentum locationis non
cantet in perſonam dd. actorum. Quia ex inſtru-
mẽto aliter conſlabat. Nec quod locatio facta non
fuerit Nardino alteri ex reis conuentis, Quia Nar-
dinus fuit citatus acceſſorie & non principaliter, &
quatenus ſua putauerit intereſſe, quo caſu iudiciũ
præſens procedebat quoad perſonas principaliter
in iudicio deductas, & per inſtrumentum obliga-
tas, per ea, quæ ſupra dicta ſunt de ſententia, in qua
aliqui fuerint omiſſi, quod valet quoad perſonas
non omiſſas, *per ibidem allegata.* Et ſicuti etiam dici
9 tur † capturam petitam nomine plurium, poſſe va-
lere reſpectu vnius, & reſpectu aliorum inualidam
eſſe. Bald. *in conſil. 374. num. 3. in fine, verſic. & ideo,*
libro 4. Caccialup. *de debit. ſuſpect. & fugit. quæſt. 6.*
10 *in princ. numero 29. verſicul. item quia.* Et quia † con-
ductor non poteſt obijcere quæſtionem dominij
locatoris. Alexand. *in conſil. 129. in fine, volum. 2.* Be-
rous *in conſil. 115. num. 5. volum. 3.* Et talia contra
ipſum dominum opponere. Menoc. *de recup. poſſeſ.*
remed. 11. num. 35. Carroc. *de locat. par. 3. ſub rubr. de*
re propria, num. 19. fol. 141. &c.

ARGVMENTVM.

Filiatio quomodo debeat probari quando eſt fundamentum intentionis alicuius.

SVMMARIVM.

1 *Actor tenetur plenè probare fundamentum ſuæ intentionis.*
2 *Filiatio debet legitimè, & concludenter probari, quando quis ſe fundat ſuper ea vna cum requiſitis ipſius.*
3 *Denominatio pro filio non probat filiationem.*
4 *Quod aliquis tractetur ab aliquo vti filius, non probat filiationem, ſed probandi ſunt tractatus qui fuerunt facti.*
5 *Teſtis ſingularis plenè non probat.*
6 *Filiatio non probatur per publicam vocem, & famam.*
7 *Publica vox & fama debet probari legitimè, & a quibus perſonis ortum habuerit.*
8 *Ad probandam publicam vocem, & famam, requirũtur teſtes omni exceptione maiores.*
9 *Contra probationem filiationis admittuntur rationes euidentiſſimæ, per quas talis filiationis probatio eliditur.*
10 *Filij efficiuntur legitimi per ſubſequens matrimoniũ.*
11 *Filij nati ex adulterio, non legitimantur per ſubſequens matrimonium.*

DE-

DECISIO LXV.

FVit interpoſita appellatio ad Rotam per Martium, ac Vincentiũ de Morottis, a ſententia Illuſtr. Do. Iudicis primarum inſtantiarum, lata ad fauorem Iuliani Bratti, ac aliorum litis conſortium. Et fuit per nos pronunciatum, benè fuiſſe iudicatum per Dom. Iudicem a quo, & malè appellatum per dd. fratres de Morottis.

Moti, quia cum ſupradicti Martius, ac Vincentius agant ad bona nonnulla immobilia, tamquam ſuorum anteceſſorum, nec probauerint fuiſſe per ſe ipſos, ac eorum prædeceſſores poſſeſſa, immò, cum fuerint per annos plurimos ab alijs poſſeſſa, vtique viſum fuit defeciſſe in ſalutari.

Secundò, quia præſupponebant Ioſeph Morottum eorum patrem fuiſſe filium legitimum, ac naturalẽ Leonardi de S. Caſsiano, & per conſequens eius hęredem, & ſic ad eos ſpectare bona petita vti filios, ac hæredes d. Ioſeph, & tamen prædicta
1 non fuerunt probata, prout erat neceſſe: † cum actor teneatur plenè probare fundamentum ſuæ intentionis, *l. ei qui, ff. de probation. l. actor, C. eod.* Ruin. *in conſil. 52. num. 3. lib. 5.* Bart. *in l. is poteſt, ff. de acquir. hæred.* Nam cum eorum ius ſit fundatum ſuper eo quod Ioſeph eſſet filius legitimus, & naturalis d. Leonardi, vtique non ſolum talis filiatio,
2 non † fuit legitimè ac concludenter probata, prout de iure communi requiritur, Pariſ. *in conſil. 11. nume. 19. lib. 2.* Maſcard. latè, *Concluſ. 86. num. 1. cum ſequent.* Nec requiſita quæ erant neceſſaria ad probandam filiationem, de quibus per Surdum *deciſ. 83. num. 4. 7. & 8.* & copioſè per Maſcard. *Concluſ. 789. num. 38.* quam etiam ex diſpoſitione Statut. *lib. 1. cap. 99.* Sed immò, totum contrariũ, quod non eſſet filius d. Leonardi videbatur ex proceſſu apparere, nam teſtes examinati, nempè pri-
3 mus, loquebatur de † denominatione pro filio, quę de iure non probat filiationem, Maſcard. latè *Concluſ. 790. num. 2. cum ibi allegat.* Et quod tracta-
4 bat d. Ioſeph. vti filium, quia † talis generalis aſſertio tractatus, de iure non probat filiationem, ſed multa alia requiruntur, & in ſpecie probandi ſunt qui tractatus fuerint iſti parentum, vt egregiè tradit Ruin. *in conſil. 52. nu. 5. lib. 5.* plenè Maſcardus
5 *Concluſ. 789. num. 28. & 29.* Vltra quod, eſt † teſtis ſingularis, qui plenè non probat, *cap. vniuerſis, c. veniens, extra de teſtib.* Gabriel de teſtibus *Concluſ. 1. nume. 1.* Farinac. *de oppoſit. contra perſon. teſtium, quæſt. 63. nu. 1. cum ſeq.* Alij teſtes deponunt de auditu palam, & publicè, quod Ioſeph haberetur pro
6 filio Leonardi, per quam † publicam vocem, & famam non probari filiationem ex veriori, ac receptiori ſentẽtia tradit idem Maſcard. *Concluſ. 791. num. 5. & ſeq.* Vltra quod in præſenti caſu non erat probata talis publica vox, & fama, prout requiri-
7 tur, cum † non eſſet ſpecificatum a quibus perſonis d. fama ortum habuerit, nec alia requiſita adfuerint, vt tradit Ruin. *d. conſil. 52. nume. 7. lib. 5.* Honded. *in conſil. 102. num. 33.* Natta *in conſil. 18. num. 12.* Farinac. *de indic. & tortura, quęſt. 47. nu. 22.* Surdus *in conſil. 35. num. 90. & conſil. 472. num. 20.* Cephal. *in conſil. 65. num. 47.* Cornazan. *deciſ. Luca-
8 na 26. num. 5.* Et tales † teſtes debent eſſe omni exceptione maiores, Turret. *in conſil. 52. num. 8. lib. 1.* Menoch. *in conſil. 480. num. 28. & ſeq. lib. 5.* Cornazan. *d. deciſ. 26. num. 5.* Lepidus *deciſ. 147. verſic. vltra.* Magon. *deciſ. Lucana 43. num. 7.* Et quatenus etiam per diſpoſitionem dicti ſtatuti *lib. 1. cap. 99.* & per dd. teſtes dici poſſet probata talis filiatio, tamen cum ex euidentiſſimis rationibus videretur apparere contrarium, quod ſcilicet d. Ioſeph non
9 eſſet filius legitimus dicti Leonardi, vtique † prima probatio eſſet penitus eliſa, & non attendenda, & ſtatutum allegatum non videtur procedere, prout ibidem legitur in verſic. niſi euidentiſſimis rationibus; namque conſtat per inſtrumentum legitimationis Bartholomæi fratris d. Ioſeph in actis productum per ipſos reos, in quo Leonardus pater de anno 1542. legitimare fecit d. Bartholomæum, & in dicta legitimatione ſunt hæc verba, videlicet, [Leonardus expoſuit, qualiter ipſe vxoratus, & vxorem habens ſterilem, & prorſus ad ſobolem procreandam inhabilem, liberis etiam legitimis, ac naturalibus carens, ſuſcepit, & habuit, & habet vnum filium maſculum nomine Bartholomæum ætatis annorum quinque, natum, & procreatum ex ſe coniugato, & non ſoluto, & quadam Lucia Bernardini de Foſſombrono, &cet.] Si ergo quando Leonardus legitimat Bartholomæum filium minorem, carebat legitima ſobole, & vxor eius erat ſterilis, ſequitur quod d. Ioſeph non erat filius legitimus d. Leonardi, cum ex teſtibus, nempe primo, ſexto, & ſeptimo, ſit probatũ d. Ioſeph eſſe natu minorem ipſo Bartholomæo. Quod etiam ex alio probatur: nam in dicto inſtrumẽto legitimationis dicitur, quod Bartholomæus illegitimus natus erat ex concubina Lucia, & teſtes etiam deponunt quod d. Ioſeph erat natus ex dicta Lucia, & erat maior Bartholomæo, ergo naturalis tantum filius erat, & ex damnato coitu natus. Hoc idem probatur ex inſtrumento dotali de anno 1549. producto, in quo Leonardus dicit hæc verba, videlicet, [Fuit confeſſus &c.] D. Luciæ Bernardini de Foſſombrono vxoris ſupradicti Leonardi iam ſunt anni tres, quod eam deſponſauit (prout ambo dixerunt, & confeſſi ſunt.) Si ergo de anno 1549. ambo vir & vxor fatentur, quod ſolum erant tres anni, quod ſe in matrimonium coniunxerant, ſequitur neceſſariò, quod Lucia mater Ioſeph non erat vxor dicti Leonardi tempore natiuitatis dicti Ioſeph, quia aſſeritur natus de anno 1531.

10 Nec dici poteſt † per ſubſequens matrimonium fuiſſe legitimum effectum d. Ioſeph. *c. tanta, qui fil. ſint legit. §. finali, Inſtit. de nup.* Roland. *in conſ. 100. num. 37. lib. 2.* Cephal. *in conſil. 541. num. 4. & ſeq. libro quarto.*

Quia cum ex ſupradictis appareat ipſum Leonardum habuiſſe ipſum Ioſeph ex d. Lucia dum eſ-
11 ſet vxoratus † & ſic ex damnato coitu, non potuit

per

per ſubſequens matrimonium legitimari, per text. ad litteram *in d.c.tanta, vbi etiam gloſſ. ext. qui fil. ſint legit.& ibi Doctor.omnes,& in cap. innotuit,extra de elect.* Ruin.*in conſ.*155.*col.*1.*verſ.ſed tamē his non obſtantibus.* Ceph.*in conſil.*435.*nume.*101.*cum ibi allegatis.* Bald.*in conſil.*206.*lib.*3. Petr. Duen. *in tract.regular.regul.*350.*limit.*11.Menoch.*in conſil.*16.*num.*12.*&* 13.Craſſus *in §.inſtitutio, quæſt.*7.*num.*6.*&* 7. &c.

ARGVMENTVM.

Iniuriam contra proprium honorem illatam licet vnicuique propulſare.

SVMMARIVM.

1 *Nulla eſt maior probatio, quā oris proprij confeſſio.*
2 *Iniuria non ſolum corporalis, ſed etiam contra honorem poteſt propulſari, quo caſu propulſans non venit puniendus de toto, ſed de quanto fuit exceſſum.*
3 *Difficillimum eſt temperare iuſtum dolorem, & ideo neſciens temperare, mitius eſt puniendus.*

DECISIO LXVI.

DOnatus de Coreglia appellauit ad Rotam a ſententia Do.Commiſſarij Coregliæ ad fauorem Fiſci, in qua fuit pronunciatum per Rotam pœnam librarum 94. bonæ monetæ, in qua fuerat condemnatus ſupradictus Donatus, fore, ac eſſe reducendā (prout reduximus) ad lib.20 bonæ monetæ.

Et hoc quia ex confeſſione dicti Donati, cuius
1 nulla † maior extſtat probatio, *l.cum te, C.de tranſact. l.generaliter, C.de non numer. pecun.* Cephal. *in conſil.*248.*num.*40.*lib.*2. Conſtat ipſum Donatum cum baculo percuſſiſſe in femore Silueſtrum Cæſaris Baptiſtę de Coreglia, vtique erat condemnandus aliqua pęna tali delicto conuenienti, quam arbitrati ſumus in ſummam lib.20.bonæ monetæ. Siquidem iudicauimus nō poſſe ipſum Donatum puniri ea pœna, in qua fuit condemnatus per d. D. Commiſſarium, cum ex proceſſu appareret dictū Silueſtrum vna cum Dominico Peregrini protuliſſe verba iniurioſa contra d. Donatum, ac Flaminium Iulij, talis tenoris: [Alla galera Becchi, & figliuoli di Becchi] per quæ viſum fuit prouocatū fuiſſe dictum Donatum ad talem percuſſionem inferendam; cum † iniuriam non ſolum corporalem,
2 ſed etiam cōtra proprium honorem liceat propulſare, vt probatur *in l.*1.*cum l. prętor edixit, ff. de iniur.* not. Aug. ad Angel. *in verbo, & d.Titius ſe defendendo, num.*20.*verſic.quæritur, an ex ſolis minis,* &c. Quo caſu reus non venit puniendus de toto, ſed de quanto fuit exceſſum, per text. *in l.ſi adulterium cum inceſtu, §.Imperatores, ff. ad leg.Iuliam, de adulter.* & ibi etiam Angel. ſingulariter tradit; nā
3 difficillimum † eſt temperare iuſtum dolorem, & ideo neſciens temperare, mitius punitur, vt ibidem dicit Angelus, & not. idem Aug. ad Angel. *inſupra citato loco*, vbi dicit puniri tunc, quia plus ipſe laceſſitus fecit, non quia ſe non debuit vindicare; & gloſ. *in d. §. Imperatores, in verbo magis*, idem affirmat. Vnde cum dictus Donatus exceſſerit modum in propalſanda tali iniuria, pro tali exceſſu viſa fuit ſufficiens pœna illa in qua fuit condemnatus; nam pro talibus percuſſionibus eſt impoſita pœna lib.16.cum dimidia, quando ſunt ſine ſanguinis effuſione, vt erat in caſu noſtro, per ſtatut.*lib.*4.*cap.*151.*in fine*, quæ venit duplicanda, cum fuerit commiſſum tali delictum tempore noctis, vt per decretum Excellentiſſimi Conſilij, & ita erunt lib.33. bonæ monetæ. A quibus dempta quarta parte propter confeſſionem ipſius Donati, remanent lib.25. & 3. Necnon demptis lib.5. ſic arbitratis, eo quia prouocatus hoc fecit, & propterea non ſit puniendus pęna ordinaria delicti, reducuntur ad lib.20. bonæ monetæ, prout ita in noſtra ſententia reduximus, &c.

ARGVMENTVM.

Ad hoc vt ſit locus retractui, debet prius conſtare de alienatione rei. Et debet fieri integrum depoſitum.

SVMMARIVM.

1 *Retractus non datur vbi non fuit facta alienatio, ſed ſolum aſſignationis conditionalis promiſſio.*
2 *Conditio nihil ponit in eſſe.*
3 *Vbi habemus relatum, non curamus de referente.*
4 *Dictio (quatenus) inducit conditionem.*
5 *Excipiens non fatetur quoad fundandam intentionem actoris.*
6 *Incertitudo vitiat omnes contractus, & quoſcumque actus, & impedit translationem dominij.*
7 *Inſtrumentum non probat ad fauorem eorum, qui in eo non interuenerunt.*
8 *Confeſſio in inſtrumēto facta, non probat ad fauorem illorum, qui in inſtrumento non adfuerunt.*
9 *Communis vſus loquendi attendi debet.*
10 *Pluralitas inſtrumentorum, & ſcripturarum non prę ſumitur.*
11 *Agens ad retractum, debet facere depoſitum integrum, alids ſi deficiat etiam in minimo, non datur retractus.*
12 *In dubio iudicandum eſt contra retractum, quia eſt odioſum.*
13 *Actor non probans probanda, debet Iudex abſoluere reum aliquando ab obſeruatione iudicij, ne ipſius iura pereant.*

DECISIO LXVII.

APpellarunt ad Rotam Michael Dominici de Pelagio, & Palmerius Piſcaglini de Coreglia a ſententia D. Commiſſarij Vicariæ Vallis Limæ, ad fauorem Stephani, ac Martini

tini olim Ioannis de Coreglia, & fuit pronuncia-
tum, malè iudicatum, & benè appellatum, & ſuc
ceſſiuè fuerunt abſoluti rei ab obſeruatione iudi-
cij, ſaluo iure, &c.

Moti Primo loco, quia fundamentum in quo ſu
pradicti actores fundabant ſuam intentionem, vt
ius retractus intentati competeret, erat, quod præ
ceſſerit alienatio bonorum prætenſo retractui ſup
poſitorum, iuxta diſpoſitionem ſtatuti, *lib.2.cap.
78.* Quod quidem fundamentum viſum fuit cor-
ruere: nam nullibi conſtabat de tali alienatione.
Etenim inſtrumentum, quod ad eam probandam
1 adducebatur, nullam † continebat venditionem,
ſeu alienationem, ſed ſolum aſſignationis promiſ-
ſionem conditionalem, ex qua non oritur ius retra
ctus. Tiraquellus *de retractu lignag.§.1.gloſ.2.num.
54.& gloſ.18.num.124. in fine cum ibidem adductis.*
2 Et † cum conditio nihil ponat in eſſe, *l. ſi quis ſub
conditione. ff. ſi quis omiſſa cauſa teſtamen.* Mantica
de couiect. vlt. volunt. lib.11. tit.2. num.3. Nec ali-
quid inferri poſſe videbatur ex capitulis productis
pro parte reorum minuſque ex inſtrumento ab eis
producto: quia inſtrumenta, & capitula ſe referũt
ad ſupradictum aliud inſtrumentum, & ideo cum
3 habeamus † relatum, non eſt habenda ratio refe-
rentis, quatenus in aliquo appareret diuerſa. Sed
per errorem præceſſiſſe cenſeri debet, Dec. *in con
ſil.53.nu.6.* Alexan. *in conſil.9.num.12.lib.5.* Alba
in conſil.267.num.7.& 8.

Nec obſtat dum dicebatur, quod ipſi rei in pro-
ceſſu videantur aſſerere bona, de quibus agitur,
fuiſſe aſſignata in ſolutum, nulla habita relatione
ad inſtrumentum ſer Thomæ: quia dicitur, quod
ex verbis inſtrumenti de neceſſitate non reſultat
confeſſio aſſignationis, cum ſuis qualitatibus: quia
illa verba [quod vltra ſcutos 152. d. Michael ex-
burſauerit ſcutos 30. pro pretio terræ, de qua age
batur] poſſunt verificari etiam nulla ſequuta alie-
natione, interpretando ea, quod d. Michael vltra
ſcutos 152. mutuatos, exburſauerit ſcutos 30. pro
pretio venditionis, de qua in inſtr̃o ſer Ioan. Pau-
li. Deinde dicitur, quod talia verba fuerunt prola
ta ſub conditione præcedenti, vt patet ex dictio-
4 ne † (quatenus) *l. Stichum qui meus erit, ff. de leg.1.*
Sacca *in conſil.98. num.17.* Prius enim dictum fue
rat quod non conſtaret de requiſitis a ſtatuto, &
deinde, & quatenus prædicta ceſſare non poſſent,
&c. & ſic non poterat ſuper huiuſmodi verbis fun
damentum fieri, niſi fuerit purificata præcedens
conditio, quod conſtet de requiſitis, ad notata per
Scribẽtes *in l. pecunia, ff. ſi cer. pet.* Surd. *dec.210.nu.
7.* Sub eadẽ conditione etiã cenſeri debebant pro-
lata alia verba *ſub num.53.* ibi [quia non fuit pro-
batum, quod tempore factæ venditionis ipſi acto-
res eſſent nati] debent enim intelligi, ſcilicet, tem
pore venditionis, quæ facta prætendebatur. Ac-
cedat, quod verba talia fuerunt prolata in exce-
5 ptionibus, & regula eſt quod † excipiens non fa-
tetur, quoad fundandam intentionem actoris, eſt
text. *in cap. exceptionem, de regul. iur. in 6. & in l.
non vtique, ff. de exception.* Abbas *in cap. venerabilis,
in fine, de except.* Surdus *deciſ.24. nu.5.* Et denique
ex capitulo reorum primo colligitur, quod dum ip
ſi fecerunt mentionem de venditione prætenſa, ſe
retulerunt ad inſtrumentum ſer Thomæ de anno
1577. & ſic non ad aliud, quod in eius executionẽ
poſt biennium prætenditur fuiſſe factum, & ad re-
ſponſionem 17. poſitionis partis aduerſæ, non ali
ter confeſſi fuerint aſſignationem prætenſam, niſi
prout in inſtrumento ſer Thomæ; & ita etiam a-
liæ oẽs aſſertiones poſtea factæ in proceſſu interpre
tari debent, vt in ſimili dicit Lepid. *deciſ.96.col.2.*

Secundò, quatenus actores vellent ſe fundare ſu
per alio inſtrumento de anno 1599. manu ſer Pau
li Iampauli, nec etiam hoc fundamentum videba
tur ſubſiſtere, tum, quia in eorum libello nulla fuit
facta mentio talis inſtrumenti, nec petita recom-
pera vigore huius inſtrumenti, ſed tantummodo
alterius, manu d. ſer Thomæ, ſub die 21. Octobris
anni 1577. Vnde, cum ſuper hoc non fuerit lis con
teſtata, & ſententia debeat eſſe conformis petitio-
ni, non poterat fieri ſuper hoc fundamentum. Van
tius *de nullit. ex defec. proceſſ. num.97.* Cum nec etiã
ab ipſis fuerit productum, ſed a parte; immo illud
impugnauerint, vnde ſuper actu impugnato non
poteſt quis ſe fundare, iuxta iura vulgaria.

Accedat, quia ex d. ſecundo inſtrumento appa-
rebat, quod non tota petia terræ, pro qua ageba-
tur, fuit aſſignata, ſed tantummodo reſiduum fuit
venditum in hoc ſecundo inſtrumento pro ſcutis
30. Et verſamur in incerto, quanta pars d. terræ
6 aſſignata fuerit, & † incertitudo vitiat omnes con
tractus, & quoſcumque actus. Corneus *in conſ.125.
nu.4. lib.1.* latè Marſil. *in rubr. de probat. nume.382.
& ſeq.* Et impedit translationem dominij, ac poſ-
ſeſſionis, Magon. *deciſ. Lucana 21. num.1.* Cornaz.
deciſ.116. per totam.

Et quatenus in hoc inſtrumento enunciaretur
aliud inſtrumentum venditionis manu d. ſer Tho-
mæ, talis enunciatiua non videtur poſſe iuuare.
Primò, quia non enunciatur certum pretium, &
non probat hoc eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe,
l. non hoc, C. vnde legit. Secundo, quia verba enun-
7 ciatiua huius vltimi inſtrumenti † nihil probarent
ad fauorem actorum, qui in eo non interuenerunt,
l. optimam, C. de contrab. ſtipul. Decian. *Reſponſo 2.*
8 *num.72. lib.4.* Et quod ſimilis † confeſſio non proſit
abſentibus, qui in inſtrumento non interuenerunt,
tradunt Menoch. *in conſil.191. nume.83. & conſil.
837. num.21. & 22.* Surdus *in conſil.105. nume.19.
& in conſil.135. num.117.* Oſaſch. *deciſ.138. nu.14.*

Poſtremo dicitur, quod in inſtrumento dicti ſer
Ioan. Pauli quamuis enuncietur venditio, habetur
tamen relatio ad inſtrumentum manu ſer Thomæ.
Nec obſtat dũ dicebatur, ꝙ illa verba vigore inſtru
menti interpretanda ſint, id eſt in exequutionem
inſtrumenti. Quia quando dicitur aliquem con-
tractum fuiſſe celebratum vigore inſtrumenti ma-
nu talis, ſecundum communem vſum loquendi il-
le contractus continetur in inſtrumento nomina-
9 to qui vſus † communis loquendi attendi debet,
l. Labeo, de ſupellec. legata, cum vulg. Minus iuuat
dicere, poſſibile eſſe, quod idem ſer Thomas de eo
dem anno 1577. potuerit inſtrumentum aſſigna-
tionis

tionis conficere, ad quod, & confeſſio reorum, & inſtrumentum ſer Io. Pauli ſe referant. Nam ex d. inſtrumento de anno 1577. d. aſſignatio non debebat fieri, niſi elapſo biennio, & pars pluries in iudi
10 cio facta fuit hoc idem præter quam quod † pluralitas inſtrumentorum, & ſcripturarum non præſumitur, Dec. & alij, *in cap. in præſentia, de probat.* Cephal. *in conſil.* 170. *num.* 45.

Tertiò, non poterant etiam actores in hoc iudicio obtinere, eo quia non fuit per eos factum depoſitum integrum, prout neceſſe erat ad hoc vt ius retractus poſſet habere locum. Cum enim iſta terra quatenus fuiſſet alienata fuerit empta non ſolum pro ſcutis 152. Sed etiam pro alijs ſcutis 30. de quibus in ſecundo inſtrumento anni 1599. & ſic in totum pro ſcutis 182. & tantummodo fuerint depoſitati ſcuti 152. vtique ob talem defectum depoſiti retractus competere non poteſt. Clara eſt enim
11 in iure concluſio, quod ſi † depoſitum deficiat etiã in minimo, non datur retractus, Bald. *in tit. ſi de feudo fuerit controu. inter domin. & vaſſal. §. licet, num.* 1. Alexand. *in conſil.* 130. *num.* 18. *lib.* 3. Neguſant. *de pignor. in ſecunda parte, membr. 3. ſecundæ partis principal.* Roland. *in conſil.* 53. *num.* 42. *&* 43. *lib.* 1. Cepol. *in conſil. ciuil.* 56. *colum.* 2. Dec. *in conſil.* 23. Angel. *in l. acceptam, col. 1. in 2. notabili. & ibi Caſt. C. de vſur.* latiſſimè Tiraquel. *de retractu conuent. §. 4. gloſ. 6. num. 23. & num. 30. & 31. & de retractu lignag. §. 7. gloſ. 3.*

Quartò, quia cum ex ſupradictis ſaltem verſaremur in incertis, & dubijs, vtique erat pronun-
12 ciandum † in dubio contra retractum, cum ſit quid odioſum. Decian. *Reſponſo 11. num. 63. & Reſponſo 69. num. 40. cum ſeq. lib. 4.*

13 Ad hoc tamen vt poſſent † actores in alio iudicio melius probare alienationem, & eius pretium, & melius fundare ſuam intentionẽ, faciendo integrum depoſitum, ne eorum iura perirent, non diſſinitiuè, ſed tantum ab obſeruatione iudicij abſoluimus, ad tradita per Ludou. *Concluſ. 50. per totã.* Barzius *deciſ. 42. nu. 9. & ſeq. & deciſ. 113. nu. 8.* &c.

ARGVMENTVM.

Emphyteuta Eccleſiæ deficiens in ſolutione canonis per biennium, cadit a iure ſuo, etiamſi pendente lite lapſum ſit biennium.

SVMMARIVM.

1 *Emphyteutæ incumbit onus probandi ſoluiſſe canonẽ*
2 *Emphyteuta eccleſiæ ceſſans a ſolutione canonis per biennium cadit a iure ſuo.*
3 *Et poteſt dominus declarare caducitatem, etiam pendente iudicio.*
4 *Forma non ſeruata proceſſus eſt nullus.*
5 *Relatiuum ſine copula ſtat reſtrictiuè, & limitatiuè ad relata.*
6 *Vbi relatum non continet id, quod dicitur in referente, nihil referens poteſt operari.*
7 *Appellatio quando eſt interpoſita ſine legitima cauſa, nulla & vana redditur.*
8 *Pendente lite ſi labitur biẽnium, & emphyteuta non ſoluerit canonem, dominus poteſt declarare eſſe incurſum caducitatem.*
9 *Stylus facit ius, & eſt ſeruandus, & num.* 11.
10 *Nuncius ſi non ſeruauerit ſollemnitates in citatione a ſtatuto requiſitas, non per hoc citatio redditur nulla, ſed nuncius debet puniri, ne defectus nuncij tranſeat in alterius preiudicium.*
11 *Sententia lata ante publicationem proceſſus, & antequam ſint lapſi termini probatorij, nulla eſt.*

DECISIO LXVIII.

IOſeph de Blanco vti procurator Anſani Pera, appellauit ad Rotã a ſententia Do. Iudicis primarum inſtantiarum, lata ad fauorem Reuer. Dom. Ioannis Pierij. Et fuit pronunciatum malè appellatum, & benè iudicatum.

Moti, quia quoad merita cauſæ, viſa fuit talis ſententia confirmatione digna. Cum enim vſque de anno 1598. fuerit facta intimatio inſtrumenti emphyteutici ſupradicto Anſano, & ceſſauerit per biennium continuum in ſolutione canonis, quæ ſolutio, ex quo non fuit probata per d. Anſanum, non
1 dicitur facta, cum † emphyteutæ incumbat onus probandi ſolutionem canonis, non autem domino directi contrarium, ſecundum gloſ. *in l. 2. C. de iure emphyt. in verbo, repellere*, ibi [item quia probauit] quam Doctor. omnes ibi ſequuntur, vt atteſtatur Apoſtillator *ibidem*, & Iaſ. *num.* 132. Et tam de iure communi, *per d. l. 2. & ibi Doctor. C. de iure emphyt.* quam per conuentionem partium,
2 ipſe Anſanus viſum † fuit cecidiſſe a iure ſuo, text. eſt in Authen. *Qui rem, C. de ſacroſan. eccleſ. c. potuit, ext. de locat.* Iaſ. *in l. 2. nume. 96. C. de iure emphyteut.* Corbul. *de cauſ. priuat. ob non ſolut. canon. in princ. nu*
3 *me.* 1. Prout etiam † fuerat declaratum per dominum directi, cecidiſſe d. Anſanum, ante motum iudicium, quæ declaratio ſufficere videtur, etiam ſi eſſet facta pendente iudicio appellationis, vt tradunt Capic. *deciſ. 16. num. 6.* Rota Romana *deciſ. 187. num. 4. par. 2. diuerſorum.*

Quo vero ad præſentem appellationem, viſa fuit nulla, atque deſerta, cum fuerit interpoſita a d. ſer Ioſeph vti procuratore d. Anſani, & tamen non conſtat de aliquo eius mandato, nec fuit productum in prima comparitione, vt requiritur *per*
4 *cap. 26. ſtat. in fine.* Et propterea † proceſſus redditur nullus ex defectu formæ non ſeruatæ. Aſinius *in praxi §. 28. cap. 3.*

Nec ſuffragari videtur quod d. Ioſeph ſe retulerit ad inſtrumentum mandati, de quo in actis primæ inſtantiæ. Quia in dictis actis tale mandatum non aderat, ad quod ſe retulit, & reſtrinxit per re-
5 latiuum † ſine copula, quod ſtat limitatiuè, & reſtrictiuè, ad acta relata, *l. ea tamen adiectio*, vbi Bar.

de

de leg.3. Corneus in conſil.25.num.16.lib.4. Ruin. in conſil.188.nu.8.lib.2.de communi, Gozad.in con
6 ſil.26.num.46. Et quando † relatum illud non continet, quod continetur in referente, nihil poteſt referens operari, vt ex communi tradit Cagnol. in Authent.Si quis in aliquo,num.20.C.de edendo.Crauet. in conſil.273.nu.6. Beccius in conſil.56.nu.20. de communi, Eugen. in conſil.7.num.38.

Nec obſtare videtur dum ex aduerſo dicebatur, quod cum ſententia D. Iudicis a quo, contra Anſanum prolata, ei notificata minimè fuerit, tempus ad appellandum contra eum nunquam cucurrit. Quia dicitur, hæc habere tantummodo locum ad hoc vt ſibi licuerit appellare, non obſtante lapſu temporis (prout fecit) ſed cum nec etiam poſt interpoſitam appellationem, & ſic poſt habitam ſcientiam ſententiæ d. Anſanus non probauerit canonem ſoluiſſe, tam ante litem motam, quā appellationis iudicio pendente integrè, iuxta pactum in inſtrumento emphyteutico appoſitum ſuc
7 cumbere debebat. Ex quibus † friuola, ac vana redditur eius appellatio, cum ſine legitima cauſa videatur interpoſita, Gemin. in cap.cum appellationis, col.2.verſ. quæro quid importet,de appellat.lib.6. Maranta de ordine iudic. parte 6. artic.2. nume.336. Et ideo per Iudicem non eſt admittenda, d.cap.ap
8 pellationibus, & Maranta, vbi ſupra.Cum de † iure etiam pendente iudicio labatur biennium, & cadit emphyteuta, quoniam ius ſuperueniens lite pēdente ex cauſa de præterito prodeſt, vt tradunt Capic. deciſ.16.num.6.ac ſæpius tenuit Rota Romana, vt per Achill. deciſ.1. de locat. Puteus deciſ. 426. lib.3.Caput Aquenſ. deciſ.299.par.1.& deciſ. 187.num.4.par.2.diuerſor.Corbul.de cauſ. priuat.ob non ſolut.canon.ampl.16.nu.5. Surdus deciſ.6.nu.1. In caſu verò noſtro non ſolum biennium, ſed etiā triennium & vlterius erat elapſum. Igitur &c.

Nec etiam obſtare videtur dum dicebatur dictum Anſanum non fuiſſe legitimè citatū, ex quo in relatione nuncij dicentis ſe citaſſe d. Anſanum domi ſuæ habitationis, non exprimitur parochia, contrata, vel Commune in quibus d. domus eſt ſituata; Item non fuit adhibitus teſtis in citatione, quæ omnia requiri videntur ex diſpoſitione ſtatuti lib.1.cap.16.in fine.

Namque dicitur ſupradictam formam in citationibus licet tradatur per ſupra allegatum ſtatutum, attamen non fuiſſe vſu receptam, ex multis proceſſibus ab annis multis citra in actis productis apparet, & ex multis alijs, quæ coram nobis fuerunt producta cernitur, in citationibus & relationibus ſeruari eamdem formam, quæ in præſenti
9 ſeruata fuit,qui † ſtylus ius facit, cap. ex litteris,vbi Canoniſtę,de conſtit. & Io. de Amic. in conſil.42.nume.1.Et probatur per acta publica, & inſtrumēta.

Dicebatur etiam, quod cum tale ſtatutum non procedat annullando tales citationes, non erant
10 declarandæ nullæ. Sed cum obliget ipſum † nuncium ad ſeruandam talem formam, ſi eam non ſeruet erit puniendus pro tali omiſſione, non autem citatio annullanda, ne defectus nuncij tranſeat in pœnam alterius, vt in terminis citationis tradit Neuizan. in conſil.70.num.24. cum ibidem allegatis. & eſt doctrina Bart. in l.Prætor ait, C.de noui oper. nunciat. Abbas in cap.fraternitatis,num.35.cum ſeq. de dolo & contum. Alex. in conſil.24. lib.4.

Minus obſtant quæ in calculo ferendæ ſententiæ deducebantur pro parte d. Anſani, quod ſen-
11 tentia † ſit nulla ex quo lata in contumaciam dicti Anſani ante publicationem proceſſus, nec lapſis terminis probatorijs, ad tradita per Carpan. ad ſtatut. Mediol. cap.131. num. 251. Barzius deciſ.75. nu.40. Lepidus deciſ. Lucana 31. per totam. Gratus in conſil.77.num.5.vol.2.

Quia dicitur, quod cum ſententia fuerit lata in contumaciam, non dantur termini probatorij, nec publicatur proceſſus, qui non fuit fabricatus, ſed proceditur contra contumacem per viam citationum ad dicendam cauſam, quare &c. Et binis citationibus præcedentibus, fit condemnatio, & ita ſeruat ſtylus, qui facit ius, vt ſupra dictum eſt.

Sicuti etiam non obſtat quod alij colliuellarij cum dicto Anſano per ſententiam Dominorum de Rota confirmatam a tertio Iudice fuerint abſoluti a prætenſa caducitate, quo caſu caducitas dicti Anſani cauſa primæ ſententiæ aduerſus eam prolatæ reducta fuit ad non cauſam, & proinde prima ſententia inualida remanet, plenè Surd. deciſ. 164.nu.14. & 289.num.18.

Nam reſpondetur, quod d. ſententia non poterat in aliquo opitulari dicto Anſano, cum ipſe in ea non ſit nominatus, & quia non militant rationes propter quas ita Rota pronunciauit, inter quas ea potiſſima fuit, quod ſcilicet alijs colliuellarijs tamquam ſucceſſoribus in emphyteuſi non fuit notificatum huiuſmodi inſtrumentum liuelli, vt ex deciſione apparet. Quia cum ipſe Anſanus fuerit vnus ex primis acquirentibus nominatis in inſtrumento emphyteutico, talis notificatio non requirebatur quoad ipſum, & ſic ceſſat ratio ſententię, quæ notificatio cum poſtea fuerit facta per Dominum directi dictis emphyteutis, merito vltimo loco fuit pronunciatum contra dd. emphyteutas ad fauorem domini directi, multis rationibus, & fundamentis, de quibus in deciſione, per quæ idem quoque veniebat iudicandum contra prædictum Anſanum, qui nec etiam in proceſſu appellationis docuit a tanto tempore citra ſe ſoluiſſe debitas penſiones, &c.

ARGVMENTVM.

Ab interlocutorijs Iudicis delegati ad quem detur recurſus, an ſcilicet ad delegantem, an vero ad iudicem ordinarium.

SVMMARIVM.

1 *Statutum particulare in aliquo caſu quando adeſt, eſt attendendum; non autem generale.*

Appella-

2 *Appellatio a pronuncijs Iudicis delegati datur ad Iudicem delegantem, non autem ad ordinarium Iudicem appellationis, cum per delegationem ſit ſublata facultas omni alio Iudici in ea ſe intromittendi.*

3 *Recurſus friuolus iniuſtus, ac ad dilatandum interpoſitus non ſuſpendit iuriſdictionem.*

4 *Mandati defectus per celerem correctionem emendari poteſt.*

5 *Iudex qui habet facultatem procedendi in cauſa ſine ſtrepitu, & figura iudicij, & abſque obſeruatione legum & ſtatutorum, poteſt omittere ſollemnitates requiſitas.*

6 *Quæ fiunt incontinenti dicuntur facta in tempore.*

7 *Abſurda, & monſtruoſa in iudicijs ſunt ſemper euitanda per Iudices.*

DECISIO LXIX.

MAgnificus Procurator Illuſtr. Do. Eliſabeth de Burlamacchis interpoſuit recurſum ad Rotam a pronuncia D. Iudicis primarum inſtantiarum, ad fauorem Spectab. Philippi Burlamacchi. Et per nos fuit pronunciatum tali recurſui non fore, nec eſſe deferendum.

Moti, quia cum præſens cauſa fuerit per Excel. Conſilium delegata Iudici Ordinario, & ipſe pronunciauerit eſſe procedendum ad vlteriora, vtique recurſus interpoſitus non videtur aliquo modo poſſe ſubſiſtere.

Primò, quia in huiuſmodi cauſis delegatis ab interlocutorijs earum nullus alius recurſus, niſi ex capite incompetentiæ conceditur, per decretum Excel. Conſilij de anno 1571. ſub die 12. Maij, & *per cap. Rotę 30.* Quod etiam tempore d. decreti erat emanatum, vt ex veteri impreſſione dictorum cap. Rotæ nobis conſtitit, vnde cum recurſus interpoſitus fuerit ex defectu iuriſdictionis *per cap. Rotæ 29.* & reſpectu nullitatis, & iniuſtitiæ *per cap. Rotę 31.* viſum fuit nullo modo poſſe ſubſiſtere. Primus enim recurſus, *per cap. Rotæ 29.* conceditur a pronuncijs iudicum ordinariam iuriſdictionem habentium, non autem delegatam, vt in terminis d. c. declarat Cornaz. *deciſ. 196.* Vel ſaltem poſſet procedere in ſententijs diffinitiuis, in quibus delegatos iuriſdictionem exceſſiſſe prætenderetur. Secundus verò ſimiliter non ſubſiſtebat, quia *cap. Rotæ 31.* loquitur in valde diuerſis terminis, & tam primus, quam ſecundus videntur omnino excluſi, & omnes alij in talibus interloquutorijs, excepto ex capite incompetentiæ, per alle-
1 gatum decretum Excel. Conſilij. Et cum † habeamus ſtatutum particulare, videlicet *cap. 30. Rotę*, prouidens in hoc caſu, illud eſt attendendum, & non generale. Bart. *in l. quęritur, num. 12. ff. de fundo inſtruct.* quem refert & ſequitur Soc. iun. *in conſil. 40. num. 6. lib. 1.*

Secundò, quia de iure a pronuncijs iudicis dele-
2 gati datur recurſus, ſiue † appellatio ad Iudicem delegantem, non autem ad Iudicem ordinarium appellationis, qui in talibus caſibus non eſt iudex appellationis, ſed tantum eſt iudex ipſe delegans; cum per delegationem ſit ſublata facultas omni alio iudici in ea ſe intromittendi. Honded. *in conſil. 28. num. 13. vol. 2.* Lepidus *deciſ. 55. col. 1.*

Nec obſtat quod in delegatione ſupradicta ſit conceſſa appellatio ad Rotam, vnde ſi conceditur appellatio, multo magis conceditur recurſus; cui enim conceditur quod plus eſt, etiam cenſetur cõceſſum quod minus eſt, iuxta iura vulgaria. Quia reſpondetur, appellationem eſſe conceſſam a ſententia diffinitiua, non autem ab interloquutoria, vt clarè colligitur ex verbis d. decreti, vbi dicitur, [dalla quale ſentenza ſi dia l'appello alli Giudici di Rota d'appello.]

Tertò, quia quando etiam eſſemus in caſibus in quibus de iure liceret recurrere, cum tamen præ-
3 ſens recurſus † manifeſtè viſus fuerit friuolus, iniuſtus, ac ad dilatandum interpoſitus, non ſuſpendit iuriſdictionem. Lancellot. *de Attent. cap. 12 limit. 6. num. 1. cum ibi allegatis.* At cum in pronuncia D. Iudicis a quo, non appareat aliquis defectus iuriſdictionis, cum ei ſit commiſſa cognitio huius cauſæ per Excellentiſſ. Principem *cum annexis*, &c. nec conſtet de aliqua iniuſtitia, ac nullitate, mandando procedi ad vlteriora, merito, &c.

Nec obſtare videtur quód dicebatur non fuiſſe factam fidem de mandato per procuratorem tempore ſuæ primæ comparitionis, ex quo ſequi videtur, quod nullatenus audiri debeat per ſtatutum, *lib. 1. cap. 26. & cap. 33. iuncto cap. Rotæ 42.* Quia dicitur, ex proceſſu apparere contrarium, cum in tẽpore fuerit facta productio eius mandati. Nec dicatur non adeſſe ſubſcriptionem Notarij, quia aderat talis ſubſcriptio, vt in proceſſu videri poterat, & quatenus etiam non adeſſet, ex quo erat idẽ notarius, qui erat cauſæ etiam actuarius, videtur
4 ſufficere, maximè † cum die ſequenti per iteratam ſubſcriptionem ſanatus fuerit prætenſus defectus, ad tradita in fortioribus terminis per Rotam Romanam, *in nouiſſim. deciſ. 688. nu. 2. par. prima.* Crauet. *in conſil. 108. num. 2. & 3.*

5 Accedat etiam cum in reſcripto † data ſit facultas Iudici cognoſcendi hanc cauſam ſine ſtrepitu, & figura iudicij, [& ſenza oſſeruare alcuna ſolennita di leggi, o ſtatuti,] ita enim dicitur in delegationis decreto, etiam ſi omiſſa fuiſſet talis ſubſcriptio, quæ non videtur neceſſaria, cum optimè appareat de mandato, & de notario rogato de eo, non per hoc videtur dicendum non eſſe audiendũ d. Procuratorem, ad tradita per Oſaſcb. *deciſ. Pedemont. 1.* Grammat. *deciſ. 19.* Benintend. *deciſ. 44.* Marcũ Ant. de Amat. *deciſ. 61.* Rota *in nouiſſ. de-*
6 *ciſ. 256.* maximè cum † d. ſubſcriptio fuerit appoſita ſequenti die, & ſic fere incontinenti, ad tradita per Menoch. *de arbitr. iudic. caſu 9. ſub num. 4. & caſibus ſequentibus.*

Non omittendo quod ſi talibus recurſibus aperiretur aditus, ſequeretur quod mens Excel. Conſilij valde læderetur; cũ enim prudentiſſimi Principis intentio ſit, tales cauſas delegare, ad hoc vt celeri expeditione terminentur, ſi poſſet ab interloquutorijs iudicum delegatorum prædictis mo-

dis

dis recurſus haberi in tempus longum protraherentur cauſæ, cum maior eſſet inſtantia talium recurſuum, quam cauſæ principalis, ex quo eſſet in ipſis recurſibus procedendũ diebus vtilibus, prout diſponitur per allegata cap. Rotæ, & eſſent etiam repugnantes reſcripto Principis, mandans procedi in cauſa principali diebus currẽtibus, & ſic vno modo procederetur ſuper cauſa principali, & alio
7 modo ſuper recurſu, quod eſſet † monſtruoſum, atque abſurdum; quæ omnia ſemper ſunt euitanda per Iudices, *l. nam abſurdum, iuncta l. præcedenti, ff. de bonis libert. l. aliud, §. abſurdum, ff. de regul. iur. l. Offidius quidem, vbi communiter notant Doctor. ff. de legat. 3.* &c.

ARGVMENTVM.

Retractui patrimoniali quando & ex quibus cauſis locus eſſe minimè poſſit latiſſimè tractatur. Et quando contractus dicatur ſimulatus.

SVMMARIVM.

1 *Statutum de retractu debet intelligi vt habeat locum in venditione vera, & reali, non autem in ficta, & ſimulata.*
2 *Venditio ficta, & ſimulata nullum transfert dominium.*
3 *Pactum de retrouendendo minuit pretium in tertia, vel etiam minori parte.*
4 *Leſio vbi adeſt vltra dimidiam in contractu venditionis, tunc non fit detractio aliqua pretij ob pactũ de retrouendendo in eo appoſitum.*
5 *Tertia pars pretij, quæ eſt detrahenda ob pactum de retrouendendo, debet detrahi habito reſpectu ad tempus celebrati contractus, non poſtea, licet valor rei creuerit.*
6 *Media via in dubio eſt eligenda.*
Alteratio & mutatio in rebus non præſumitur.
7 *Redditio rationis non eſt neceſſaria in depoſitione peritorum.*
8 *Teſtes electi ad æſtimationem bonorum, dicuntur reddere ſufficientem rationem eorum dicti, quando deponunt bona per eos æſtimata quod ita communiter venderentur, & emerentur.*
9 *Periti in reddenda ratione, ſufficit quod deponant ſecundum eorum peritiam.*
10 *Ex quantitate fructuum probatur valor fundi, & nume. 13.*
11 *Inſtrumentum poſt paucos annos factum, probat valorem rei, qualis erat ante tempus inſtrumenti celebrati.*
12 *Fructus de iure commenſurantur ad rationem quinque pro centenario.*
14 *Ad reddendum contractum ſimulatum, quando interueniunt aliæ coniecturæ vltra pactum recompræ, ſufficit leſio in tertia parte.*
15 *Quę ſit leſio ſufficiens ad reddendum contractum ſimulatum vltra pactum de retrouendendo remittitur arbitrio Iudicis.*
16 *Contractum eſſe ſimulatum coniecturis, veriſimilitudinibus & preſumptionibus probatur.*
17 *Simulatio contractus probatur ex modicitate pretij iuncto pacto de retrouendendo.*
18 *Simulatio item probatur, quando venditor diuidit vel vendit rem venditam, quia prima venditio non præſumitur vera, ſed ficta.*
19 *Simulatio arguitur ex inſolitis & non conſuetis.*
20 *Simulatio contractus deducitur ex penſione ſoluenda per venditorem, quando eſt plus ſcutorum quinque pro centenario; quia tunc præſumitur conſtituta commenſurato pretio exburſato, & non vt bonis et fructibus correſpondeat.*
21 *Simulatio probatur quando poſt contractum perfectum, emptor locauit venditori bona vendita, contenta in pacto recomperæ.*
22 *Simulatio probatur quando venditor remanſit in poſſeſſione rei venditæ.*
23 *Simulatio probatur, quando in inſtrumento venditionis declaratur, quod in caſu recomperæ venditor teneatur ſoluere expenſas gabellarum, & inſtrumentorum.*
24 *Simulationis & læſionis materia eſt arbitraria Iudicis.*
25 *Coniecturæ ſufficientes ad arguendum contractum de fęnore, & ſimulatione, ſunt etiam ſufficientes ad perpetuandum pactum temporale.*
26 *Redemptio quando fuit facta propter pactum de retrouendendo, talia bona redempta dicuntur reuerſa ad eorum priorem naturam, ac ſi numquam alienata fuiſſent.*
27 *Debet tamen talis redemptio fieri intra tempus ſtatutum ad redimendum.*
28 *Eſt nihilominus locus redemptioni poſt elapſum tempus præfixum, quando fuit facta talis redemptio ante oblatum pretium, & motum iudicium a conſanguineo, & facit ceſſare ius retractus; & in hoc caſu habet locum præuentio.*
29 *Iudex in iudicio debet ſequi opinionem ęquiorem, licet altera ſit verior, & magis communis.*
30 *Vbi in venditione cum pacto de retrouendendo adeſt leſio vltra dimidiam, tunc pactum illud temporale efficitur perpetuum.*
31 *Et ad perpetuandum tale pactum ſufficit, quod venditio ſit minor iuſto pretio.*
32 *Et bona redempta vigore pacti recomperę dicuntur acquiſita ex veteri cauſa pacti de retrouendendo, & non ex noua.*
33 *Et ad retractum admittuntur proximiores in gradu de agnatione.*
34 *Deſcendentes ex vna linea, quando ſunt admiſſi ad ſucceſſionem alicuius rei, donec exſtãt de illa linea, ipſi debent admitti remotis alijs linearijs.*
35 *Retractus, qui competit vigore ſtatuti, non habet locum, quando res patrimonialis fuit pluries alienata: quia ſtatutum debet intelligi de prima vice tantum.*
36 *Pręſcriptione 30. & 40. annorum omnis actio tollitur.*
37 *Retractus pręſcribitur ſpatio 30. annorum.*
38 *Pręſcriptio non currit contra minores.*

39 Præſcriptio non currit tempore feriato, & in quo curia non ſedit.

40 Non valenti agere, non currit præſcriptio.

41 Præſcriptio incboata cum defuncto, currit contra minorem, & adultum hæredem ipſius defuncti,

42 In præſcriptione non fit detractio temporis ob minorem ætatem, & ob dies, in quibus Curia non ſedit, quando ſumus in præſcriptione triginta vel quadraginta annorum.

43 Statutum recipit interpretationem a iure communi, & ita eſt intelligendum, vt illud minus corrigat, quam fieri poßit.

44 Poſſeſſio redimentis bona vigore pacti de retrouendendo ſpacio decem annorum, vel viginti ſufficit ad excludendum conſanguineum.

45 Tempus aſſignatum a ſtatuto ad retrahendum eſt vtile, & ideo non currit aduerſus ignorantes.

46 Item & tempus quadriennij datum a lege ad petendam reſtitutionem in integrum, vtile eſt, & per conſequens non currit aduerſus ignorantes.

47 Ius retractus præſcribitur ſpacio 30. annorum etiam aduerſus ignorantes.

48 Tempus datum a ſtatuto licet ſit vtile, tamen quando labitur curſus 30. ann. non conſideratur ſcientia, vel ignorantia; quia talis præſcriptio currit tam aduerſus ſcientes, quam ignorantes.

49 Reſtitutio in integrum ex capite ignorantiæ ad hoc vt concedatur, requiritur ignorantia, quæ erit probanda ab eo, qui eam allegat. Item talis ignorantia debet eſſe probabilis, & quod aduerſus eam non vigeat preſumptio ſcientiæ.

50 Conſanguineus præſumitur ſcire facta conſanguinei, & num. 76.

51 Et talis ſcientia, quę reſultat ex eo, quod quis eſt conſanguineus, ſufficit ad denegandam reſtitutionem in integrum.

52 Item tollitur reſtitutio in integrum, quando contra eam viget præſumptio ſcientiæ, eo quia erat vicinus, & num. 77.

53 Teſtis vnicus, & deponens per, verbum (credo) plenè probat contra producentem, & num. 78.

54 Scientiã cum ſit difficilis probationis ſufficit probari per coniecturas, & præſumptiones.

55 Conſanguineus agens ad retractum, tractat de lucro captando.

56 Reſtitutio in integrum non datur aduerſus præſcriptionem 40. ann. conſanguineo retrahere volenti ex capite ignorantiæ, & num. 59.

57 Reſtitutio in integrum non datur ei, qui tractat de lucro captando, ſed illi ſolum, qui agit de damno euitando.

58 Reſtitutio in integrum non datur aduerſus præſcriptionem 40. annorum.

60 Notificatio facienda agnatis ab illo qui vult alienare iuxtà diſpoſitionem ſtatuti, non eſt facienda agnatis minoribus.

61 Notificatio præſumitur facta agnatis ab illo, qui vendidit, quando elapſum eſt tempus 40. ann.

62 Ioſeph Ludouicus reprehenditur in decisione Lucana 52.

63 Sollemnitas extrinſeca ex curſu 30. & 40. annorum præſumitur, etiam in præiudicium tertij.

64 Sollemnitas extrinſeca non præſumitur in his, quæ ſunt magni præiudicij, ex curſu temporis.

65 Fallit in præſcriptione lõgiſſimi temporis 30. & 40. annorum; quia tunc præſumitur etiam in rebus magni præiudicij.

66 Remittitur arbitrio Iudicis, an, & quando debeat præſumi ſollemnitas extrinſeca.

67 Præſumptio iuris habetur pro perfecta probatione.

68 Sollemnitas non præſumitur adhibita ad actum in his, in quibus requiritur ſcriptura.

69 Habet locum Concluſio, quando non conſtat de actu, quia tunc requiritur ſcriptura, nec præſumitur ſollemnitas, ſecùs quando conſtat de actu, quo caſu ſollemnitas neceſſaria præſumitur adhibita, ad hoc vt actus valeat.

70 Sollemnitas extrinſeca ſemper ex curſu temporis præſumitur adhibita, licet nec enunciata, nec ſcripta fuerit.

71 Sollemnitas non præſumitur adhibita, vbi ex facie inſtrumenti conſtat non interueniſſe.

72 Quod procedit vbi ex facie inſtrumenti legitur & enunciatur ſollemnitàtes non interueniſſe.

73 Sollemnitas extrinſeca quod præſumatur ex lapſu tẽporis, intelligi debet, quando interuenit ſcientia illius, qui actum impugnare debebat.

74 Quod non procedit, quando adeſt lapſus 30. vel 40. annorum, quia tunc etiam ſtante ignorantia, ſollemnitas præſumitur.

75 Præſcriptio longiſſimi temporis triginta, vel quadraginta annorum currit tam aduerſus ſcientes, quam ignorantes.

79 Teſtis vnicus licet probet contra partem producentem, fallit tamen quando ipſa pars publicato proceſſu, declarauit ſe nolle vti dicto illius teſtis.

80 Contraria tamen opinio eſt magis communis.

81 Teſtis licet non fuerit reproductus a parte pro qua examinatus fuit, quando tamen reproducitur ab alia parte contra quam inductus fuit, probat.

82 Producens aliquem in teſtem, licet eius dicto nollet vti, eius tamen perſonam dicitur approbare.

83 Opinio Ludouici deciſione Lucana 52. repobatur.

84 Ius retractus tranſmittitur ad hæredes de iure communi.

85 Statutum Lucę, quod ius recomperæ non poſſit vendi, cedi, vel transferri quouis titulo, & cet. comprehendit titulum pro hærede, & operatur, quod ius recomperæ competens patri, non poſſit in filium transferri.

86 Fallit quando lis fuit incboata a defuncto, quia non obſtantę ſtatuto ius recomperæ tranſmittitur ad filium.

87 In dubio eſt pronunciandum contra retractum.

88 Statutum de retractu eſt correctorium iuris communis.

89 In dubio ad fauorem rei eſt pronunciandum.

90 Statutum requirens, quod qui vult retrahere, debeat probare rem alienatam fuiſſe aſcendentium, verificatur quando eſt probatum fuiße patris, & aui.

91 Inſtrumentum conceßionis alicuius rei in præmium emancipationis, non probat dominium.

Poſſeßio

92 *Poſſeſſio patris præſumitur continuata in filijs.*
93 *Inſtrumentum non probat contra tertium.*
94 *Hæres & habens cauſam a defuncto, non dicitur tertius, ſed eſt eadem perſona cum ipſo defuncto.*
95 *Inſtrumentum defuncti probat contra hæredem.*
96 *Inſtrumentum non probat niſi inter perſonas, quæ notarium rogauerunt.*
97 *Plura inſtrumenta probant contra tertium, & quando ſunt antiqua probant dominium, & poſſeſſionem.*
98 *Dominium, & poſſeſſio ex pluribus coniecturis, & præſumptionibus probatur.*
99 *Depoſitum debet fieri per conſanguineum retrahere volentem, qui ſi in re minima defecerit, non eſt locus retractui.*
100 *Non requiritur depoſitum quando requiſitus vt vendat, recuſauit, quo caſu ſufficit verbalis oblatio.*
101 *Oblatio verbalis facta in iudicio eumdem effectum producit, ac ſi reale depoſitum extraiudicialiter eſſet factum.*
102 *Depoſitum non requiritur quando conſanguineus vult retrahere pro pretio liquidando.*

DECISIO LXX.

IN cauſa appellationis interpoſitæ per DD. Baronum Ioſeph Baroni, ac Hippolytum Lucheſium, necnon & Spect. Thomã de Antognolis tertium cõparentem a ſententia Illuſtr. Do. Iudicis primarũ inſtantiarum, lata ad fauorem admodum Reuer. D. Ioan. Baptiſtæ, ac Spect. Alexandri Antognoli, fuit per Rotam pronunciatum, benè appellatum, & malè iudicatum, ex infraſcriptis, &c.

Primò, quia ius retractus, quod præfati Reuer. D. Ioan. Baptiſta, & Spect. Alexander de Antognolis, habere prætendebant ſuper bonis petitis, illud fundabant ſuper alienatione facta per Franciſcum Antognolum ſeniorem, de anno 1560. in Spect. Petrum Bernardinium abſque eo, quod inquiſiti fuerint Capitanius Vincentius, & egreg. ſer Lazarus eorum patres, iuxta diſpoſitionem ſtatuti *lib.2.cap.78.* per quam aſſertam bonorum venditionem tale ius non competere dd. actoribus viſum fuit; cum enim in tali alienatione adeſſe videretur non ſolum enormis, ſed etiam enormiſſima læſio, multæque vrgentiſſimæ coniecturæ, & præſumptiones in ea vigerent, ex quibus non vera venditio, ſed ficta, & ſimulata, ac potius pignus iudicanda videretur, & per conſequens dicendum eſ-
1 ſet non † adeſſe aliquam venditionem veram, ac realem, quo caſu non habet locum diſpoſitio intentati ſtatuti *in d.cap.78.lib.2.* Sicuti in terminis declarat Caſtrenſ. *in conſil.74. nume.1. cum ſeq. lib.2.* Affict. *deciſ.339. per totam.* Tiraquel. *de retractu lignag. §.1. gloſ.2. num.12.* Carpan. *ad Stat. Mediolan. cap.417. num.137.* Surd. *deciſ.122. nu.11.* Statutum enim prædictum eſt factum, vt bona in agnatione, & familia conſeruentur, & propterea non habet locum, niſi quando ex alienatione facta per agnatum transfertur dominium extra familiam vendi-
2 toris, & proinde † non procedit in contractu, & venditione ſimulata, quia ex ea nullum transfertur dominium. Franciſc. Becc. *in conſil.52. nu.35. & 36.* Marc. *deciſ.107. nu.4. par. ſecunda.* Decian. *Reſponſo 105. num.33. lib.2.* Honded. *in conſil.46. num.10. lib.1.* Achilles Pedroch. *in conſil.36. numero 127.*

Læſio autem prædicta ex multis videtur deprehendi. Primò, quia bona, de quibus agitur, reſpectu duarum partium petitarum vendita fuerunt per Franciſcum Antognolum ſeniorem, DD. de Bernardinis de anno 1560. pro ſcutis 600. vt ex ipſo inſtrumento venditionis conſtabat, quibus addi
3 ta tertia parte dd. ſcutorum 600. propter † pactũ recomperæ, quod minuit pretium in tertia, vel etiam minori parte. Socin. ſen. *in conſil.15. nu.55. in fine, vol.1.* Tiraquel. *de retrac. conuent. in præfat. num.20.* Roland. *in conſil.91. num.41. lib.2.* Lupus *in l.2. C. de pact. inter empt. & vendit. commen.2. §.5. num.159.* Barzius latè *deciſ. Bonon. 123. num.12. &*
4 *ſeq.* quatenus tamen eſſet computanda; nam † quãdo læſio eſt in dimidia iuſti pretij, (vt hic erat) ſecundum opinionem multorum, non fit aliqua detractio pretij ob pactum de retrouendendo. Gabriel. *in conſil.74. num.2. lib.1.* Gallia *in conſil.89. num.9.* Laderch. Imol. *in conſil.132. col.2. verſ. ſed*
5 *verius,* Borgnin. *deciſ.16. num.8. par.2.* Quæ † tertia pars, cum importet ſcutos 200. faciunt ſummam ſcutorum 800. & quæ tertia pars debet conſiderari habita ratione temporis contractus, *l.2. l. ſi voluntate, C. de reſcind. vendit.* & non poſtea, licet valor creuerit. Socin. ſen. *in conſil.48. num.3. vol.4.* Modo cum a dicta venditione vſque ad diem moti iudicij creuerit pretium dd. bonorum in duobus tertijs, vt ex teſtibus examinatis optimè colligitur, quorum alter deponit de medietate, alter de tribus quintis, & alter de duobus tertijs, vltimus verò de triplicatione pretij. Vnde amplectentes
6 mediam † viam, prout in ſimilibus fieri conſueuit, Salic. *in l.2. C. de reſcind. vendit.* Aret. *in l. ex facto, §. item quæro, ff. de vulgar. ſubſtit.* Afflict. *deciſ.240. num.5.* Borgnin. *deciſ.46. num.177. par.1.* Ruin. *in conſil.92. num.8. lib.4.* Alex. *in conſil.84. nu.9. lib.2.* Surdus *in conſil.452. num.68. lib.3.* Videlicet duo tertia dd. ſcut. 800. ſic enim debent iſta duo tertia conſiderari habita ratione ſcutorum 800. non autem 4100. augmenti valoris bonorum, prout prætendunt actores, quia ſic computarentur duo tertia valoris ſecundum tempus præſens, & non ſecũdum valorem temporis antiqui venditionis, qui quidem valor temporis antiqui creuit in duobus tertijs, & non valor temporis præſentis, vt patet ad ſenſum, & deponunt teſtes, quæ duo tertia, important ſcutos 526. quibus additis dd. ſcutis 800. facient ſummã ſcut. 1326. Ex quo apparet, quod hæc bona fuerunt vendita habito reſpectu temporis moti iudicij propter talem cõputationem pro ſcut. 1326. & tamen per teſtes examinatos pro parte Baronorum, hæc bona prætendebantur valere ſcut. 4100. Ex quo optimè conſtare videtur de læſione vltra dimidiam, & ſatis pluris.

Nec viſum fuit in hoc poſſe attendi inſtrumen-

ta, & alia omnia, quæ vltimo loco, & in calculo
ferendæ ſententiæ fuerunt per DD. Actores pro-
ducta, cum hæc facta fuerint extra tempus a cap,
Rotæ 47. præfixum, & propterea in nihilo ſint at-
tendenda, vt diſponitur per idem cap. Rotæ.

Sicuti etiam paruifaciendum duximus dum ꝑ
parte dd. actorum dicebatur, talem æſtimationem
non poſſe modo fieri de tempore factæ venditio-
nis; cum dicatur mutata facies loci, quod appare-
re aſſerebant ex teſtibus examinatis deponentibus
vidiſſe in dd. Bonis arbores nouellas. Quia licet ali
quis teſtis dicat vidiſſe vites iuuenes, oliuas, arbu-
ſculasq; alias, non per hoc dicitur ſufficienter pro-
bata talis loci mutatio, ac faciei, vt in hoc potue-
rimus facere aliquod fundamentum, cum hæc ap-
poni potuerint in locum arborum demortuarum,
& hoc quia paſſim boni patrisfamilias in bonis ſuis
facere conſueuerunt, Rota Romana *in nouiß. par.*
1. deciſ. 398. num. 6. Et quia de iure alteratio, & mu
tatio non præſumitur, text. eſt *in l. ſi verò, §. qui pro*
rei qualitate, ff. qui ſatiſd. cogant. Alex. *in conſil. 81.*
num. 4. lib. 5. Roman. *in conſil. 295. nu. 8.* Menoch.
in conſil. 1. nu. 121. lib. 1. Rim. iun. *in conſil. 9. nu. 30.*
li. 1. Maſcard. *Concl. 1078. nu. 10.* Decian. *Reſpon-*
ſo 44. num. 20. lib. 1. Et qui dicit contrarium proba
re tenetur. Baldus *in l. 3. num. 5. C. de probat.* & per
Pedroch. *in conſil. 36. nu. 79.* Menoch. *de præſumpt.*
lib. 6. præſumpt. 25. num. 3. & præſumpt. 42. nu. 13.
eod. lib. 6.

Nec obſtare viſa ſunt ea, quæ contra teſtes præ
dictos opponebantur, & maximè quod non pro-
bent d. valorem, & pretium bonorum, cum non
reddant ſufficientem rationem eorum depoſitio-
7 nis, Quia dicitur, quod † talis redditio rationis
non eſt neceſſaria in peritorum depoſitione, vt ex
multis affirmat Maſcard. *in concluſ. 1169. num. 15.*
hi enim periti non ſunt propriè teſtes, ſed magis
vti iudices ad decidendum id, ad quod aſſumun-
tur, vt tradit Farinac. *de oppoſit. contra dicta teſtium*
8 *quæſt. 68. num. 95. cum ibi allegatis.* Secundò, † quia
cum deponant, quod communiter dd. bona ven-
derentur, & emerentur pro ſumma per eos depoſi
ta, hoc videtur ſufficere, ſecundum practicam
quotidie ſeruatam ad probandum valorem bono-
rum. latè Lupus *in l. 2. §. 5. num. 121. C. de pact. inter*
empt. & vendit. Maſcard. *in concluſ. 1396. num. 6.*
9 *lib. 3.* Tertiò dicitur, quod cum † ſint periti in tali
arte æſtimandi ſufficit, quod deponant ſecundum
eorum peritiam artis, prout tradunt Barzius *deciſ.*
123. num. 12. Menoch. *in conſil. 1174. nu. 34. lib. 12.*
Farinac. *de oppoſit. contra dicta teſtium, quæſt. 70. nu.*
102. Quarto, quia videntur reddere ſufficientem
rationem, dum dicunt dd. bona vidiſſe, æſtimaſſe,
menſuraſſe, ac conſideraſſe fructus, qui ex illis per-
10 cipi poſſunt, cum † ex quantitate fructuum, valor
rei immobilis probetur *l. in fundum, ff. de rebus eo-*
rum. Maſcard. *Concluſ. 611. num. 1.* Farinac. *de op-*
poſit. contra dicta teſte, quæſt. 20. num. 127.

Quod autem dicitur dd. teſtes non probare va-
lorem dd. bonorum propter diuturnitatem tempo
ris annorum ferè 50. decurſorum, dicitur hoc pro-
cedere, quando deponerent quod ſummam quam
modo teſtantur valere bona æſtimata, eamdem aſ
ſererent bona æſtimata valuiſſe tempore antiquo,
ſed quando fit æſtimatio detracto augmento, quod
bona fecerunt ob temporis curſum, tunc non pro-
cedit regula, quod a pretio de præſenti non poſſit
argui pretium de antiquo, alias eſſet impoſſibile
probare læſionem aliquam, quando interueniſſet
temporis diuturnitas, ſed quotidie practicatur,
quod pretium bonorum probetur de præſenti fa-
ctis huiuſmodi detractionibus, & conſiderata quā
titate fructuum, ac alijs modis, de quibus infra di
citur. Quare &c.

Secundo, quod iſta bona tempore venditionis
valerent multo plus, quā fuerunt vendita per Fran
ciſcum Antognolum, & ſic quod adfuerit talis læ-
ſio vltra dimidiam, conſiderato valore bonorum
de tempore venditionis, confirmatur ex inſtrumē
to compoſitionis facto inter dd. Spect. Thomam,
ac Guglielmum de anno 1566. die 6. Februarij,
11 quod † inſtrumentum cum ſit factum tantummo-
do per ſex annos poſt d. venditionem a Franciſco
ſeniore factam, benè probat valorem de tempore
dictæ venditionis. Iaſon *in conſil. 54. nume. 4. lib. 1.*
Surdus *in conſil. 141. num. 21. lib. 2.* Borgnin. *deciſ.*
46. nu. 184. par. 1. Viuius *deciſ. 70. n. 6.* in quo inſtru
mento habetur quod pro dd. bonis Spect. Gugliel-
mus erat obligatus ſoluere quolibet anno ſcut. 60.
Spect. Petro Bernardinio, & ſcut. 20. d. Spect. Tho
mæ, & eidem facere expenſas victus, & veſtitus,
quæ expenſę importare videntur ſcut. 70. circiter
in ſingulis annis. Quare computatis omnibus præ
dictis ſummis inſimul, apparet, quod Spect. Gu-
glielmus pro medietate ſolum horū bonorum ſol-
uebat annuatim ſcuta 150. circiter, qui calculati
12 ad rationem † quinque pro centenario, vt per Pe-
droch. *in conſil. 36. num. 48. 50. & 63. & 64.* Me-
noch. *in conſil. 1174. nu. 37. lib. 12.* Cabal. *in conſil.*
145. num. 211. demonſtrant iuſtum, & verum pre-
tium horum bonorum fuiſſe de dicto anno, & tem
pore venditionis factæ per Franciſcum ſeniorem
ſcut. 3000. & ſic apparet etiam de enormiſſima læ
13 ſione de dicto tempore; cum † ex quantitate fru-
ctuum valor rei immobilis (ut ſupra dictum fuit)
optimè probetur, *l. ſi fundus, ff. de rebus eorum,* ibi,
[cum utique pro fructuum modo pretium inueni-
tur,] *& in l. ſi fundus, la 2. ff. de legat. 1.* ibi, [excuſſo
pretio ſecundum redditus,] Cephal. *in conſil. 496.*
num. 44. Alexand. *in conſil. 106. num. 9. lib. 4.* Ma-
ſcard. *Concluſ. 611. num. 1. & ſeq.* in terminis Petr.
Caball. *in conſil. 45. nu. 211.* Decian. *Reſponſo 104.*
num. 17. plenè Menoch. *in conſil. 1174. num. 37. lib.*
12. Fabian. de Monte, *de empt. & vendit. quæſt. 8.*
principali, num. 25. & Doctor Marta *Voto 54. nu-*
mero 15.

Tertiò, læſio hęc colligitur ex eodem inſtrumē
to, manu ſer Antonij Santini, in quo in prima pa-
gina ſunt hæc uerba, uidelicet, [in eius hæredita-
te reliquit ius recomperæ dictorum bonorum, quę
longe plus ualerent d. pretio.] Et in quinta pagina
eiuſdem inſtrumenti ſequuntur talia uerba, [&
quæ bona uendita, ut ſupra, ſatis minori pretio, &
ſumma, quam ſit dimidia iuſti pretij.] Manifeſtè
in

in alio inſtrumēto manu ſer Viti Pini, anno 1571. ſub die quinta Decembris, hæc modicitas vltra dimidiam colligitur, in quo Spect. Thomas vendidit Spect. Aſcanio Trenta, ſuam partem d. prædij, etiam non comprehenſis multis bonis pro pretio ſcut. 1100. & in d. inſtrumento exprimitur, quod dd. bona vendita pro ſcutis 1100. ſunt minus quā pars dimidia bonorum petitorum, quæ fuerunt diuiſa inter Thomam, & Guglielmum, ad tradita per Doct. in ſpecie per Cagnol. *in l.2. C. de reſcind. vendit.* Ex quantitate etiam fructuum, qui in dd. bonis percipiebantur ſingulis annis, apparebat talis læſio, & quod valor aſcenderet dd. bonorum ad multo maiorem ſummam, Pedroch. *d. conſil. 36. nume. 48. verſic. ſecundo.* Et quamuis talis exceſſus eſſet tantum in ſcutis 610. (prout aſſerunt ipſi acto-
14 res) iſta † læſio in tertia parte eſſet fortaſſe ſufficiens ad reddendum contractum ſimulatum; quādo enim vltra pactum recomperæ, & læſionem adſunt aliæ coniecturæ, quæ in præſenti caſu ſunt, & quæ infra ponuntur, tunc non eſt neceſſe, quod læſio ſit vltra dimidiam, ſed ſufficit quod ſit in tertia parte. Pariſ. *in conſil. 54. num. 69. lib. 1.* Gabriel. *in conſil. 74. num. 9. lib. 1.* Pedroch. *conſ. 36. num. 43.*
15 & † remittitur iudicis arbitrio, Afflict. *deciſ. 40. nume. 19.* vbi dicit ſufficere læſionem eſſe in octaua parte, Maſcard. *Concluſ. 447. num. 14. lib. 1.* nouiſſimè Farinac. *de falſitat. & ſimul. quæſt. 163. nu. 17.* Ludouic. *Concluſ. 51. verſic. hę dubitationes.*

Quod autem prædictus contractus fuerit fictus, & ſimulatus, ac pignoris, licet contrahentes eum nominauerint contractum emptionis, videbatur apparere ex infraſcriptis. Præſupponendo in primis, quod cum ſimulatio ſit difficilis probationis,
16 ac conſiſtat in animo contrahentium, ad † eam probandam ſufficiant præſumptiones, veriſimilitudines, & coniecturæ, prout ſatis clara videtur iuris Concluſio, vt per Caſtrenſ. *in conſil. 58. nu. 3. lib. 2.* Socin. iun. *in conſil. 84. num. 8. lib. 4.* Crauet. *in conſil. 156. nu. 7.* Cephal. *in conſil. 198. num. 6. lib. 2.* Socin. *in conſil. 18. nume. 24. lib. 2.* Menoch. *conſil. 109. num. 7. lib. 2. & de arbitr. iud. caſu 254.* Rolan. *conſil. 47. nume. 6. lib. 4.* Beccius *conſil. 52. num. 46.* Maſcard. *Concluſ. 438. num. 1. & ſeq. lib. 1.* Tiber. Decian. *reſponſ. 88. num. 11. lib. 3.* Surdus *deciſ. 23. num. 17.* Afflict. *deciſ. 40.* Lepidus *deciſ. 60. nu. 14.* Ioſeph Ludou. *concluſ. 51. verſic. ſed verior.* Gama *deciſ. Luſitan. 178. num. 4.* Borgnin. *deciſ. 1 nu. 100. par. 1.* Burſat. *conſil. 400. nu. 2.* Decian. *reſpon. 105. nume. 7. & 26. lib. 2. & reſpon. 62. nume. 15. lib. 3.* Surdus *conſil. 327. nume. 7. lib. 3.* Marta *Voto 54. num. 12.*

17 Simulatio † autem huius contractus ex pluribus detegitur; & Primò, ex modicitate pretij, de qua ſupra, quæ iuncta cum pacto de retrouendendo, poſito in eodem contractu, præſumere facit contractum ipſum fictum, & ſimulatum, ſecundū vnam Doctor. communem ſententiam, ſicuti tradunt Socin. *in conſil. 248. lib. 2.* Corneus *in conſil. 348. num. 3. lib. 1.* Anan. *in conſil. 58. num. 1.* Natta *conſil. 198. num. 20.* Socin. iun. *conſil. 104. num. 13. lib. 3.* Alexand. *conſil. 54. num. 1. lib. 6.* Crauet. *conſil. 156. num. 4.* Roland. *conſil. 96. num. 3. lib. 2. & & conſil. 58. num. 15. lib. 4.* Burſat. *conſil. 117. nu. 3.* Gabriel. *conſil. 74. nu. 3. lib. 1.* Beccius *conſil. 52. nume. 47.* Pedroch. *in conſil. 36. num. 82.* qui teſtatur de magis communi, & veriori, & in praxi obſeruanda, *& num. 114. cum aliis ſeq.* & ſecundum hanc opinionem fuit pluries iudicatum, vt per Conſilium Neapolitanum Afflict. *deciſ. 75.* Grammat. *deciſ. 76. in fine,* & per Rotam Lucenſem, vt per Lepid. *deciſ. 60. verſ. item dicendum.* Et hanc opinionē pluries ſequuta eſt Rota Romana, ut per Caſſad. *deciſ. 1. de vſur.* & in cauſa Imolenſi bonorum, 16. Iunij, 1595. coram Orano, & in cauſa Bononienſi de Baleis, die 17. Maij 1607. coram R. P. D. Marcomo. Surdus *deciſ. Mantuana 34. num. 1.* Doctor Marta *Voto 54. num. 5.* Bertazol. *conſil. crimin. 229. num. 10. & ſeq.*

Secūdo ex laudo diuiſionis prolato inter Spect. Thomam, & Guglielmum filios dicti Franciſci ſenioris, in quo apparet quod prædicta bona diuiſa fuerunt inter prædictos fratres, vti bona eorum propria, ac deinde Spect. Thomas eam partem horum bonorum, quæ ad illum peruenit in partem, vendidit Spect. Alexandro Trenta, quod non eueniſſe præſumendum eſt, ſi ea prima vice verè ven-
18 dita fuiſſent Spect. Petro; quia † veriſimile non eſt, quod dd. fratres diuiderent bona aliena, & venderent vti propria, & quod etiam de nouo venderent prout nunc fecerunt, quod argumentum a veriſimili multum operatur. Caſtrenſ. *conſil. 18. num. 4. lib. 2.* Dec. *conſil. 644. nume. 6.* Anchar. *conſil. 257. verſ. ex quibus.* Magon. *deciſ. Lucana 25. nu. 7.* Maſcard. *Concluſ. 440. num. 9.* Borgnin. *deciſ. 2. num. 8. par. 2.* Viuius *deciſ. 255. num. 1.* Barzius *deciſ. 2. nume. 48.* & eſſet res inſolita, & inter viros probos, &
19 integræ fidei non conſueta, & ex † inſolitis, & non conſuetis, arguitur ſimulatio contractus. Bald. *in conſil. 311. num. 8. lib. 5.* Pariſ. *in conſil. 55. num. 51. & 57. lib. 1.* Socin. iun. *in conſil. 77. nume. 47. lib. 1.* Natta *in conſil. 194. nu. 12. & 13.* Berous *in conſil. 165. num. 11. & conſil. 666. num. 9. lib. 1.* Beccius *in conſil. 52. num. 78.* Roland. *in conſil. 40. nu. 34. li. 2.* Borgnin. *deciſ. 1. num. 75. par. 1.*
20 Tertiò, ex penſione † ſcutor. 60. ſoluenda per d. Franciſcum venditorem, quæ penſio videtur cōſtituta commenſurato pretio exburſato ad rationem ſcutorum ſex, & duorum tertiorum pro centenario, non autem quæ bonis, & fructibus correſponderet, Natta *in conſil. 198. num. 8. & 14.* Lepidus *d. deciſ. 60. col. 11. verſic. concurrit inſuper,* Menoch. *de præſumpt. lib. 3. præſumpt. 122. nu. 49.* Quod autem penſio ſcut. 60. non correſpondeat fructibus, patebat ex inſtrumento anni 1566. ſub die 6. Februarij, manu ſer Antonij Santini, in quo apparebat Spect. Thomam ceſſiſſe Spectab. Guglielmo fructus, qui ex dictis bonis percipiebantur vltra pēſionem ſcut. 60. conſtitutam, quia econtra Spect. Guglielmus promiſit eidem Spect. Thomæ ſubminiſtrare expenſas victus, & ſoluere annuatim ſcutos 20. vt ſupra dictum fuit, ex quo clare percipitur, quod ſatis vltra ſummam ſcutorum 156. percipiebatur ex dd. bonis, & ſucceſſiuè, quod pen-

ſio fuit commenſurata pretio exburſato, & non bonis, optimè Crauetta, *in conſil.* 156.*nu.* 12.

Quarta coniectura reſultare videbatur ex inuentario in acceptatione hæreditatis Chriſtophori Bernardinij facto per Spect. Guglielmum manu ſer Baſilij Bondacchæ, in cuius creditum non bona prædicta ponuntur, ſed pecuniæ, ſub his verbis, [Item ſcuti 675. per il laſcito di Mad. Vannella Nicolai aſſignati a cbà Maiore ſopra la poſſeſſione di Guglielmo, & Thomaſo Antognoli, & ſcuti 275. ſe ne ricomprò da Pietro Bernardini per mano di ſer Nicolò Ciuffarini.] Necnō etiam laudo a Mag. D, Ioſeph. Vrſuccio ab Excel. Conſilio approbato de anno 1568. manu ſer Guidotti Nuti, vbi habētur talia verba, [Et quia in hæreditate d. olim Franciſci Antognoli adeſt debitum ſcut. 900. cum Lactantio Nicolai, pro quo dictus Laurentius habet omnia bona dd. fratrum de Rete obligata.] Iſta enim verba tam in inuentario, quam in hæreditate contenta ſonant in hypothecam, & non in venditionem, & ex illis inſurgere videtur confeſſio hæredum, quod verè contractus pignoris fuerit. Boer. *deciſ.* 102, *num.* 5. *verſ. tunc allegabatur*, & proptcrea nullum dominium in aſſertum emptorem videtur tranſlatum, Afflict. *deciſ.* 40. *nume.* 17. Lepidus *d. deciſ.* 60. *col.* 3. *verſic. namque nulla*, Pedroch. *in conſil.* 3. *num.* 126. *&* 36. Tiber. Decian. *in conſ.* 105 *lib.* 2. Honded. *in conſil.* 49. *nu.* 10, *& ſeq. lib.* 1,

Quintò, ad hoc etiam vigent aliæ coniecturæ,
31 nempè, quia Spect. Petrus Bernardinius, † incontinenti in eodem inſtrumento coram eodem Notario, & teſtibus, locauit dd. bona d. Franciſco venditori per annos decem contentos in pacto recomperæ. Natta *in conſil.* 198. *num.* 10. Lepidus *d. deciſ,* 60. *verſic. conuenit*, & Ludou. *Concluſ.* 51. *verſic. octaua coniectura*. Borgnin. *vbi ſupra deciſ.* 2. *numero* 3, *parte ſeconda.*

32 Item, quia d. Franciſcus † poſt aſſertam venditionem, ſemper, & continuò remanſit in poſſeſſione horum bonorum, ex qua arguitur ſimulatio contractus. Surd. *deciſ.* 34. *nu.* 8. Lepid. *deciſ.* 60. *col.* 11. Anchar. *in conſil.* 257. *num.* 4. Socin. iun. *in conſil,* 132. *num.* 15. Pedrocha *in conſil.* 36. *nume.* 5. *&* 6. Menoch. *de præſumpt. lib.* 3. *præſumpt.* 110. Rota
33 Ianuenſ. *deciſ.* 184. *num.* 17. Necnon quia in † dicto inſtrumento recomperæ habetur, quod in caſu recomperæ Spect. Franciſcus ſoluere deberet omnes expenſas contractuum, gabellarum & vectigalium, ex quo ſimulatio contractus arguitur. Lepidus *d. deciſ.* 60. *pag.* 87. *verſic. concurrit etiam.* Ioſeph Ludouic. *Conclu.* 51. *verſic. decimatertia coniectura.* Latè Surdus *d. deciſ.* 34. *num.* 2. Borgnin. *deciſ.* 14. *num.* 4. Quę coniecturæ licet in alia noſtra deciſione 25, inter DD. de Sinibaldis, & DD. de Bernardinijs fuerint reiectæ, hoc fuit, quia in ea cauſa nō fuerat probata læſio, ſicuti probata fuit in præſenti; vnde, cum in ea non fuerit probata læſio, coniecturæ etiam prædictæ non poterant haberi in aliqua conſideratione, per ea, quæ *in d. deciſione* per nos latè fuerunt deducta.

34 Sextò, quia cum in † materia ſimulationis contractus, & læſionis ſtetur Iudicis arbitrio, Maſcar. *Concluſ.* 1225. *num.* 8. *& ſeq.* Gabriel. *de emptio. & vendit. Concluſ.* 1. *num,* 10. Menoch. *de arbitr. iudic. caſu* 73. *num.* 5. *& caſu* 74. *num.* 4. Gabriel *in conſil.* 74. *num.* 5. *& num.* 8. *lib.* 1. vtique ſatis ex ſupradictis viſum fuit fuiſſe probatam, & lęſionem, & con-
35 tractus ſimulationem. Et ſi † prædicta ſufficere videntur ad probandam læſionem, & contractus ſimulationē, multo magis erunt ſufficientia ad perpetuandū pactum tēporale, de quo infra dicetur. Cagnol. *in l.* 2, *num.* 65. *C. de pact. inter empt. & vendit.* Latè Tiraquel. *de retractu conuent.* §. 1. *gloſ.* 2. *nume.* 55. Lepidus *deciſ.* 60. *col.* 3. *circa medium.* Menoch. *de arbitr. iudic. caſu* 217. *num.* 2. Caſſanæus *in conſuetud. Burgund. in tit. de retractu,* §. 10. *num.* 4. *in fine,* Surdus *deciſ.* 34. *nu.* 5.

Secundò principaliter, nullum quoque ius videtur competere ſupradictis DD. actoribus ex tali alienatione per Franciſcum ſeniorem facta, ex quo
36 talis † venditio facta fuit cum pacto retrouendendi, & in eius exequutionem prædicta bona fuerunt redempta per ſupradictos Thomam, & Franciſcū ſeniorem, vt ex inſtrumentis annorum 1574. & 1582. in Actis productis apparet: quo caſu bona talia ad eorum priorem naturam reuerſa dicuntur, non aliter, ac ſi numquam alienata fuiſſent, iuxta *l. mulier in opus ſalinarum, ff. de captiuit. & poſtlimin. reuerſ. l. ſi vnus,* §. *pactus ne peteret, ff. de pactis, l. filio quem pater, ff. de liber. & poſthum. l. ſi mater,* §. *eamdem, ff. de except. rei iudic.* Bartol. *in l. in diem, ff. de aqua plun. arcenda, & in l, vbi autem,* §. *ſed & Marcellus, ff. de in diem adiect.* Cagnol. *in l.* 2. *num.* 176. *& ſeq. C. de pact. inter empt. & vendit.* Decian. *Reſponſo* 88. *nu.* 3. *& ibi Addentes, & in conſil.* 238. *num.* 4. *verſic, quinto quæritur,* Carpan. *ad ſtat. Mediol. lib,* 1. *cap.* 417. *num.* 397. Caſſanæus *in Conſuetud. Burgund, Rub,* 10. §. 1, Ripa *in l.* 1. *num.* 20. *ff. de priuileg, credit.* Socin. iun. *in conſil.* 20. *num.* 30. *lib.* 1. Tiraquel, *de retractu lignag.* §. 19. *gloſſ.* 2. *per totam.* Peregrin. *de fideicommiſ. art.* 42, *num.* 21, Roman. *in l. ſequitur,* §. *Labeo, ff. de vſucap.* Dec. *in conſil.* 53. Aymo *in conſil.* 202. *nu.* 14. Latè Macabrun. ab Anguil. *conſil.* 29. *a num.* 221. *vſque ad num.* 237. Quia tali caſu non videtur de nouo tranſlata in priorem dominum, ſed reddita, *l. filio quem pater, ff. de lib. & poſthum.* Tiraquel. *de retractu lignag.* §. 12. *glo.* 1. *num.* 72. *&* 73. vbi reijcit contrariam opinionem.

Nec obſtare videtur, quod dicebatur pro parte actorum, hoc procedere, quando fuit facta redemptio intra tempus ad redimendum ſtatutum. Se-
37 cùs † autem quando fuit facta elapſo dicto termino, (prout aſſerebant factum in hoc caſu) quia tunc ius ad retrahendum acquiritur irreuocabiliter conſanguineis, & præferuntur ipſi venditori. Tiraq. *de retractu conuent.* §. 1. *gloſ.* 7. *num.* 28. *in fine*; cum talis acquiſitio dicatur ex noua cauſa. Boer. *deciſ.* 78. *in fine, verſ. ſed iſto in caſu.* Dec. *d. conſ.* 88. *nu.* 3. *verſic. & per hoc reſpondetur.* Socin. iun. *conſi.* 20. *nu.* 30. *verſic. ſecus ſi illa redemptio, vol.* 1.

Quia reſpondetur Primò, quod quando etiam
38 eſſet † facta talis redemptio citra tempus præfixum ad redimendū (quod tamen non conceditur)

cum

cum tamen fuerit facta ante oblatum pretium, &
motum iudicium a conſanguineo, ſufficit, & facit
ceſſare ius retractus, cum in hoc caſu habeat locũ
præuentio. Ita tenet Ripa *in l. 1. num. 20. ff. de pri-
uig. credit.* & ad hoc allegat Alberic. *in tract. de ſta-
tut. quæſt. 77. num. 1. & ſeq.* Et adducit rationem,
eo quia videtur ceſſare ratio legis, ne ſcilicet bona
exeant de familia, quia redeundo ad venditorem,
redeunt in familiam; & hoc etiam tenet Guid. de
Suſar. quem allegat Albericus *in citato loco*, vbi e-
tiam inquit, quod talis opinio eſt æquior licet alte
29 ra verior, quam † æquitatem Iudices potius ſequi
debent, quam iuris rigorem, & in iudicijs ſequen
da eſt æquior opinio, licet contraria verior eſſet,
vt ex magis communi tradunt Honded. *in conſil.
65. num. 27. lib. 1.* Borgnin. *deciſ. 22. num. 12. par. 2.*
Caſſador. *deciſ. vnica, nume. 6. de empt. & vendit.*
Pariſ. *in conſil. 6. in fine, lib. 3.* Oddus *conſil. 8. nu. 9.*
Amatis *deciſ. 11. num. 8.* Et eamdem opinionem
Alberici in emptore redimente ſequitur Ioan. Fa-
ber *in princ. Inſtit. de contrab. empt. num. 2.* Boer. *in
ſuis comment. in tit. de retract. §. 1. col. 2. verſ. ſed quæ-
ritur ſtante conſuetudine.* Caſſanæus *de Conſuet. Bur
gund. in tit. de retractu, §. 10. in verbo, an pignus feu-
dale, col. 2. verſ. de quæſtione*, vbi teſtatur, ita deci-
ſum fuiſſe, cum ceſſet hoc caſu ratio ob quam con
ceditur retractus, *& in rubr. 10. in verbo vendu.* Ti
raquel. *de retractu conuent. §. 1. glo. 6. num. 23.* Car-
panus *ad ſtat. Mediol. lib. 1. cap. 417. nu. 147.* Boer.
deciſ. 78. Nec obſtat, quod emptor in hoc caſu ip
ſe non redemerit, ſed illius filius, ac nepos; nam
nulla ratio diuerſitatis poteſt conſiderari, cum hæ
res repræſentet perſonam defuncti, & in eum tran
ſeant eiuſdem omnia iura, iuxta text. *in §. 1. Auth.
de iureiur. a morient. præſtito.*

Secundò dicitur, in hoc caſu numquam fuiſſe
lapſum decennij tempus ad redimendum, & ſic
30 intra † tempus fuiſſe factam redemptionem, cum
enim in ſupradicta venditione adfuerit læſio vſque
ad dimidiam, & vltra, (vt ſupra demonſtrauimus)
pactum temporale in ea appoſitum de redimendo
fuit effectum perpetuum. Tiraquel. *de retractu con-
uen. §. 1. gloſ. 2. nume. 55.* Magon. *deciſ. Lucana 77.
nu. 18.* Lepidus *deciſ. 60. col. 3. verſ. namque.* Surdus
deciſ. 34. num. 4. Menoch. *de arbitr. iudic. caſu 217.
num. 2.* Vbi etiam, quod hoc remittitur Iudicis ar-
31 bitrio. Et ad † perpetuandum pactum ſufficit,
quod læſio ſit minor iuſto pretio ſecundum Surd.
d. deciſ. 34. num. 5. Tiraquel. *de retractu conuent. §.
1. gloſ. 2. nu. 55.* cum multis alijs per eos allegat. &
per nos ſupra deductis. Tertiò, quod hæredes Fran
ciſci ſenioris, acquiſiuerint dd. bona ex veteri cau-
ſa pacti recomperæ, non autem ex noua, & diuer-
ſa, deprehenditur etiam ex verbis contractus re-
comperæ, in quibus habetur, quod hæredes Fran-
ciſci redemerunt dd. bona a Petro de Bernardi-
nijs, vigore pacti recomperæ poſiti in contractu
32 venditionis, ideo † talia bona non ex noua cauſa,
ſed ex prima pacti recomperæ fuerunt acquiſita,
ſicuti in terminis tradunt Dec. *conſil. 88. num. 3.*
Peregr. *de fideicom. artic. 42. nu. 2.* Addentes ad Cla
rum *in §. emphyteuſis, quæſt. 13. verſic. & iſtud,* Car
pan. *ad ſtatut. Mediol. cap. 417. num. 397.* Et ſtante
dicta læſione in pretio, non dicuntur emptores ſpõ
te, & ex mera voluntate retrouendidiſſe, cum ſci
rent ea de cauſa poſſe cogi. Tiraquel. *de retractu li-
gnag. §. 1. gloſ. 13. num. 62. verſ. nec ſpontè, vbi nu. 64.*
dicit, quod ſufficit motus ex conſcientia.

Tertiò dicebatur, & hoc ex abundanti, quod
33 cum per ſtatutum præallegatum † ad iſtud ius re-
tractus præferantur ſemper proximiores in gradu,
& iſta bona poſt alienationem a Franciſco ſeniore
factam, fuerint redempta per Spect. Thomam eius
filium, & Spect. Franciſcum iuniorem nepotem ex
Guglielmo filio ipſius alienantis: Vtique talis re-
tractus ſpectabat ad ſupradictos Spect. Thomam,
& Franciſcum tamquam proximiores ipſius ven-
ditoris, (quatenus eſſemus in iſtis terminis) non au-
tem ad dictum Reuer. D. Io. Baptiſtam, & Spect.
Alexandrum qui erant remotiores in gradu ipſi a-
lienãti, quod etiam de iure communi clariſſimum
eſt, vt per Tiraquel. *de retractu lignag. §. 11. gloſ. 3.
gloſ. 4. & gloſ. 6.* vbi plures Doctores allegantur.
Caſtan. *in Conſuet. Burgund. in tit. de retractu, rubr.
10. §. 1. in text. le plus proſchein, verſic. aduerte quod
etiam, pag. 1316.* per text. *in l. fin.* vbi Doct. in ſpe-
cie Bald. Caſtrenſ. & Salic. *C. de verb. oblig.* Alex.
conſil. 27. num. 6. lib. 6. Ruin. *conſil. 76. nu. 2. in fine,
lib. 1.* Afflict. *in tract. iur. protomiſ. not. 10. num. 44.
verſ. item quæro.* Carpan. *ad Stat. Mediolan d. cap.
417. num. 492. & num. 532.* latiſs. Lancellot. Galia
34 *conſil. 14. num. 1. & ſeq.* Et quando ſucceſſio † alicu
ius rei fundata eſt in vna linea donec exſtant de-
ſcendentes eiuſdem lineæ, illi præferuntur, nec alij
linearij interim admittuntur, iuxta text. *in cap. 1.
de natur. ſucceß. feud.* latè Peregr. *conſil. 42. num. 6.
lib. 3.* idem Peregrin. *de fideicom. artic. 27. num. 14.*
vbi quamplures allegat. Idem tenet Lancellot. Ga
lia *in d. conſil. 14. num. 49. & ſeq.* & omnis æquitas
ſuadet, quod bona patris potius perueniant in fi-
lios, quam in tranſuerſales, & extraneos hæredes.

35 Accedat etiam, quod † quando aliqua res fuit a-
lienata pluries, (prout fuit factum in caſu noſtro)
tunc diſpoſitio ſtatuti non videtur habere locum,
niſi in prima alienatione, quia ſtatutum debet in-
telligi de prima vice tantum, non autem de pluri-
bus. Ita concludit per plura. Tiraquel. *de retractu
in præfat. num. 60.* vbi per plures authoritates pro-
bat hanc eſſe veram, & communem opinionem,
quam refert & ſequitur Decian. *in Reſponſo 32. nu
me. 19. & 23. cum ſeq. lib. 5.* & conferunt tradita per
eumdem Decian. *in conſil. 36. lib. 4.* & Berous *con-
ſil. 19. nu. 2. & 3. lib. 3.*

Quartò principaliter, omne ius, quod compe-
tere potuiſſet dd. Dominis Actoribus, illud exſtin-
ctum videtur ob præſcriptionem triginta, quadra
ginta, ac plurium annorum, cum a die d. venditio-
nis vſque ad diem moti iudicij elapſi ſint quadra-
36 ginta nouem anni. Et clari † iuris eſt, quod per la-
pſum triginta & quadraginta annorum, omnis a-
ctio tollitur *l. ſicut, l. cum notiſſimi, C. de præſcript.
30. & 40. ann. l. finali, C. de conſtit. pecun.* Et in termi
37 nis ſtatuti de quo agitur, † quod per ſpacium tri-
ginta annorum tollatur omnis actio retractus, cla-

re

rè firmat Dec. *conſil.222.col.vlt.verſ.vltimò non eſt*
omittendum. Hoc idem firmat Soc. iun. *conſil.22.*
num.21.lib.1. Caſtr. *conſil.430.nu.1.lib.2.* Tiraq.
de retractu lignag.§.1.glo.10.nu.10. Peregrin. *con-*
ſil.75.num.3.vol.3.& in terminis eiuſdem ſtatuti,
Ruin. *conſil.71.num.7.lib.1.*

Nec obſtare videtur dum ex aduerſo dicebatur,
non adeſſe talem præſcriptionem, nec etiam tri-
ginta annorum. Cum in primis a dicto tempore de
38 beat detrahi tempus, quo actores erant † minoris
ætatis, contra quos non poterat currere præſcri-
ptio. *l.ſicut, l.cum notiſſimi, in fine, C.de præſcript.*
30.& 40. annor. Alexand. *conſil.116.num.1.lib.5.*
39 Item, tempora † quibus Curia non ſedit propter
ferias repentinas Petrus Cabal. *conſil.178.num.6.*
40 *& 8.* Quia non † valenti agere, non currit præſcri
ptio. Rebuff. *in tit.de reſciſio. contr. art.vnico, gloſ.*
23.lib.2. Conſtit. Franciæ Aflil. *deciſ.31.num.19.*
Surd. *deciſ.151.num.4.& deciſ.236.num.14.* Et de
ferijs repentinis adeſt ſtatutum, *cap.12.lib.1.ver-*
ſic.ſunt & aliæ feriæ, & cap.62.verſic.ſimili modo,
inter quas connumerantur feriæ indictæ cauſa æ-
ſtus, & carniſpriuij, & dies cinerum, *vt per cap.*
Rotæ 33.circa principiū, quibus demptis videtur ex
calculo apparere, non adeſſe talem præſcriptio-
nem, nec etiam triginta annorum.

Quia dicitur tempus minoris ætatis in hoc ca-
ſu non poſſe haberi in aliqua conſideratione, &
hoc, quia actores tempore alienationis erant filijfa
milias, & ſub poteſtate eorum parentum, quibus
patribus competebant iura retractus, iuxta diſpoſi
tionem ſtatuti, *in d.cap.78.lib.2.* Cum ad tale ius
admittantur proximiores in gradu, & tunc ipſi nō
erant proximiores d. Franciſco alienanti, ſed eo-
rum patres, mortuis autem patribus, ipſi actores
erant iam effecti maiores, quo caſu non videtur eſ-
ſe locus diſpoſitioni ſtatuti, quod præſcriptio cum
maiore cœpta, non currat poſtea aduerſus mino-
rem, cum tali tempore nullus adeſſet minor, ſed
41 potius videtur habere locum regula, quod † præ-
ſcriptio cœpta cum defuncto, currat contra adul-
tum maiorem hæredem, & ſucceſſorem defuncti.
Crutius ſenior *in conſil.83.nume.4.in fine.* Decian.
Reſponſo 55.num.18.lib.4.& Reſponſo 24.nu.117.
lib.1. late Peregrin. *in conſil.102.nume.34.& 38.*
& num.70.lib.3. & ante iſtos tradit Bald. *de præ-*
ſcript.par.vltima principali, nume.37.verſic.quod eſt
verum.

Quo verò ad ferias repentinas, dicitur calculū
ad hoc probandum ab actoribus productum con-
tinere multos dies, qui non ſunt connumerandi
inter ferias repentinas, & in ſpecie dies hebdoma-
dæ ſanctæ, & ſequentis hebdomadæ, qui non con
numerantur inter ferias repentinas.
42 Item dicitur † quod hoc de iure communi pro-
cedit in præſcriptione decem, vel viginti annorū.
Bart. *in l.fin.ff.in quibus cauſ.reſtit.in integr.non eſt*
neceſſ. At in præſcriptio quadraginta annorum ſe-
cus eſt, vt bene tradit Laderch. Imol. vir eruditiſſi
mus ætatis noſtræ, *in conſil.75.num.8.* quia tunc
43 non fiunt tales detractiones; & † ſtatuta recipiunt
interpretationem a iure communi, *l.2.C.de noxal.*
Bart. *in l.1.§.lex Falcidia, ff.ad leg.Falcidiam.* Et vt
minus lædat ius commune quam fieri poſſit, *c.di-*
lectus, vbi Butrius, *de conſuet. l.ſerui veſtri, cum ibi*
notatis, C.de noxal. Beccius *in conſil.12.num.43.vbi*
num.38.dicit, quod ſtatutum contra ius commune
non debet extendi; ſequitur Surdus *deciſ.43.num.*
6.& 313.num.4. Accedat, cum in caſu iſto hæc bo
na fuerint poſſeſſa per ipſos redimentes per ſpa-
tium non ſolum decem annorum, ſed etiam mul
44 to plures talis † præſcriptio videtur ſufficere ad
excludendum conſanguineum, ſecundum doctri-
nam Tiraquel. *tract.de retractu lignag.§.36.nu.36.*
in fine, gloſ.2.& §.1.gloſ.10.num.11.

Nec obſtat dum dicebatur ex aduerſo tempus
45 anni † a ſtatuto præfixum ad retrahendum eſſe vti
le, ita quod ignoranti numquam currat, iuxta no-
tata per gloſ. & Doct. *in l.quinquaginta, ff.de exe-*
quut.tutor.l.annus, ff.de calumniator. vbi Bart. & in
l.genero, ff.de infam.l.quamdiu, C.qui admitti. Tira-
quel. *de retr.lignag.§.35.gloſ.4.num.12.& ſequen.*
46 Quod etiam † comprobatur ex tempore quadrien
nij a lege dati ad petendam reſtitutionem in inte-
grum, quod a ſui principio eſt vtile, & non currit
niſi a tempore ſcientiæ. Baldus *in l.falſum, num.3.*
C.de falſ.inſtru. Alex. *conſil.71.in fine, lib.1.* Socin.
iun. *conſil.70.num.24.& 25.& conſil.178.nu.116.*
& ſeq.lib.1. Cephal. *conſil.180.num.26.& 27.cum*
ſeq.vbi concordantes allegat, & conſil.102.num.6.
47 Quia reſpondetur quod † imo huiuſcemodi ius
retractus, & conditio ſtatuti concedentis retra-
ctum, quæ dicitur actio perſonalis, *§.appellamus,*
Inſtit.de actio. præſcribitur, & tollitur per curſum
triginta annorum etiam contra ignorantes, prout
ceteræ actiones perſonales, vt habetur *in l.ſicut, in*
fine, quæ loquitur in ignorante, l.cum notiſſimi, C.de
præſcript.triginta & quadraginta annor. Dec. *conſil.*
267.num.4. Afflict. *deciſ.13.nu.2.& 3.* late Tiraq.
de retrac.lignag.§.36.gloſ.2.num.36.& 37.& in ſpe
cie Caſtr. *conſil.430.circa princip.vol.2.* Cepol. *con-*
ſil.ciuil.43.num.5. Dec. *conſ.222.col.fin.* Socin.iun.
conſil.22.num.20.& 21.lib.1. Surdus *deciſ.1.nu.6.*
Tiraq. *de retractu lignag.§.1.glo.10.nu.10.& 15.&*
§.36.gloſ.2.num.36. vbi in terminis loquitur, & fir-
mat hunc retractum præſcribi per longiſſimum tē-
pus annorum triginta contra cōſanguineos, & etiā
hoc ius competere contra ignorantes, quia huiu-
ſcemodi præſcriptio currit tam contra ignorantes
quam contra ſcientes, *l.final.vbi Doctor.C.de præ-*
ſcript.longiß.tempor. Bart. *in l.1.§.ſi quis autem, ff.*
de itinere actuq. priuato. Felin. *in cap.vigilanti, de*
præſcript. Lanfranc. *tract.de arbitr.in ſeptima par.nu.*
50. Balb. *de præſcript.in quarta par.quartæ par.prin-*
cipalis, quæſt.28. Boer. *deciſ.12.per totam,* vbi lo-
quitur in ſpecie de præſcriptione iuris retractus.
Tiraquel. *d.§.35.gloſ.2.num.18.& 19.* & ſequitur
Beccius *in tract.de ſtat.gloſ.19.num.1.& 2.cum ſeq.*
vbi de communi teſtatur. Peregrin. *conſil.75.nu.*
30.lib.4. Et licet ſtatutum *in cap.82.lib.2.* præfigat
annum ad retrahendum a die ſcientiæ, nihilomi-
nus ſi labatur tempus triginta annorum, tunc per
tale, & tantum tempus præſcribitur ius retractus
ad fauorem emptoris contra cōſanguineū, abſque
etiam

etiam ſcientia, quæ in hac præſcriptione non eſt
neceſſaria, prout in alia, & in ſupraſcripta annali,
ita quod ſi per annum, vel aliud tempus maius ceſ-
ſante ſcientia non potuit hoc ius retractus præſcri
48 bi, † id tamen ſublatum, ac præſcriptum cenſetur
ex curſu triginta & quadraginta annorum, & in
hoc caſu ſcientia, vel ignorantia conſanguinei non
habetur in aliqua conſideratione. ita Afflict. decla
rando firmauit *in cap. donare, num. 71. qualit. poſ-
ſeſ. olim feud. alien.* idem Curt. ſen. *conſil. 82. nu. 2.
& 3.* Tiraquel. *d. §. 36. gloſ. 2. nume. 36.* Laderch.
Imol. *conſil. 116. nume. 5. verſic. nec in curſu huius
temporis.*

Nec in iſto caſu videtur poſſe concedi reſtitu-
tio in integrum petita ex capite ignorantiæ: quia
49 ad hoc vt concedatur, requiritur Primò, quod † ta
lis ignorantia fuerit per illum, qui eam allegat pro-
bata. Hercul. *tract. quis teneatur probare negat. nu-
me. 26. verſic. trigeſimo octauo inſertur, ſol. 23.* vbi
multos allegat, & ſequitur Peregrin. *conſil. 102. nu
me. 62. lib. 3.* Quod non videtur factum in caſu no-
ſtro. Secundò, quod talis ignorantia ſit probabi-
lis, & iuſta, & aduerſus eam non vigeat aliqua pr̨
ſumptio ſcientiæ, vt benè tradit Tiraquel. *de retra-
ctu lignag. §. 35. gloſ. 4. num. 33.* Surdus *deciſ. 4. nu-
me. 7.* Honded. *conſil. 80. nu. 62. lib. 2. & conſil. 83.
num. 68. & 69. lib. 1.* Burſat. *conſil. 160. nu. 71. li. 2.*
Sed aduerſus dictos actores adſunt cōiecturæ mul-
tæ, atque præſumptiones ſcientiæ, videlicet, quia
50 erant conſanguinei Franciſci ſenioris, & † conſan
guineus præſumitur ſcire facta conſanguinei. Ma-
ſcardus *de probat. Concluſ. 1293. num. 9.* Surdus *de-
51 ciſ. 4. num. 7.* quæ † ſufficit ad probandam talem
ſcientiam, ad hoc vt denegetur reſtitutio in inte-
grum. Cephal. *conſil. 314. nu. 19.* Alex. *conſil. 163.
ſub num. 3. col. fin. lib. 2.* Tiraquel. *de retractu lignag.
§. 75. gloſ. 4. nu. 33. & ſeq.* Surd. *d. deciſ. 4. nu. 7. verſ.
quod ad excludendum.* Item ex proceſſu apparet,
quod patres actorum, immo ipſi actores poſſide-
bant (prout etiam poſſident) bona contigua bonis
52 venditis, & præſumptio † iuris eſt, quod vicinus
ſciat facta vicini. Roland. *conſil. 19. num. 38. lib. 1.*
Surdus *conſil. 329. num. 12. li. 3.* Maximè ſtante la-
pſu tanti temporis, quæ ſcientia ſic probata ſuffi-
cit ad tollendam reſtitutionem in integrum. Tib.
Decian. *Reſponſo 69. num. 19. cum ſeq. & num. 23. in
fine, lib. 4.* latè Lancellot. Galia *conſil. 36. num. 34.
vſque ad finem.* Item, quia Gerardus del Duca, te
ſtis examinatis pro actoribus ſuper interrogatorijs
partis, dicit: [che crede che il Capitan Vincenzo
e l'egregio ſer Lazaro habbino hauuto ſcientia del
53 la vendita fatta delli detti beni,] qui † teſtis licet
deponat per verbum (credo) & ſit vnicus, probat
tamen optimè contra producentem. Maſcard. *de
probat. Concluſ. 1363. num. 18. lib. 3.* Burſat. *conſil.
34. num. 13. lib. 3.* Gabr. *tit. de teſtibus, concluſ. 1.
num. 15.* Ioſeph Ludou. *Concluſ. 70. verſ. vel licet
deponat.* Granuc. *theorem. 20. num. 9.* Tob. Non. *con
ſil. 98. nume. 10.* Farinac. *de oppoſ. contra dicta teſt.
quæſt. 62. nu. 226. & 227.* Cornaz. *deciſ. 27. nu. 10.*
Et licet hoc plenè non eſſet probatum, ſufficit ta-
men probabiliter probari, ex ſupra allegatis, quia
54 cum † ſcientia ſit difficilis probationis, & conſi-
ſtat in animo, ſufficit probari per coniecturas, &
pr̨ſumptiones. Maſcard. *Concluſ. 1293. nu. 1. li. 3.*
Lepidus *deciſ. 81. verſ. quibus.* Surdus *deciſ. 221. nu
me. 10.* Et quia de facili poterat haberi talis ſcien-
tia adhibita aliqua diligentia, prout plenè habetur
apud Honded. *d. conſil. 83. nu. 7. lib. 1.* benè Rolan.
conſil. 3. num. 99. & ſeq. lib. 1. Et cum tale ius retra-
ctus ſit contrarium diſpoſitioni iuris communis,
55 & † conſanguineus, qui ad retractum agit, tractet
de lucro captando. Alex. *conſil. 65. col. 2. verſ. d. ſta
tutum, lib. 6.* Dec. *conſil. 66. col. 2.* Tiraquel. *de re-
tractu lignag. §. 1. gloſ. 10. num. 121. & §. 8. gloſ. 8. nu-
me. 27.* latiſſimè Tiber. Decian. *conſil. 11. num. 63.
lib. 4. & conſil. 1. nu. 34. lib. 5. & conſil. 11. num. 41.
56 & ſeq. eod. vol. 5.* Hoc † tempus annorum quadra
ginta eſt continuum, & currit tam ignorantibus,
quam ſcientibus, ſine aliqua ſpe reſtitutionis in in-
grum, ſicuti in indiuiduo ex plurium ſententia tra
dit Tiraquel. *de retractu lignag. §. 35. gloſ. 4. nu. 29.*
quem refert & ſequitur Peregr. *conſil. 75. num. 73.
lib. 4.* Et in præſcriptionibus ſemper eſt continuū.
Bart. *in rubr. ff. de diuerſ. & temp. præſcript. nume. 5.*
Iaſ. *in l. contra maiores, num. 6. C. de inoffic. teſtamen.*
Surd. *deciſ. 184. num. 1. & deciſ. 203. nu. 7.* Crauet.
conſil. 271. col. 4. in fine, nume. 5. Menoch. *de arbitr.
iudic. caſu 462. num. 7.* Borgnin. *deciſ. 17. nu. 4. par.
2.* latè Beccius *conſil. 99. num. 1.* Carpan. *ad ſtatut.
57 Mediol. cap. 117. num. 57.* Et quando † agens tra-
ctat de lucro captando (vt dictum eſt) ei non datur
beneficium reſtitutionis in integrum; ſed quando
tractat de damno euitando, vt per Crauet. *conſil.
225. nume. 9. verſ. quarto reſpondetur. & conſil. 271.
num. 7. & 8.* Tiraq. & alij, quos allegat Lancellot.
58 Galia *conſil. 36. num. 9. & 10.* Et quia † contra præ
ſcriptionem quadraginta annorum (de qua in caſu
noſtro) non datur reſtitutio in integrum, ſecundū
vnam magis communem opinionem, de qua per
Peregr. *conſil. 102. nu. 57.* Honded. *conſil. 83. nu. 66.
lib. 1.* idem Peregrin. latiſſimè *conſil. 103. num. 57.
vol. 3.* Surd. *deciſ. 4. num. 5.* latè Teſſaur. *deciſ. 134.
num. 6. & 15.* Gabr. *de pr̨ſcript. concluſ. 1. num. 77.*
Bero. *conſil. 56. nu. 41. lib. 3. & quæſt. fam. 81. nu. 3.*
Vaſq. *Illuſt. quæſt. quæſt. 75.* vbi vigintiquinque ra-
tionibus hāc opinionem tuetur. Burſat. *conſil. 160.
num. 7.* Menoch. *conſil. 147. num. 46.* Vlterius, quæ-
ſtionem iſtam in terminis decidit Tiraq. dum vo-
59 luit, ac firmauit † conſanguineum non admitti
ad retractum per viam reſtitutionis in integrum
aduerſus lapſum quadraginta annorum, ex capi-
te ignorantiæ, rationibus latè per ipſum Tiraq.
adductis, *de retractu lignag. §. 35. gloſ. 4. num. 44.*

Quintò principaliter dicimus, quod eum præ
cipuum fundamentum pro Dominis actoribus
ſit, quod tale ius retractus ſibiipſis competat, ex
quo per Franciſcum ſeniorem in venditione per
eum facta de prædictis bonis, non fuit facta debi-
ta inquiſitio agnatorum proximiorum, & in ſpe-
cie eorumdem, prout requiritur a ſtatuto, *cap. 78.
lib. 2.* hoc tamen fundamentum eorum intentioni
non prodeſſe credidimus. Primò, quia tempore
dictæ alienationis dicti actores erant minores, &
inqui-

60 inquiſitio† requiſita procedit in filio maiore tem
pore venditionis, & cui potuiſſet fieri notifica-
tio, ſecùs in minore, ſecundum opinionem De-
ciani conſil.32.num.27.in fine, verſ. non obſtat quod
ſcilicet, lib.5. Quia talis inquiſitio intelligitur ſem
per facienda in perſona habili, l. emancipari, ff. de
adoption. vbi gloſ. cum alijs adductis ab eodem Decia.
conſil.46.num.2.lib.5. vbi dicit, quod ſtatutum vo
cans quemlibet agnatum, debet intelligi de habi-
li, idoneo, & alia ratione non impedito. Secun-
61 dò, quia cum a ſupradicta † alienatione vſque ad
diem moti iudicij defluxerint quadraginta nouē
anni, vt ex inſtrumento dictæ alienationis appa-
ret, vtique per ſpacium tanti temporis videtur
præceſſiſſe requiſita inquiſitio a ſtatuto, iuris præ
ſumptione, licet de ea nihil fuerit in iudicio pro-
batum, iuxta text. in l. ſi filius, C. de petition. hæ-
red. vbi gloſ. Bart. & Doctor. & ita in terminis
dicti ſtatuti firmat Dec. conſil.222. in quarto fun-
damento, num.5. in curſu annorum 48. idem tenet
Ruin. conſ.71. per totum, li.1. Soc. iun. in ijſdem ter
minis, eiuſdem ſtatuti, & in curſu annorum 46.
conſil.22. per totum, & maximè num.12. quæſt.3.
lib.1. qui aſſerit tale fundamentum eſſe clarum,
& apertum de iure, & ſufficere ad victoriam, &
ita etiam iudicauit hæc Alma Rota Lucenſis, ſub
die decimaſexta Aprilis, de anno 1572. referente
Do. Fabricio Maraſſa; quibus addimus Burſat.
conſil.424.nu.8. lib.4. Surdum deciſ.231.num.19.
Menoch. de Præſumpt. lib.3. præſumpt.132.num.5.
Gail. Obſeruat.71.num.7. Rotā Romanā in nouiſſi
62 mis deciſ.193.in fine, par.2. Et licet† huic opinio
ni contradicat Ioſeph Ludou. deciſ. Lucana 52. per
totam, vbi reprobat opinionem Decij & Socini
iun. in allegatis locis: attamen authoritas huius
viri non eſt viſa tanta, vt non ſit ſatis maior au-
thoritas Decij, Socini iunioris, Ruini, & aliorū
ſupra relatorum, & eo magis, cum rationes qui-
bus ille nititur fundare ſuam opinionem, nō ſubſi-
ſtant. Primò enim dū dicit, quod negatiua d. inqui
ſitionis non factę, probetur eo ipſo, quod in inſtro
alienationis nō legatur facta, reprobatur a Crauet
ta tract. de antiq. tempor. par.3. ſect.1. num.26. & 30.
vbi ita intelligit Caſtr. conſil.81. lib.2. vbi multos
citat, & Aret. conſil.36. num.6. cum ſeq. Et hoc for
taſſe poſſet procedere, vbi neceſſariò talis inquiſi-
tio eſſet facienda in ipſo inſtrumento alienationis,
& vnico contextu. Altera verò Ludouici ratio
63 quod † præſumptio ſollemnitatis extrinſecæ quæ
ex curſu temporis exſurgit, tertium non aliàs affi-
ciat, quam ſi de illius ſcientia non conſtet, vide-
tur procedere in longi temporis præſcriptione,
nempè, decem annorum. in quibus terminis lo-
quuntur Alexan. Crauetta, & alij ab ipſo citati.
At vbi adeſt curſus triginta annorum (prout in ca
ſu noſtro adeſt) non ſolum triginta, ſed quadragin
ta nouem annorum, tunc ex curſu tanti temporis
ſollemnitas iſta extrinſeca præſumitur etiam in
præiudicium tertij, quantumuis ignorantis, vt ex-
preſsè tradit Crauetta d. tract. de antiq. tempor. par.
te prima, ſect. prima, num.8. vbi etiam citat Alex.
in l. qui in aliena, nu.11. verſ. & præterea reſpōdetur,
ff. de acquir. hæred. idem Alex. conſil. primo, num.20.
& conſ.17. num.8. lib.4. & ita reſpondet huic diffi-
cultati Rota Lucenſis, vt in dicta deciſioue Ma-
raſſi, vbi teſtatur de communi. Burſat. conſ.424.
num.9. lib.4. Surdus conſil.28. num.98. in fine, lib.1.
Accedat, quia hic non ſumus in tertio, cum dd.
64 actores non poſſint dici tertij. Eodem † etiam
modo tollitur aliud obiectum, quod talis ſollemni
tas præſumatur in ijs, quæ ſunt parui præiudicij,
vt dicit Gabr. Comm. opin. in tit. de præſcript. conclu.
prima, num.53. Natta conſil.162. num.29. lib. primo.
cum alijs de quibus latè per Ioſeph. Maſcard. Con
cluſ.1316. num.27. Secùs quando agitur de magno
præiudicio, per allegatos Doctor. Quia hoc proce
dit in ſpacio temporis decem annorum, in quo tā-
tummodo in his quæ ſunt parui præiudicij, præſu
muntur tales ſollemnitates adhibitæ: ſed quando
65 adeſt † interuallum longiſſimi temporis, nempe
triginta, & quadraginta annorum, & multo plu-
ris (vt in caſu noſtro) tunc etiam in ijs quæ ſunt
magni præiudicij præſumuntur adhibitæ tales ſol
lemnitates. Alex. conſil.17. num.8. & 9. lib.4. Gabr.
de præſcript. d. Concluſ.1. & conſil.36. num.49. lib.1.
& conſ.82. num.29. & ſeq. lib.2. Ceph. conſil.314.
num.5. cum ſeq. Natta conſ.266. num.8. Beret. con
ſil.42. Menoch. tract. de præſumpt. lib.3. prǽſumpt.
132. num.55. cum ſeq. Oſaſch. deciſ. Pedemont.173.
Magon. deciſ. Lucana 14. num.32. Honded. conſ.83.
lib.1. & 81. lib.2, Burſat. conſ.424. nume. 8. lib.4.
Gail. Obſeru.71. lib.2. Surdus conſ.28. nume.82.
Laderch. conſil.116. nume.4. verſic. ſed hic caſus. Et
66 cum † videatur remiſſum iudicis arbitrio, Me-
nòch. d. præſumptio.132. num.6. Surdus deciſ.231.
in fine. Et Iudex hoc debeat arbitrari in curſu 30.
annorum, vt tenet Crauet. quem allegant Meno-
chius & Surdus in ſupra citatis locis. Certè cum in
caſu noſtro adſit curſus non ſolum triginta, ſed
etiam quadraginta nouem annorum, nō eſt viſum
quod poſſit procedere contraria opinio, & hoc ma-
ximè cum actores non de præiudicio, ſed de lucro
captando agant. Nec etiam obſtat quod dicebat
idem Ludouicus ſtatutum requirere non ſolum ta
lem inquiſitionem, ſed etiam quod offeratur copia
inſtrumenti emptionis: quia eodem modo reſpon-
detur, talem ſollemnitatem præſumi adhibitam
cum ſuis qualitatibus ad formam dicti ſtatuti, vt
ex ſupra citatis Doctoribus colligitur, & maximè
67 ex Dec. d. conſ.222. num.8. in fine, quæ † præſum-
ptio iuris habetur pro vera ac perfecta probatione,
l. licet Imperator, vbi Doctor. ff. de leg.1. Pariſ. conſil.
24. num.14. lib.2. Cephal. conſil.82. num.4. Surdus
deciſ.170. num.8. Nec obſtat etiam conſil. Cephal.
171. allegatum a Maſcardo Concluſ.1316. num.41.
68 lib.3. quod † in requirentibus ſcripturam per lon-
ginquitatem temporis non præſumantur ſollem-
nitates adhibitæ: quia (vt ipſe Cephalus declarat
in d. conſ. num.37. cum multis ſequentibus) hoc pro-
cedit in ſollemnitate intrinſeca, non autem in ſol-
69 lemnitate extrinſeca. Item † procedit quando ſcri
ptura requiritur ad probandum actum, quia tunc
per pręſumptionem non probatur, ſed ſcriptura
eſt neceſſaria, ſecùs quādo requiritur ad inductio-
nem

nem ſeu eſſentiam actus (prout in caſu noſtro) in
quo de actu conſtat, hoc eſt de alienatione facta,
vt ex inſtrumentis eiuſdem, quia tunc dato actu
præſumitur ſollemnitas, vt dicit ibidem Cephal.
Idem aſſerit Surdus, deciſ.231.num.25.& Cephal.
conſil.47.nu.7.& 8.lib.1. Gabr.tit.de præſumpt.Con
70 cluſ.1.num.72. Quia † in ſollemnitate extrinſeca,
ſiue nec enunciata, ſiue nec ſcripta fuerit, tale ſpa-
cium temporis, videlicet triginta annorum, facit
ſemper præſumere eam interueniſſe, vt latè in pro
poſito conſiderat Crauetta in tract.de antiquit.tem
por.par.1.num.27.lib.7. Cephal. conſil.47. nume.7.
Burſat. conſil.424.num.8. & 9.lib.4. Gabr. conſil.
88.num.18. Borgnin.deciſ.46.num.203.par.prima.
Et ex his etiam tollitur id quod dicit Surdus, con-
ſil.28.lib.1. ex aduerſo allegatus. Minus etiam ob-
71 ſtat dum dicebatur, regulam † non procedere vbi
ex facie inſtrumenti appareret ſollemnitatem non
interueniſſe, vt per Alex. conſil.1.col.pen.lib.4. Iaſ.
conſil.140.col.pen.lib.4. Afflict. deciſ.107.nume.5.
Grammat. deciſ.100. num.28. Socin.iun. conſil.54.
num.21.lib.2. Natta conſil.162. num.24. latè Ma-
cabrun. ab Anguil. conſil.46.num.51.li.1. Peregr.
conſil.69.nu.19.lib.4. Quia reſpondetur, hoc pro
72 cedere, † quando in inſtrumento enunciatur ſol-
lemnitates non fuiſſe adhibitas; ſecus eſt quando
in inſtrō nulla fuit facta mentio talium ſollemni-
tatum; nam tunc ſtante hoc temporis curſu trigin
ta annorum, tales ſollemnitates interueniſſe præ-
ſumuntur, vt tenuerunt Dec. conſil.341.num.13.
Socin.iun. conſ.56. num. 21.lib.2. & plenè poſt Fe
linum, Ruin. Roland. Cephal. per Surd. conſil.28.
num.23. lib.1. Borgnin. deciſ.46.num.227.& 228.
73 par.1. Et quatenus ſupradicta, quod ſcilicet † ſol-
lemnitates extrinſecæ præſumantur adhibitæ pro
pter temporis longinquitatem, locum habeant
quando interuenit ſcientia illius qui actum impu-
gnare debebat, vt voluerunt Afflict. deciſ.107.col.
fin. Felin. in cap.ſicut, col.15.in fine, extra de ſent. &
re iudic. Soc. iun. conſil.56. nume. 24. & ſeq. lib. 2.
Roland. conſil.2.nu.127.lib.1. Oſaſchus deciſ.173.
num.3. Gabr. de præſumpt. Concluſ.1.num.59. Ma-
ſcard. de probat. concluſ.1316. num.29. & ſequent.
Menoch. de præſumpt.lib.3.præſumpt.132. in fine.
Surd. conſil. 28. num.99.lib.1. Attamen, dicitur
hoc procedere quando interuenit ſpacium longi
74 temporis decem, vel viginti annorum; ſed † quan-
do interuenit diuturnitas temporis triginta, qua-
draginta, & vlterius annorum (vt in caſu noſtro)
tunc ex tanti temporis ſpacio præſumuntur tales
ſollemnitates etiam non probata ſcientia, Curtius
ſenior, conſil. 82. nume. 2. Tiraquel. de retract.li-
gnag.§.1.gloſ.10.num.121.& §.35.gloſ.4.num.25.
& tract.de præſcript.num.39. Maſcard. Concl.1316.
num.3. Laderch. conſil.116.num.5. verſic.nec in cur
ſu huius temporis. Lepidus deciſ.81.verſic. quibus
non obſtantibus, & facit Cephal. conſil.316.nu. 35.
Et cum hoc videatur remiſſum Iudicis arbitrio,
(vt dicunt citati Doctor.) vtique ſpacium anno-
rum 49. in caſu noſtro videtur tale & tam diutur-
num, quod ex eo argui, ac præſumi debeat ta-
lis ſcientia, cum hoc dicatur longiſſimum tempus,
toto tit.C. de præſcript. 30. & 40. annorum. Surdus
deciſ.231.num.19.& 31. Tiraquel. de retrac.lignag.
75 §.36.gloſ.2.num.36.& 37. Quia talis † præſcriptio
currit tam ignorantibus quam ſcientibus. Boer.
deciſ.122. per totam. cum alijs ſuperius allegatis.
Accedat, quod in caſu noſtro adſunt veriſimilitu
dines, ex quibus argui pōt talis ſcientia, quæ veriſi
militudines in ſimilib. attendi debent, vt per Dec.
conſil.409.nu.13. Surdus conſil.19.nu.36.& conſil.
355.num.25. quæ ſuperius fuerunt deductæ, nem-
pè, quia ipſi actores, quam eorum parentes erant
76 conſanguinei, & † coniunctus præſumitur ſcire
facta coniuncti, Crauetta conſil.237.nu.1. Maſcar.
de probat.concluſ.1293.num.9.lib.3. Surdus deciſ.4.
nu.7. quod procedit etiam in actis momentaneis,
& ſucceſſiuis. Rimin.iun. conſil.234.num.316. cum
pluribus ſeq. Surdus conſil.355.nu.29.& deciſ.221.
num.9. Et etiam quia ipſimet actores, & eorum
parentes poſſidebant, (& de præſenti poſſident)
bona contigua, & vicina bonis alienatis, & vici-
77 nus † præſumitur ſcire facta vicini, Roland. conſ.
3.num.99. & conſil.18.num.38.lib.1. Surdus conſil.
329.num.12.vol.3. Maſcard. concluſ.1393.nu.15.
Et ſcientia quando pro forma requiritur ſufficit ſi
præſumptiuè habeatur. Beccius conſil.108.nu.28.
Surdus conſil.82.num.39.lib.1.& conſil.272.nu.14.
lib.ſecundo. Item, habemus dictum Gerardi del Du
ca, teſtis examinati pro parte aduerſa ſuper inter-
rogatorijs reorum, dum dicit, [che crede, che il
Capitanio Vincētio, & ſer Lazaro habbino hauu-
to ſcientia della vendita delli predetti beni da Frā
78 ceſco Antognoli.] qui teſtis licet deponat per † ver
bum (credo) & ſit vnicus, tamen cum ſit teſtis a-
ctorum, probat contra ipſos. Alexan. conſil.91. nu
me.3.lib.7. Roman. conſil.104. Iaſ. in rubr.ff.de iu-
reiuran.in ſexta limitat. num.9. Crauet. de antiquit.
temp.par.1.nu.13. Magon. deciſ. Lucana 30.nu.27.
Farin. de oppoſit.contra dicta teſt. quæſt.68.nu.175.

Nec obſtare viſum fuit dum pro parte actorum
dicebatur, dictum iſtius teſtis, nec in aliquo con-
79 tra ipſos probare, † ex quo non fuit (publicato
proceſſu) per eos reproductus, ſed expreſsè decla-
ratum nolle vti dicto illius teſtis, & propterea di-
ctum ipſius non fuiſſe approbatum, iuxta tradita
per Tob. Non. conſil.24. num.24. Granuc. theore-
mate 20.nu.9.& 10. Ludouic. Concluſ.70. Farinac.
de oppoſit. contra perſon. teſt. quæſt.62. nume. 293.
80 Quia reſpondetur, multos alios Doctores † con-
trarium tenuiſſe, nempè, quod inducens teſtem,
nedum perſonam, ſed etiam dicta eiuſdem videa-
tur approbaſſe. Ita tenent Roman. conſil. 104. in
fine, Iaſ. in rubr. de iureiuran.num.9. Soc.iun. conſil.
69.num.12.lib.1. Pariſ. conſil.50.nu.60.lib.1. Bor-
gnin. deciſ.112.num.29. vbi etiam allegat Ang. &
Cacher. Hector Aemil. in tract. de teſtib. par.1. in
verbo, teſtis approbatus, fol.205. num.5. Burſat. con
ſil.20. num.23. Raudenſ. deciſ. Piſana 12. nume.35.
& ſeq. qui Doctor. in citatis locis alios multos alle-
81 gant. Secundò etiam dicitur, quod † licet teſtis iſte
non fuerit reproductus, nihilominus ſat eſt fuiſſe
reproductum a parte contra quam inductus fuit
(vt ex actis apparet) ad hoc vt ei fides adhiberi
poſſit,

poſſit, vt pro cautela tradunt Ripa, *in cap. cum M.*
num. 79. in fine, de Conſtitut. latè Fel. *in c. cum vene-*
rabilis, col. 8. num. 23. cum ſeq. de except. vbi Apoſtil.
Pariſ. *conſil. 172. num. 23. & ſeq. lib. 1.* Olaſch. *deciſ.*
Pedemont. 39. num. 33. Et quatenus aliqui de repro
ductione inſtrumentorum loquantur, idem tamen
eſt in teſtibus de quibus loquuntur Ripa, & Felin.
& eamdem eſſe vtriuſque deciſionem probat Lu-
douic. *Concluſ. 70. verſic. non poteſt.* licet ipſe impu-
gnet Roman. *d. conſil.* 104. Tertiò dici poſſe vide-
82 retur, quod producens † aliquem in teſtem, licet
eius dictum non producat, eoque non vtatur, fi-
dem tamẽ teſtis approbare dicitur. Alex. *conſ.* 191.
num. 3. lib. 7. Boer. *deciſ. 245. & eſt deciſio Auenio-*
nenſ. 116. *num. 3.* Socin. iun. *conſil. 159. num. 2. li. 2.*
cum alijs relatis per Surdum *conſil. 62. nume. 42.*
Cum ergo eius dictum approbaſſe dicatur, & cum
teſtis de ſcientia inducentium deponat, non vide-
tur per ipſos inducentes poſſe reprobari. Accedat
quia in terminis habemus ſupra allegata conſilia
Decij Socini iun. Ruin. & plures alias huius Rotę
deciſiones eas ſequuti fuimus, omiſſis regulis ge-
neralibus.
83 Et quod † opinio Ludouici *in d. deciſione* 52. ſit
damnata, & quod ipſa in iudicijs non ſit ſequenda,
tamquam noua, & contra communem ſententiã
tot celeberrimorum grauiſſimorumq. virorum, &
antiquorum, & modernorum, confirmat Lancel-
lot. Galia, *conſil. 36. num. 13.*

Sextò dicebatur pro parte reorum, nullum ius
retractus competijſſe, nec competere ſupra dictis
Dominis Ioan. Baptiſtæ, & Alexandro, cum enim
tempore prædictæ alienationis factæ per d. Franci
ſcum, ſuperuiuerent Capit. Vincentius & egreg.
ſer Lazarus patres dd. actorum, ad tale ius recom-
peræ erant admittendi ipſorum patres, tamquam
proximiores, non autem filij, iuxta diſpoſitionem
d. ſtatuti, *cap.* 78. Cornaz. *deciſ. 26. nu. 9. verſic. po-*
tuiſſet etiam; quo caſu ob talem venditionem fa-
ctam abſque eo quod patres eorum fuerint requiſi
84 ti, recomperæ ius fortaſſe illis de iure † compete-
re potuiſſet per viam tranſmiſſionis, ac vti patrum
eorum hæredibus, ſecundum opinionem Tiraq.
de retract. conſang. §. 39. & ſeq. Cornaz. *deciſ. 62. nu*
me. 10. Surd. *conſil. 424. num. 10.* Quæ tamen tranſ-
miſſio non videtur procedere in caſu noſtro, quia
ex diſpoſitione ſtatuti *lib. 2. cap.* 91. apertè diſpo-
85 nitur, quod † ius recomperę alicui competens, nõ
poſſit vendi, cedi, ſiue in aliquem transferri, quo-
uis titulo lucratiuo, vel oneroſo, voluntariè, vel ne
ceſſariò; quæ verba ita ampla, ac generalia, etiam
titulum pro hærede comprehendunt, & operan-
tur, quod ius recomperæ patri cõpetens, non tranſ
mittatur ad filios quamuis hæredes, ex quo enim
impeditur translatio neceſſaria, intelligitur prohi-
bita tranſmiſſio ad hæredem, prout in hoc ſtatu-
to voluerunt Dec. *in allegato conſi. 222. nu. 3.* Ruin.
conſil. 71. num. 3. & 4. lib. 1. Et ita fuit pluries deci-
ſum in hac alma Rota, vt ex Cornaz. *deciſ. 26. nu-*
me. 9. & deciſ. 62. num. 2. & deciſ. 173. nume. 3. & 4.
Lepid. *deciſ. 22. col. penult. & vlt. in fine.* Cephal.
conſil. 53. num. 18. 20. & 21. in terminis ſimilis ſta-
tuti Dec. *conſil. 23. num. 4. col. 3.* Carpan. ad Statu-
ta *Mediol. cap. 420. num. 10. & ſeq. verſic. alienatio-*
nis, lib. 1.

Nec obſtare viſa fuit quædam Deciſio huius
Rotæ in cauſa Reuerendiſs. Epiſcopi de Bernar-
dinis, cum Spect. Simone de Manſis, manuſcripta:
86 quia loquitur in diuerſis terminis, nempè, † quan-
do lis erat inchoata cum defuncto, & hac de cauſa
fuit ita deciſum, vt in principio d. deciſionis legi-
tur, ibi, [ex litis conteſtatione in hæredem licet
de ſui natura non eſſet tranſmiſſibile vel ceſſibile,]
allegat, *l. omnem, l. conſtitutiones, ff. de actio. & obli*
gat. Doctor. *in l. poſthumus, §. fin. ff. de inoffic. teſta.*
per quem text. ita tenet Io. Faber. *in §. in contrario,*
Inſtit. de legat. & Bartol. & alij *in l. qui mota, C. de*
tranſact. Iaſ. *in §. pęnale, Inſtit. de action.* vbi inquit,
quod actio quæ non erat tranſmiſſoria ad hęredes,
efficitur tranſmiſſoria. Et declaratio quæ ibi affer
tur *ad cap. 91. lib. 2. ſtatut.* quod illud ſtatutum de-
beat intelligi de hærede extraneo, & non de agna-
tis in gradu comprehenſis, non videtur ſubſiſtere:
quia in contrarium adſunt allegati Doctores Dec.
Ruin. Soc. iun. & alij, qui loquuntur in filio, & hæ
rede neceſſario. Et ratio eſt: quia cum d. ſtatutum
expreſsè declaret tale priuilegium ad alios tranſ-
ferri non poſſe, per hęc verba extingui videtur hu
iuſmodi priuilegium, cum ipſa perſona, ita vt nec
ad filios transferri poſſit, vt clarè declarat idem
Socin. iun. *d. conſil. 22. num. 7.* Et eodem modo di-
citur nõ obſtare aliam deciſionem manuſcriptam
eiuſdem Rotæ inter illos de Corſagna de anno
1610. Quia adducit rationes imaginarias, nec ali-
qua authoritate fulcitas, & eſt contraria de dire-
cto reſolutionibus dictorum grauiſſimorum viro-
rum, Dec. Soc. iun. Ruini, Lepidi, Cornaz. & a-
liorum. Ideò parui facienda. Accedat, quia ſuper
hoc d. Rota nihil firmauit, vt in fine d. deciſionis
apparet.

Nec obſtat quod per Rotam noſtram fuerit in
vna retractus inter Dominos de Bernardinis, &
Dominos de Sinibaldis reſolutum, tale ius cedi, &
alienari poſſe: quia illud per nos fuit factum in ter
minis verborum vltimo loco poſitorum in d. ſtat.
cap. 91. quando ſcilicet ius recomperæ competeret
vel ex pacto, vel ex conuentione.

Septimò, licet ex ſupradictis tam per ſe quam
ſimul iunctis, videatur optimè conſtare nullum ius
competere dictis Dominis actoribus ſuper tali re-
tractu, quando etiam verſaremur in dubio contra
87 eos veniret pronunciandum cum † in dubio contra
retractum ſit iudicandum, vt poſt Alexan. & Dec.
qui in eiſdem terminis loquuntur tradit Decian.
88 *conſ. 11. num. fin. lib. 4.* cum † huiuſcemodi ſtatuta
ſtrictè ſint accipienda tamquam prohibentia rei
propriæ adminiſtrationem, ac diſpoſitionem con
tra iura expreſſa, *in l. dubium, C. de contrab. & cõmit.*
ſtipul. l. 1. in princ. & ibi Bald. *C. commun. diuid. l. nec*
vi, C. locat. l. inuitum, C. de contrab. empt. Alberic.
in tract. de ſtatut. lib. 1. queſt. 87. in fi. Iaſ. *conſil. 299.*
num. 1. lib. 2. Dec. *conſil. 275. num. 8.* Honded. *con-*
ſil. 3. num. 25. lib. 3. Tiraquel. *de retractu lignag. in*
præfat. num. 60. Decian. *conſil. 59. num. 2. lib. 1. vbi*
de tom-

de communi. Ideo in dubio Iudex debet iudicare
contra agnatum retrahere volentem, Dec. *d.con-
ſil.271.in fine.*
89 Et in † dubio quoque ſemper ad fauorem rei eſt
pronunciandum, *cap.cum ſint partium iura obſcura,
de reg.iur. in 6.cap.ex litteris, de probat. l. Arianus,
ff.de action. & oblig. l.fauorabiliores,ff.de reg.iur.* &
in ſimilibus ita conſuluit Alex.*conſil.52.* Viſo the-
mate, *in fine,lib.1.* Dec.*conſil.471.in fine.* Decian.
conſil.32.num.27.verſ. & vltimo, lib.5.

Quo verò ad Spect. Thomam Antognolum ter
tium comparentem, iudicauimus ſibi tale ius re-
tractus competere, ex pluribus.

Primò, quia viſum fuit ex ſui parte probatum
exſtitiſſe, petita bona fuiſſe patrimonialia, videli-
90 cet ſuorum per lineam paternam † aſcendentium,
prout expoſtulat ſtatutum *in cap.78.in princ.* & fi-
ne, quod verificatur in duobus aſcendentibus, nē-
pè, patre, & auo, vt per Dec. *d. conſil.222.num.6.
& 7. & conſil.471.num.7.* Magon. *deciſione Luca-
na 93.num.3. & 4.* Lepid. *deciſ.106.col.2.in fine.*
Tiraquel. *in l.ſi vmquam, in verbo ſuſceperit liberos,
num. 196. C. de reuocan. donat.* Quod autem fue-
rit patris, & aui tam Franciſci alienantis, quam
Spect. Thomæ retrahentis, conſtare optimè viſum
fuit ex inſtrumentis productis, ex quibus apparet,
quod Lazarus ſenior auus d. Franciſci, ea conceſ-
ſit in præmium emancipationis dicto Thomæ eius
filio, qui poſtea reſtituit patri, & poſt mortem d.
dicti Lazari d. Spect. Thomas & Ioan. Baptiſta vti
hæredes d. Lazari eorum patris, in dictis bonis ſuc
ceſſerunt, eaque inter ſe diuiſerunt, & quilibet eo-
rum ſuam portionem locauit, dictusque Ioan. Ba-
ptiſta in ſuo vltimo teſtamēto legauit tertiam par-
tem fructuum ſuæ portionis eius vxori, & poſt eius
mortem, tutores filiorum d. Ioan. Baptiſtæ locaue
runt dd. bona, & poſtea effecti maiores, inter ſe di
uiſerunt. Similiter, poſt mortem dicti ſer Thomæ
Franciſcus eius filius continuauit poſſeſſionem pa
ternam, & poſtea alienauit eius portionem, vt de
prædictis apparent inſtrumenta publica, & poſtea
ad d. Spect. Gulielmum, & Spect. Thomam deue-
niſſe, & vltimo loco ad Spect. Franciſcum iunio-
rem, vt ex teſtibus, & inſtrumentis diuiſionis in
cauſa productis, plenè iuſtificatum apparebat.

Nec obſtare viſum fuit dum ex aduerſo dice-
91 batur, dictum † inſtrumentum conceſſionis in e-
mancipationis præmium non probare dominiū,
ac poſſeſſionem Lazari ſenioris, Roland. *conſil.
79. nume. 23. lib. 4.* Maſcard. *Concluſ.541.lib.1.*
Quia dicitur, quod ex prædictis omnibus optimè
hoc probatur; etenim, d. Lazarus in eius hæredi
tate aliàs hæc relinquere non potuiſſet, nec eius fi-
lij liberè, & pacificè (vti bona paterna) poſſidere
92 & ea inter ſe diuidere & locare: nam † poſſeſſio
patris præſumitur continuata in filijs hæredibus.
Bart. *in l. Pomponius, §.fin.in fine, ff.de acquir.poſſeſ.*
Tiraquel. *in tract. le mort ſaiſit, par.5. declarat.3.nu
me.4.* Menoc. *tract.de Præſumpt.lib.3.præſumpt.64.
num. 17.* & idem diſponitur per ſtatutum *cap.12.
lib.2.*
93 Nec obſtat quod † prædicta inſtrumenta non
probent contra tertium, Maſcard. *tract.de probat.
94 Concluſ.541.nu.5.* Quia dicitur, quod † rei conuen
ti cum ſint hæredes, & cauſam habeant a Franci-
ſco iuniore deſcendente a d. ſer Thoma, qui fuit hæ
res d. Lazari eius patris, non dicuntur tertij, ſed
ſunt eadem perſona cum dicto ſer Thoma, Surdus
*deciſ.163.num.9. & deciſ.173.nu.23. & conſil.382.
num.27. & conſil.424.num.23.lib.3.* cum alijs mul
95 tis per eum allegatis. Ideo † talia inſtrumenta con
tra ipſos probant, Crauet. *conſil.217.num.7.* Socin.
ſen. *conſil.11.num.1.lib.3.* Lepid. *deciſ.106.col.4.in
fine.* Surd. *deciſ.10. num.2.* Grat. *conſil.50.num.3.
& 24.lib.1.*
96 Minus obſtat quod † inſtrumenta non probant
niſi inter perſonas quæ Notarium rogauerunt,
Surdus *deciſ.10. num.2.* Et ſi probant, ſemiplenè
tantum probant, Surdus *d. deciſ.10. nu.6.* Quia *in
eadem deciſ. num.9.* contrarium firmare videtur in
ſucceſſoribus (prout in caſu noſtro ſumus.) Propte
97 rea † cum inſtrumenta ſint plura, probant contra
tertium, Alba *conſil.64.num.21. & ſeq.* Maſcard.
Concluſ.1101.num.8. vol.2. & cum ſint antiqua,
probant dominium & poſſeſſionem. Crauet. *con-
ſil.54.num.11.* Accedat etiam, depoſitiones plu-
rium teſtium examinatorum de auditu, & de pu-
blica voce & fama, quod dd. bona eſſent, & fuiſ-
98 ſent ſemper dictorum de Antognolis, quod † ge-
nus probationis ſufficit ad probandum bona eſſe
patrimonialia, ex ſtatuto *cap.78. in fine lib.2.* Nec
non & temporis diuturnitas, ex quibus omnibus,
ſaltem (ſimul iunctis) videtur clarè reſultare talis
probatio dominij, & patrimonialitatis: (vt ita di-
cam) requiſita a ſupra allegato ſtatuto, ad tradita
per Maſcard. *d. concluſ.541.num.13.vol.1.*

Identitas etiam bonorum videtur probata per
d. Spect. Thomam ex ſupradictis, quam etiam ex
confeſſione facta per dd. Actores qui opponebant
talem identitatem non fuiſſe probatam.

Secundò, quia apparet de alienatione dictorum
bonorum facta per Franciſcum Antognolum iu-
niorem, in Dominos de Baronibus ac Lucheſium,
quos ſuos hæredes inſtituit, vt ex teſtamento eiuſ-
dem apparet, & ſic in extraneas perſonas alienatio
facta fuit, per quam alienationem ius retractus cō-
petere optimè apparet ex ſtatuto, *in d.ca.84.lib.2.*
ibi, [ſiue in quacumque vltima voluntate legare-
tur] cui Spect. Thomæ tamquam proximiori a-
gnato ipſius Franciſci iunioris alienantis compe-
tit tale ius retractus, tam ex ſupra allegato ſtatuto,
quam ex iuris communis diſpoſitione, vt per Ti-
raquel. *tract. de retractu lignag.§.11.gloſ.4. & gloſ.
6.num.1.* & per Carpan. *ad ſtat. Mediol.cap.41.nu.
492. & 532.lib.1.*

Nec obſtare viſum fuit, dum ex aduerſo diceba
tur, d. Spect. Thomam in tali retractu obaudien-
99 dum fore, ex † quo non fuit per eum factum depo
ſitum integrum. Et clarum eſt in iure, quod ſi de-
poſitum deficiat, etiam in re minima, non habeat
locum retractus, *l. ſi a te,* vbi Doctor. & in ſpecie
Gloſ. & Bart. *C. de pact. inter empt. & vendit.* An-
char. *conſil.331.num.1.* Alexand. *conſil.130.nu.11.
lib.4.* Roland. *conſil.53.num.34. & ſeq. & num.42.*

& 43. lib.1. Negusan. *de pignor. parte 2. membro 3. 2. par. princ.* Tiraquel. *de retractu lignag. §.7. gloſ.3.* Dec. *conſil.23.* Cornaz. *deciſ.23. num.4.* Menoch. *conſil.756. num.6. & ſeq.* Surdus *conſil.86. nu.28.*

100 Quia dicitur prædicta † non habere locum, quã do requiſitus vendere recuſauit, tunc enim ſufficere verbalem oblationem voluerunt. Bald. *in l.1. col.2. C. ne liceat tertio prouoc.* Alexand. *in l. qui Romæ, in princ. ff. de verb. oblig.* vbi Socin. & Iaſ. Boer. *deciſ.124. nume.26.* Ruin. *conſil.113. teſtans de communi lib.1.* Roland. *conſil.53. num.26.* Hippol. Rimin. *conſil.166. num.28. & 29. lib.2.* Natta *conſil.3. num.4. lib.1.* latè Viuius *deciſ.525. num.10. par.4.*

101 Secundò non † habet locum, quando oblatio verbalis fuit facta in iudicio, quia talis oblatio apta eſt ad producendam actionem, & eũdem effectũ operatur ac extraiudicialis realis oblatio. Iaſ. *in l. interdum, §. fin. col. finali, ff. de verb. oblig.* Boer. *deciſ.124. num.27. in fine.* Corneus *conſil.230. lib.1.* cum alijs de quibus per Roland. *conſil.7. nume.29. lib.3.* & per Hippol. Rimin. *d. conſil.166. num.23. libro ſecundo.*

Tertiò, quia cum agatur per d. Spect. Thomam
102 ad † talem recomperam pro pretio liquidando, & taxando; ante talem liquidationem, & taxationem non poterat fieri tale depoſitum, vt de ſe patet, & declarat ſtatutum *lib.2. cap.55.* quæ liquidatio ſufficit quod fiat, antequam concedatur exequutio. Et quotidie practica docet, has liquidationes fieri in exequutionem ſententiæ, vt latè tradit Surdus *conſil.298. nu.12. & 13.*

Nonnulla etiam alia fuerunt deducta per dictos Dominos Actores, quæ vnica reſponſione poſſe tolli videntur: quia fortaſſe haberent locum ſi Spect. Thomas hunc retractum intẽtaret propter alienationem a Franciſco iuniore factam de anno 1560. Sed cum ipſe Spect. Thomas agat ad talem retractum occaſione alienationis extra familiam factæ per Franciſcum iuniorem in ſuo teſtamento inſtituendo hęredes dictos Baronos, ac Lucheſios, qui non ſunt de agnatione, ideo ceſſant in contrarium adducta.

Laus Deo eiusque Virgini Matri Mariæ.

ARGVMENTVM.

In cauſa ſũmarijſſimi poſſeſſorij quæ probationes requirantur, & vbi ſunt probationes hinc inde, quæ debeãt attendi, & multa ad materiam probationis.

SVMMARIVM.

1 *Fundans ſuam intentionem in ſtatuto, debet probare, ſe ad vnguem obſeruaſſe qualitates a ſtatuto requiſitas.*
2 *Teſtis vnicus non probat.*
3 *Colonus pro domino non probat.*
4 *Teſtis quando plures patitur exceptiones nihil probat, etiam in cauſis priuilegiatis, & quando veritas aliter haberi non poteſt.*
5 *In iudicio ſummariſſimi poſſeſſorij admittuntur probationes omnes, & talis poſſeſſio vnico teſte probatur.*
6 *Contraria opinio quod tales probationes non ſufficiant, habet multos Doctores.*
7 *Et prima opinio quod poſſeſſio probetur vno teſte, eſt intelligenda de teſte omni exceptione maiore.*
8 *Debitor non probat ad fauorem creditoris.*
9 *Teſtis omni exceptione maior ille dicitur cui nulla de mundo exceptio opponi poteſt.*
10 *In iudicio retinendæ, vbi ſunt hinc inde teſtes, ille debet obtinere, qui habet teſtes, vel probationes magis concludentes.*
11 *Poſſeſſor titulatus in iudicio ſummariſſimo præfertur non titulato poſſeſſori.*

DECISIO LXXI.

SPectabilis Iuſfredus de Compagnis, habuit recurſum ad Rotam occaſione ſententiæ Illuſtr. D. Iudicis primarũ inſtantiarum, prolatæ ad fauorem Spect. Laurentij Muriconij, in qua fuit pronunciatum malè iudicatum & benè recurſum.

Moti, quia cum in iudicio ſummarijſſimi poſſeſſorij, de quo agebatur, ad hoc, vt actor obtinere poſſit, neceſſe ſit per eum probari poſſeſſionem per dies quadraginta continuos proximè & immediatè præcedentes præceptum ſeu citationem, vt expreſsè diſponitur per cap. Rotæ 59. *verſic. cum hac etiam declaratione.* Et hoc pro parte d. Spect. Laurentij non fuerit probatum, ſequitur vulgaris
1 Concluſio, quod qui † ſe fundat in diſpoſitione ſtatuti, nec probat qualitates a ſtatuto requiſitas, obtinere non poteſt. Bart. *in l.1. §. quod ait prætor, ff. ne quid in flum. public.* Felin. *in cap.2. de reſcript.* Socin. *conſil.55. num.4. lib.1.* Gozadin. *conſil.59. num.26.* Surdus *conſil.130. nu.1.* Quod autem per Spect. Laurentium talis poſſeſſio non fuerit probata, apparebat manifeſtè ex proceſſu, in quo tantummodo vnus teſtis deponebat de tali poſſeſſione quadraginta dierum, qui teſtis multas patiebatur
2 oppoſitiones. Primò, quia † eſt vnicus, *ad l. iuſiurandum, C. de teſtibus, cap. tam litteris, cap. veniens, extra eod.* Gabr. *tit. de teſtib. conclu.1. num.15.* Ludouic. *Concluſ.70. in princ.* Farinac. *de teſtib. quæſtio.63. num.1. & 3.* Secundò, quia erat colonus d. Spect. Laurentij, & agebatur de eius commodo, & intereſſe, cum prætenderet haurire aquam ex fonte, quem Spect. Iuſfredus prætendebat ſuũ
3 eſſe; & clari iuris eſt, quod † colonus pro domino nihil probat. Farinac. *de oppoſ. contra perſon. teſt. quæſt.55. num.213. iunctis nu.224. & 225. & quæſtio.60. num.4.* Barz. *deciſ. Bonon.114. nume.3.* Et
4 quando † teſtis plures patitur exceptiones nihil probat, etiam in cauſis priuilegiatis, & quando veritas aliter haberi non poteſt. Cephal. *conſil.65. nume.27. & 28.* Honded. *conſil.106. num.17. volum.1.*

Surdus

Surdus *deciſ.*175.*num.*11. Beccius *conſil.*85.*nu.*19. Nec obſtare viſum fuit, dum pro parte d. Spect.
5 Laurentij dicebatur, quod in † iſto iudicio poſſeſſorij ſummariſſimi, cum agatur de modico pre iudicio, non requiruntur probationes perfectæ, ſed quæcumque admittuntur, & talis poſſeſſio vnico teſte probetur, vt ex multis probat Farinac. *de oppoſ. contra perſon. teſt. quæſt.*63.*num.*31.

Quia dicitur, quod idem Farinac. *in allegata*
6 *quæſt.*63.*num.*32. allegat multos alios qui † contrariam opinionem ſequuntur, & teſtantur de magis communi, & in ſpecie Alexand. *conſil.*187. *Viſa copia, num.*3 *vol.*7. Gabr. *Comm. opin. tit. de reſtitut. ſpoliat. Concluſ.*5.*num.*126.*verſic. contrarium.* Ludouic. *deciſ. Peruſ.*59.*num.*11. & de magis communi teſtatur Roland. *conſil.*50.*num.*16.*lib.*2. Menoch. *de recuper. poſſeſ. remed.* 15.*nume.*48. *cum ſequent.* Granuc. *theoremate* 22.*num.*1. vbi etiam teſtatur
7 de veriori, & magis communi. Et quatenus † etiã eſſet attendenda prima Doctorum opinio, quod ſcilicet unicus teſtis ſufficiat ad probandam hanc poſſeſſionem, hoc tamen numquam erit, niſi ille vnicus teſtis ſit nedum idoneus, ſed etiam omne exceptione maior. Benintend. *deciſ.*64. *num.*14. per regulam, quod numquam per vnicum teſtem inducitur ſemiplena probatio, niſi is ſit omni exceptione maior. Doctor. *in l. admonendi, ff. de iureiurand.* Farinac. *d. quæſt.*63.*num.*34. At in caſu noſtro teſtis deponens de hac poſſeſſione Spect. Laurentij, patitur multas exceptiones, quia colonus, quia habet commodum, & intereſſe in cauſa (vt ſupra
8 dictum eſt) & quia erat † debitor domini ſui, vt ex actis apparebat, meritò non videtur vllo modo probata talis poſſeſſio Spect. Laurentij, nec etiam ſemiplenè. Barz. *deciſ. Bonon.*147.*num.*1. Magon. *deciſ. Lucana* 46. *nume.*20. & in terminis Plotus *in*
9 *d. l. ſi quando, num.*113. *verſic. fallit.* Quia † teſtis maior omni exceptione dicitur, cui nulla de mundo exceptio opponi poteſt. Magon. *deciſ.*46.*nu.*21. Fabius Turret. *conſil.*29.*nu.*10.*cum ſeq.* Barz. *deciſ.* 147.*num.*7.*&* 8.

Accedat, quod quando etiam aliquid fuiſſet probatum pro parte Spect. Laurentij, quod non apparebat (vt ſupra dictum eſt) cum tamen fuerit eliſa, eius probatio per teſtes Spect. Iusfredi, qui ſunt quattuor numero, & clarè teſtantur quod Spect. Iusfredus eſt in vera & actuali poſſeſſione aquæ
10 controuerſæ, quia in hoc † iudicio retinendæ, quãdo ab vtraque parte teſtes ſunt examinati, ſemper obtinet ille, qui per probationes magis concludentes, & neceſſarias, ſuam poſſeſſionem probauit. Menoch. *de retinend. poſſ. remed.*3.*num.*718. Ruin. *conſil.*52.*nu.*8. vtique obtinere debebat.

Poſtremò, ex abundanti dicitur, quod quando etiam probationes Spect. Laurentij æquiualerent, tamen erat iudicandum ad fauorem Spect. Iusfredi, qui exhibuit titulum ſuæ poſſeſſionis, & in
11 hoc † iudicio poſſeſſor titulatus ſemper præfertur poſſeſſori non titulato. Alexan. *conſil.*150.*num.*4. *verſic. item, lib.*1. Menoch. *de retinen. poſſ. remed.*3. *num.*733. Viuius *deciſ.*411.*num.*12.*lib.*3. Pariſ. *conſil.*112.*num.*19. Alba *conſil.*299.*num.*24.

Nec obſtat etiam dum vltimo loco dicebatur fuiſſe probatum in proceſſu, Spect. Fridianum Cõpagnium authorem Spect. Laurentij fuiſſe permultos nedum dies, ſed etiam annos in quaſi poſſeſſione huius aquæ ante eius mortem, & poſſeſſio defuncti dicitur continuata in eius hæredem, per ſtatutum *lib.*2.*cap.*12.

Quia dicitur, non eſſe verificatum requiſitum à cap. Rotæ 59. de poſſeſſione quadraginta dierũ continuorum a die præcepti in perſonam Spect. Iusfredi, ex quo per plures menſes antè ex hac vita deceſſit, & non verificato ſuppoſito ſtatuti, non habet locum eius diſpoſitio, ex Bart. *in l.*1.*§. quod ait prætor, ff. ne quid in flum. publ.* Gozad. *conſil.*59. *num.*26. *cum alijs ſupra allegatis num.*1.

ARGVMENTVM.

Iudex ordinarius non poteſt ſe intromittere in cauſa quam Princeps ſibi auocauit.

SVMMARIVM.

1 *Princeps, qui manus appoſuit in aliqua cauſa cenſetur eam a quocũque Iudice auocaſſe, adeo quod nullus inferior in ea ſe intromittere poteſt.*

2 *Ex diuerſis non fit illatio.*

3 *Superflua non ſunt dicenda, quæ ad maiorem declarationem fuerunt appoſita. Multa enim quandoque ad maiorem declarationem apponũtur quæ non ſunt de neceſſitate, cum tacitè inſint.*

DECISIO LXXII.

FVit interpoſitus recurſus ad Rotam pro parte Spect. Petri Maffei a ſententia D. Iudicis Ordinarij, lata ad fauorem Spect. Hieronymi Maffei, & fuit pronunciatum malè iudicatum, & bene recurſum. Et hoc, quia cum præſens cauſa in auditorio Principis iam fuerit auocata, & ipſe iam in ea manus appoſuerit, vt ex decreto ſuper hoc emanato clare conſtabat, viſum fuit non potuiſſe vllo modo Dom. Iudicem Ordinarium in ea ſe intromittere. Clara eſt enim in iure Concluſio, quod
1 quando Princeps † in aliqua cauſa manus appoſuit, cẽſetur illam a quocumque Iudice Ordinario auocaſſe, ita, vt nullus inferior poſſit amplius in ea ſe intromittere. *c. vt noſtrum, de appell. l. ne cauſas, C. eod.* Bart. & alij, *in l. ſi vt proponis, C. quom. & quando. ind.* Iaſ. *in l. more, num.*66. *ff. de iuriſdict. om. iudic.* Felin. *in cap. quoniam Abbas, in fine, de offic. deleg.* Lepidus *deciſ.*55. *per totam.* Menoch. *conſil.* 340.*num.*49. Lancellot. *de Attent. par.*2.*cap.*10.*nume.*1.*& ſeq.* Surdus *deciſ.*175.*num.*5.

Nec obſtare viſum fuit quod in ſententia allegatur, nempe, quod cum Excellentiſs. Conſilium in calce ſupplicationis nec expreſsè, nec tacitè ſu-

ſpenderit iuriſdictionem ordinariam ; ideo non cenſeri ſublatam, prout videtur conſueuiſſe facere quando intendit ſuſpendere, vt per nonnullas ſupplicationes delatas nobis cõſtare videbatur. Quia dicitur, ſupplicationes delatas eſſe in diuerſis ter-
2 minis, & † ex diuerſis non fit illatio, *l. Papinianus, verſic. exuli, ff. de minor. l. in bello, §. facta, ff. de captiu. & poſtlim. reuerſ.* Socin. iun. *In l. naturaliter, §. nihil commune, nu. 29. ff. de acquir. poſſeſſ.* & ad maiorem declarationem ſæpè multa exprimuntur, quæ non
3 ſunt de neceſſitate, cum tacitè inſint, nec † propterea ſuperflua dici non poſſunt, vt dicit Cagnol. *in l. lecta, num. 9. ff. ſi cert. pet.* Decian. *Reſponſo 2. nume. 49. lib. 2.* Imo, in caſu noſtro clarè apparebat, Principem voluiſſe omnem aliam iuriſdictionem ſuſpendere, dum mandauit quod tres Ciues curent concordare partes, & intra ſpacium vnius menſis (quatenus non eſſet ſequuta concordia) referant. Vnde non videtur potuiſſe Dom. Iudicem a quo, aliquid innouare priuſquam facta fuerit talis diligentia per dictos Ciues concordandi, & referendi; debebat enim Dom. Iudex exſpectare relationem faciendam Excellentiſs. Conſilio per illos Ciues, & attendere quid imperaret agendum. Fruſtra enim videretur facta talis deputatio Ciuium pro concordandis partibus, ſi interim Iudex Ordinarius procederet in cauſa, & ſic Reſcriptum Principis redderetur eluſorium, quod non eſt dicendum.

ARGVMENTVM.

Conductor malè verſans in re conducta, vel illa vtens in alium vſum quam fuit conducta, cadit a locatione.

SVMMARIVM.

1 *Conductor ſi malè verſatur in re conducta, poteſt locator liberè, & impune, eam ſibi auocare, & a locatione recedere.*
2 *Vbi eſt caſus legis clarus, ceſſat omnis diſputatio.*
3 *Conductor vtens re conducta ad alium vſum quam ſibi fuit locata, vel eam ſublocans non æque idoneo, cadit a locatione.*
4 *Conductor non obſeruans pacta inter ipſum, & locatorem facta, poteſt a re conducta expelli, etiam tempore locationis durante.*

DECISIO LXXIIII.

Spectabilis Laurentius de Podijs habuit recurſum ad Rotam a ſententia lata ad fauorẽ Antonij de Fiaſcaio per D. Iudicem Ordinariũ; & fuit pronunciatum benè iudicatum, & malè recurſum. Moti, quia in proceſſu per teſtes examinatos fuit probatum pro parte d. Antonij, Scipionem Iacomini cui fuerat ſublocata quædam domus conducta per d. Spectab. Laurentium malè verſatum fuiſſe, in domo ſeu ſolario conducto, cum idem Scipio in eo exerceret artem gladiatoris, ibique teneret apertum ludum ſchermi, cuius occaſione multi in eo quotidie conueniebant vt luderent cum armis, & propterea d. ſolarium multum hucuſque fuiſſe deterioratum, & indies magis deteriorari ex teſtibus ſupradictis conſtabat, ac rationi, ac ſenſui patet, cum periculo ruinæ. At ſecundum diſpoſitio-
1 nem ſtatuti, *lib. 2. cap. 103.* quando † conductor malè verſatur in re conducta, poteſt locator impunè & licitè rem locatam ad ſe reuocare, & à locatione recedere, prout etiam de iure communi eſt expeditum, ad text. *in l. ædem, C. locat.* cum multis alijs quos ad hoc propoſitum allegat Carocius *tractatu de locat. in verbo recuſationis, parte ſecunda, nu-*
2 *mero primo.* Vnde, † cum haberemus claram diſpoſitionem legis & ſtatuti, propterea fuit confirmata ſententia Dom. Iudicis a quo, *l. doce ancillam, C. de furtis.*

Accedat etiam, quia d. Spect. Laurentius conduxit d. ſolarium à d. Antonio ad effectum & ad vſum detinendi in eo bladas, & ad alia huiuſmodi, non autem ad effectũ exercendi in eo ludum ſchermi, quod ſi ſciuiſſet ipſe Antonius, non vtique locaſſet, quod ex teſtibus optimè conſtabat. Quare
3 ſequitur, quod vtens † re conducta ad alium vſum præter illum, ad quem fuit locata, & ſublocans alteri non æquè idoneo, cadit a locatione, vt per eundem Caroc. *de locat. in tit. de locat. emphyt. q. 8. num. 9. & 10. & tit. de ſublocat. quæſt. 13. cum ibi ad-*
4 *ductis.* Et † conductor non obſeruans pacta inter ipſum, & locatorem facta, poteſt expelli a locatione, etiam tempore locationis durante. Iaſon *in l. 2. num. 105. C. de iure emphyt.* Appoſtil. ad Alex. *conſil. 105. nume. 18. volum. 3.* Gozadin. *conſil. 86. numero 26.*

ARGVMENTVM.

Sententia quando dicatur interloquutoria, vel diffinitiua.
A diffinitiua appellatio & non recurſus eſt interponendus, &c.

SVMMARIVM.

1 *Sententia diffinitiua non exſpectat poſt ſe aliam ſententiam, ſed in totum dirimit negotium.*
2 *Interloquutoria non dicitur, ſed diffinitiua, quando Iudex in cauſa principaliter procedit.*
3 *Recurſus dumtaxat admittitur, quando non licet appellare.*
4 *In iudicijs ordo, modus, & remedia competentia ſunt diligenter conſideranda.*

DECI-

DECISIO LXXIV.

FVit interpoſitus recurſus ad Rotam per Spect. Franciſcum Marchionis, Primicerium Almæ confraternitatis ſanctiſſimæ Trinitatis huius ciuitatis a pronuncia, ſiue ſententia D. Iudicis ordinarij, lata ad fauorem Magnifici Antonij Rinaldi; in qua fuit pronunciatum nulliter recurſum fuiſſe, & hoc, quia viſum fuit ſupradictum Spect. Franciſcum non potuiſſe vti in præſenti cauſa tali recurſu, quia remedium hoc a cap. Rotæ conceſſum eſt a meris interloquutorijs. At in caſu noſtro eum eſ-
1 ſemus in † ſententia diffinitiua, vel ſaltem vim diffinitiuæ habente, ex quo poſt ſe nullam aliam ſententiam exſpectabat, & dirimebat totum negotium de quo agebatur, vt per Marantã *in Praxi, par.6.par. fin.art.1.num.1.2.& 3.* Crauetta, *conſil. 181.num.1.glo.in Clemen.de ſequeſt.poſſeſſ.& fruct. c.1.in verbo, diffinitiua,* Speculat. *in tit.de ſentẽn.& quæ eam ſequuntur, §.2.num.1.* Io. Andreas, *in c.per uenit, il 2.de appellation.* Felin. *in rubr. extr. de re iu-*
2 *dic. num.3.* Ac † etiam quia fuit principaliter pronunciatum per Do. Iudicem a quo, vnde non poteſt dici mera interloquutoria, Surdus, *conſil. 160. num.79. vol. 2.* Sed debebat d. Spect. Primicerius vti remedijs a dd. cap. Rotæ determinatis, *ſub cap. 52.* & per ſtat. *lib.5. cap.5.* vbi eſt prouiſum de remedio appellationis ab huiuſcemodi ſententijs diffinitiuis, ſeu vim diffinitiuæ habentibus, a quibus datur appellatio, non autem recurſus, ex quo manifeſtè nullitas omnium geſtorum apparebat.
3 Remedium † enim recurſus eſt inuentum in ſubſidium, & in caſibus in quibus appellare non licet. Lancellot. *de attentat. in 2. parte, cap. 19. num. 7.* Menoch. *de arbitr. iudic. lib.1. quæſt.70. col. finali.* Et multum differt & intereſt, quod quis vtatur remedio appellationis, vel remedio recurſus, propter ordinem ſeruandum non ſolum in procedendo, longioremque vel breuiorem inſtantiam cauſæ, verum etiam propter nouas probationes faciẽdas, vel non faciendas, iuxta qualitatem cauſarum.
4 Ordinem † autem iudiciorum, modum, remediaque competentia optimè ſeruanda eſſe, clari iuris eſt. *cap. in cauſis, de re iudic.* Vant. *de nullit. ex defectu proceſſ. tit.6. num. 1.* Aliàs nullitatis vitium incurri tradit idem Vantius, *tit.1.num.14.& ſeq.* Et hoc eo magis, cum in hac Rota ita iudicatum fuiſſe compertum haberemus *ex deciſ. Valerij Valar. 76. per totam,* ac etiam ex alia *deciſ. Barz. 87. num. 22. in Lucanis.*

ARGVMENTVM.

Res iudicata vt obſtet, quæ requirantur. &c.

SVMMARIVM.

1 *Res iudicata vt obſtet, requiritur quod interueniat idem corpus, eadem quantitas, idem ius, & eadem cauſa petendi, aliàs nõ poterit obſtare res iudicata.*
2 *Et actor agens nouo, ac diuerſo iure quod ſibi ſuperuenit, debet admitti non obſtante re iudicata.*
3 *Verba incidenter prolata ad repellendam moleſtiam non inducunt confeſſionem præiudicialem.*
4 *Ad obſeruantiam cum res dubia redditur recurrendum eſt, cum rei dubiæ nulla maior detur interpretatio, ipſa obſeruantia.*

DECISIO LXXV.

THomas Contrius in Curia mercatorum petebat admitti ad beneficium ſtatuti d. Curiæ, *ſub cap. 11. lib.1.* Et fuit per me (conſentientibus Spectabilibus Viris ad dictum Officium deputatis) deciſum, fore d. Thomam admittendum (prout admiſimus) ad tale beneficium, quod erat conſignandi notulam ſui ſtatus ac conditionis, adhoc vt poſſet eſſe tutus a captura pſonæ, & hoc ex infraſcriptis.
1 Primò, quia non videbatur ei obſtare res † iudicata quæ ei opponebatur, & hoc per text. *in l.cum quæritur, cum duabus ſequentib.ff.de re iudic.* in quibus habetur, quod ad hoc vt obſtet res iudicata, requiruntur, idem corpus, eadem quantitas, idem ius, & eadem cauſa petendi; quæ omnia niſi concurrant, non obſtat res iudicata. At cum in caſu noſtro (licet fortaſſe dici poſſet adeſſe reliqua) nõ aderat tamẽ idem ius, & eadem cauſa. Cum enim in primo iudicio ipſe Thomas notulam ſui ſtatus & conditionis porrexerit defectuoſam, in qua conſiſtebat ius ſuum, & ſua cauſa petendi illud beneficium, ad hoc vt a ſuis creditoribus non poſſet in perſonam multari, & modo præſentaret alteram notulam diuerſa continentem, & plura alia, viſum
2 fuit ex † nouo iure ſuperueniente liberè admitti ad tale beneficium, & poſſe ſupplere id, quod in primo iudicio omiſerat, per text. *in l.de rebus, ff.de recept. arbitr. & in l.licet, C. de iudic.* Bart. *in l.& an eamdem, §.actiones, num.6. & 7.ff.de except.rei iud.* Abbas, *in cap.2.num.17.de lib.oblat.* Felinus, *in cap. penult.col.finali, num.10. de except.* Caputaquenſ. *deciſ.108.par.3.*

Nec dici poſſe viſum fuit, quod d. Thomas malitiosè omiſerit in primo iudicio partitas illas prętermiſſas, & propterea non poſſe ei prodeſſe allegata iura, cum viſum fuerit habuiſſe ſatis iuſtam cauſam omittendi eas, ex quo paulo ante Antonius eius pater in notula quam ipſe porrexit corã eadem Curia, notauerit illaſmet partitas, & fuerint acceptatæ tamquam partitæ patris, & ſic nõ videbantur bis debere aſſignari in dicta Curia.

Nec obſtare videntur litterę quas ipſe Thomas ſcripſit Michaeli Cataldo, in quibus videtur detegi fraus in celãdo ſex accordelatos (vt ipſe aſſerebat) & alia in ſua aduerſa fortuna. Quia dicitur,

3 quod cum iſta † verba fuerint incidenter, & ad alium finem prolata, nempe, vt mitigarent & eo perduceret ipſum Michaelem, ne ipſum moleſtia afficeret pro eius credito, cum d. Thomæ non inducunt confeſſionem præiudicialem. Salic. *in l.* 1. *col.*4.*C.de confeſſ*, Maſcard. qui plures alios allegat *tractatu de probatio. concluſ.* 383. *num.* 2. Ac etiam quia cum alias ſuper hoc fuerit proceſſatus, ac purgatis indicijs liberatus, nõ erat amplius ſuper hoc faciendum aliquod fundamentum.

Secundò, quia cum eſſemus in re dubia, recur-
4 rendum † erat ad obſeruantiam, de qua plura coram nobis fuerunt deducta exempla in contradictorio iudicio pro hac parte ſequuta, & determinata. Et nulla maior interpretatio rei dubiæ adduci poteſt, quam ipſa obſeruantia. *cap. cum dilectus, de conſuet. cap. cum veniſſent, de inſtit.* Roman. *conſil.* 328. *num.*5. Dec. *conſil.*283. *num.* 8. cum aliis per Crauet. adductis, *in reſponſo pro genero, num.*317. Beccius, *conſil.*101.*num.*48.*& ſeq.*

Secundò, quia non fuit per appellantem ſolutũ dacium per ſtat. *cap.* 13. *lib.* ... Ideo talis proceſſus redditur nullus per Stat. *cap.*23.*in fine, lib.*3.

Nec obſtare viſa ſunt quæ in contrarium deducebantur, quod ſcilicet d. Selmus non poſſit dici verus contumax, quia non fuit citatus tamquam abſens, cum abeſſet a ciuitate, & propterea non obſtare ſtatutum *in cap.*20. *&* 21. *&* 55. *lib.*4. *Stat.*
2 quæ habent † locum in vero contumace, & non in ficto, & quod propterea poſſit appellari, vt de cõmuni teſtatur Petr. Cabal. *conſil.* 110. *num.* 1. Et
3 etiam, quia † vbi forma ſtatuti non fuit ſeruata cõtumax non poteſt haberi pro confeſſo Dec. *in c. conſuluit, num.*90. *extra de offic. deleg.* Felin. *in cap. cum dilecta, num.*9. *de reſcript.*

Quia reſpondetur, totum contrarium ex proceſſu apparere, vbi clarè dignoſcitur fuiſſe ſeruatam formam a ſtatuto præfixam *in cap.*20. *&* 21. *lib.*4. Et ſeruata tali forma, & inquiſito non comparente, declaratur talem haberi pro vero contumace, & pro confeſſo.

ARGVMENTVM.

Statutum loquẽs de contumace, quomodo intelligatur.

SVMMARIVM.

1 *Pœna triremium dicitur pœna capitalis.*
2 *Statutum quod contumax non poßit appellare, intelligitur de vero contumace, & non habet locum in ficto, qui non dicitur verus contumax.*
3 *Contumax pro confeſſo haberi non poteſt, vbi forma ſtatuti non fuit ſeruata.*

DECISIO LXXVI.

Appellatum fuit ad Rotã per Baptiſtam Selmium a ſententia D. Prætoris Lucenſis, lata contra Selmum eius filium, ad fauorem fiſci. Et fuit pronunciatum tali appellationi non eſſe deferendum, ex pluribus.

Primò, ex diſpoſitione ſtatuti *lib.*5. *cap.*5. *& ca.* 250. *lib.*4. vbi diſponitur, quod a ſententijs corporalibus latis in cauſis criminalibus, non poſſit appellari, ſupplicari, vel de nullitate dici, & quod omnis appellatio ſit ipſo iure nulla, & nullius roboris & effectus. Quod etiam diſponitur contra contumaces *in c.*55. *lib.*4. At cum in caſu noſtro fuerit d. Selmus condemnatus per ſupradictum D. Præ-
1 torem in pœnam † triremium per quinquennium, quæ pœna non ſolum dicitur corporalis, ſed etiam capitalis, per text. *in l. capitalium*, ibi, [deinde proxima morti,] *ff. de pœn.* Granuc. *theorem.* 3. *nu.* 10. Illuſtr. Card. Tuſcus *Concluſ.*223. *littera P. nu.* ... Farinac. *in tit. de delict. & pœn. quæſt.* 19. *nume.* 14. ſequitur quod talis appellatio non erat vllo modo admittenda.

ARGVMENTVM.

Perſonam alicuius in adminiſtrando quis dicitur approbare, quando patitur illum negotia gerere, & alia ſimilia facere: nam tacitè illius perſonam dicitur approbare.
Scientia quomodo probetur, &c.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſio ſuperat omnem aliam probationem.*
2 *Tacens & patiens aliquem adminiſtrare & negotia gerere, præſumitur illius perſonam approbare.*
3 *Sciẽtia ex coniecturis & præſumptionibus probatur.*
4 *Publica præſumuntur omnibus nota.*
5 *Scientia probatur ex eis, quæ communiter fieri ſolent.*
6 *Scientia probatur ex longitudine temporis in ijs quorum intereſt.*
7 *Conſenſus inducitur quando aliquis actus interuenit ex quo conſtat de voluntate agentis.*
8 *Ille qui tenetur rationem reddere debet prius libros exhibere, & poſtea reliquatum reſtituere ſi quod adſit.*

DECISIO LXXVII.

Agebatur cauſa inter Spectabiles viros de Bonuiſijs, & Penteſijs, in qua diu fuit diſputatum circa redditionem rationum, occaſione negotiationis factæ per Sp. Arrigum Diodatum Venetijs. In qua quidem duo ſpecialiter fuerunt controuerſa: An ſcilicet ipſe Spect. Arrigus habuerit legitimam perſonam (vt dicitur inter mercatores) Stralciatoris, hoc

eſt

eſt habentis authoritatem exigendi credita, & ſoluendi debita ſocietatis, & ad finem deducendi negotia omnia, hoc enim officium eſt ipſius Stralciatoris. Aliud erat, an re vera ipſe Arrigus reddiderit rationem, ac computum legalem de negotijs per eum geſtis.

Quo ad primum, fuit per nos declaratum, quod ipſe Spect. Arrigus habuerit legitimam perſonam Stralciatoris. Et hoc eo quia in chirographo ſocietatis initæ inter participes, adeſt pactum expreſſum in hęc verba, [Che rinouandoſi la ragione con li medeſimi intereſſati, o poco differenti, quelli che la gouerneranno ſi habbino a pigliare cura dello Straltio, & non rinouandoſi poſſi Martino & Antonio Bonuiſi con ſotisfattione delli altri intereſſati, darne la cura a cui parera.] Et licet pro parte Dominorum de Peniteſijs, multa fuerint deducta ad docendum quod iſta ſocietas non poſſit dici renouata cum eiſdem intereſſe habentibus, aut parum differentibus, ſed quod ſit valdè diuerſa a prima, tamen, quando etiam procederent adducta per eos, non videtur tamen ſublatum quod in ſecunda diſpoſitione d. chirographi habetur, videlicet: Caſu quo d. ſocietas non eſſet renouata, poſſint Spect. Martinus, & Antonius de Bonuiſijs, dare curam d. Straltij cui ipſis videbitur, cum ſatisfactione aliorum intereſſe habentium. Vnde cũ per dd. de Bonuiſijs fuerit data talis cura Spect. Arrigo ſaltem quo ad ſecundum caput chirographi, videtur hoc fuiſſe iuridicè factum, & ſic dictum Spec. Arrigum habuiſſe legitimam perſonam Stralciatoris.

Nec obſtat quod dicebatur pro parte Dominorum de Peniteſijs, quod talis deputatio Spect. Arrigi non fuerit facta cum ſatisfactione habẽtium intereſſe, vt requirit chirographum, & maximè reſpectu perſonæ Spect. Horatij Peniteſij, ex quo de hoc non fuit requiſitus, & nullam (vt ipſi aſſerebant) habuit ſcientiam.

Quia quo ad perſonam Spect. Nicolai apparebat ex eius confeſſione facta in inſtrumento compromiſſi, habuiſſe, & notitiam, & conſenſum adhibuiſſe, in quo inſtrumento ipſe aſſerebat D. Antonium Bonuiſium de eius conſenſu dediſſe curam
1 Stralcij Spect. Arrigo. Quæ † confeſſio ſuperat omnem aliam probationem. *l. vlt. C. de fideicom.* Menoch. *conſil.* 180. *num.* 24. Barz. *deciſ. Bonon.* 24. *nume.* 2. vbi alios allegat. Quo verò ad Spect. Horatium, ex pluribus probatur, quod eſſet ei ſatisfactum de perſona Spect. Arrigi. Et Primò, cum D. Horatius ſciuerit d. Spect. Arrigum habuiſſe curã Stralcij eidem commiſſam ab alijs participibus in d. ſocietate, eamque exercuiſſe per multum tem-
2 poris ſpacium ipſo patiente, † tacitè videtur approbaſſe eius adminiſtrationem, & conſenſiſſe tali curæ ei demandatæ. Bart. *in l.* 1. *§. familiæ, ff. de publ. & vectigal. in fine*, per text. *in l.* 1. *§. Magiſtratum, vbi Caſtr. num.* 3. *ff. de exercit. act.* Caſtr. *conſil.* 1. *nume.* 1. *volum.* 1. *l. vlt. ff. quod cum eo.* Menoch. *de præſump. lib.* .... *præſumpt.* 99. *num.* 12. Quod etiam d. Spect. Horatius habuerit de hoc ſcientiam probatur ex multis rationibus & argumentis, & claris probationibus. Licet enim in pluribus præſumtiones & cõiecturę non ſint probationes legitimę,
3 tñ † quod aliquis ſciuerit aliquod negotium, dicuntur probationes legitimæ; Maſcar. *Concl.* 293. *nume.* 1. *vol.* 3. Lepidus *deciſ. Lucana* 88. *verſic. quibus.* Surdus *deciſ.* 221. *num.* 10. Primò, quia hoc erat publicum, & notorium in hac ciuitate, & in ciuita-
4 te Venetiarum. Quod † enim publicum eſt, præſumitur omnibus notum, & maximè ijs quorum intereſt. Lepidus *d. deciſ.* 88. Grammat. *deciſ.* 36. *nume.* 17. *& ſeq.* Rota Ianuenſ. *deciſ.* 14. *num.* 4. Surdus *deciſ.* 265. *num.* 17. Secundo, quia Spect. Nicolaus eius frater, ſe tranſtulit Venetias ad effectum dandi curam d. Stralcij de conſenſu & ſcientia d. Spect. Horatij d. Spect. Arrigo. Vnde eſt prorſus inueriſimile, quod per litteras non fuerit certioratus ab eius fratre de tali cura demandanda dicto
5 Spect. Arrigo. Et ab † his quæ quotidie euenire ſolent arguitur ſcientia. Caſtr. *conſi.* 99. *num.* 2. *lib.* 2. Dec. *conſil.* 303. *num.* 3. Roland. *conſil.* 66. *num.* 23. *lib.* 4. Tertiò, cum per multum temporis ſpacium geſſerit hanc curam ipſe Spectab. Arrigus, ex tali
6 temporis † lõginquitate arguitur etiam ſcientia in ijs qui habent intereſſe. Crau. *de antiq. temp. §. mate-*
7 *ria, num.* 62. Lepidus *d. deciſ.* 88. Quarto, † inducitur conſenſus, quando aliquis actus interuenit ex quo clare appareat de voluntate agentis, vt ex multis comprobat Rota Ianuenſ. *deciſ.* 14. *num.* 75. *cum ſeq.* At cum per dd. Spect. Horatium & Nicolaum, poſt aliquos menſes fuerit factum mandatũ Spect. Arrigo ad Stralciandum d. negotium, in quo datur eidem facultas ampla id faciendi, videtur clare apparere de conſenſu, ac ſatisfactione dd. de Peniteſijs.

Secundò principaliter fuit per nos declaratum, d. Spect. Arrigum rediddiſſe bonum, verum, ac legalem computum, & rationem de geſtis per eum in tali negotio, per præſentationẽ librorum per eũ
8 factá. Is enim † qui tenetur reddere rationem, debet in primis exhibere libros, ex quibus apparere poſſit de omnibus per eum geſtis; deinde reſtituere reliquatum caſu quo aliquod ſuperſit reliquatũ. Afflict. *deciſ.* 117. *in fine.* Bald. *conſil.* 152. *in princip. lib.* 3. Cauet. *conſil.* 251. *nu.* 2. Socin. ſen. *conſil.* 149. *num.* 3. *lib.* 1. Rota Ianuenſ. *deciſ.* 209. *num.* 2. At cũ Spect. Arrigus præſentauerit ſuos libros ritè ac legitimè per eum pertractatos, ac ſcriptos, ac diligẽter per arbitros electos, viſos, ac conſideratos, & facto diligenti calculo, cum ex eis appareat, apud eum non remanſiſſe aliquod reliquatum quod veniret reſtituendum, vtique fuit iure merito pronũciatum, ipſum reddidiſſe bonum computum, ac veram, & legalem rationem de adminiſtratis per eum.

ARGVMENTVM.

Iudex criminalis an de cauſa ciuili cognoſcere poſſit; & quomodo.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Iudex criminalis licet principaliter non poſſit cognoſcere de cauſa ciuili, poteſt tamen incidenter in ea ſe intromittere, vt de reſtõne rei furto ſubtractæ.*
2 *Sententia nulla poteſt per iudicem appellationis confirmari, quando in meritis conſtat de boni iure agentis.*
3 *Sententia lata ante publicationẽ proceſſus, eſt nulla.*
4 *Non entis nullæ ſunt qualitates.*

DECISIO LXXVIII.

IN cauſa appellationis interpoſitę per Ioannem Balderam, a ſententia perilluſtris Do. Prætoris Lucẽſis, ad fauorẽ Capitanei Petrini de S. Angelo, pronũciauimus bñ iudicatũ, & male appellatũ.

Primo, quia nobis conſtitit proceſſum nullum penitus fuiſſe ex quo deciſum integrè ſolutum, nõ fuit, quo caſu ex diſpoſitione decret. Excellentiſſ. Conſilij proceſſus nullus, ac nullius valoris redditur, & Iudex non poteſt ſuper eo procedere, tam in prima inſtantia, quam in appellatione, & idem etiam cauetur *in cap. 13. lib. 5. ſtatut.*

Secundò, quia quoad merita, viſum fuit d. Capitaneum Petrinum bonum ius fouere, ex quo ex proceſſu conſtabat quod equus de quo agebatur, datus fuit a d. Ioanne dic. Capitaneo Petrino, & quod d. equus fuerit furatus, & iuſtificata omnia neceſſaria ad victoriam per teſtes in proceſſu examinatos, & ex aduerſo nihil releuans fuit deductum, & propterea fuit confirmata ſententia Do. Prætoris, ad notata per text. *in l. vbi, C. ad leg. Corn. de falſ. l. quæ ſententiam, C. de pœnis.*

Nec obſtat dum ex aduerſo dicebatur, D. Prætorem eſſe iudicem incompetentem, cum agatur de cauſa ciuili, hoc eſt de reſtitutione equi ſeu pretij. Et D. Prætor eſt iudex ſolum in criminalibus, *iuxta cap. Rotæ* 10. Quia reſpondetur, quod licet
1 Iudex † criminalis non poſſit principaliter cognoſcere de cauſa ciuili, poteſt tamen incidenter cognoſcere etiam de cauſa ciuili, nempè, de reſtitutione rei furto ſubtractæ. Bart. *in l. interdum, §. qui furem, ff. de furt.* & facit ſtat. *lib. 4. cap. 95.* & quatenus etiam talis defectus adeſſet, attamen, quan-
2 do † ſentẽtia eſt iuſta circa merita, poteſt & debet Iudex appellationis eam confirmare, non obſtante defectu iuriſdictionis. Alex. *conſil. 67. lib. 6.* Vantius, *de nullit. in fine tract. num. 129.* Dec. *conſ. 480.* Cagnolus *in l. 2. C. de reſciud. vendit. num. 148.* Carpanus, *ad ſtat. Mediolan. cap. 135. num. 4.* Magonus, *deciſ. Lucana 25. num. 45. & deciſ. 62. num. 28.* Rota Ianuenſ. *deciſ. 23. num. 15. & 16. verſic. accedit.* Cornaz. *deciſ. Lucana 194. per tot.* Gabriel. *conſil. 49. num. 4. verſic. quamuis receptiſſimum ſit, lib. 1.* Cephal. *conſil. 223. num. 21.* Borgnin. *deciſ. 19. numero 12. & 13. & num. 21. & deciſ. 25. numero 23. parte prima.*

Nec etiam obſtabat dum dicebatur ſenten-
3 tiam † fuiſſe latam non publicato proceſſu, cuius publicatione deficiente, ſententia nulla redditur, tam per diſpoſitionem ſtatuti, *in cap. 39. verſic. & in quolibet caſu lib. . .* quam etiam ex iuris communis diſpoſitione, Hoſtienſ. *in Summa de ſentent. §. qualiter, col. 3. verſic. 12.* Alexand. *in l. diuus, col. 1. de re iudic.* Vantius, *de nullitate ex defectu proceſſ. num. 40.* Lepid. *deciſ. 32. per totam.* Barzius, *deciſ. 75. num. 40.* Grat. *conſil. 77. num. 5. lib. 2.* Carpan. *ad ſtat. Mediolan. cap. 131. num. 151.* Quia dicitur, intra tempus aſſignatum ad probandum nihil fuiſſe deductum, nec factas fuiſſe aliquas probationes cuiuſcumque generis. Ideo non erat neceſſaria aliqua publicatio proceſſus, ex quo nullus aderat proceſſus qui publicari potuiſſet, cum † non
4 entis nullæ ſint qualitates, *l. eius qui, in princip. ff. ſi cert. petat.*

ARGVMENTVM.

Scientiam partis ſupplere defectum citationis oſtenditur.

SVMMARIVM.

1 *Sententia quæ tranſitum fecit in iudicatum, facit de albo nigrum, & debet exequutioni demandari.*
2 *Notitia partis ſupplet defectum citationis.*

DECISIO LXXIX.

INterpoſitus fuit recurſus ad Rotam pro parte Magnifici Petri ac ſer Marij de Carellis, a pronuncia D. Iudicis ordinarij, prolata ad fauorem Magnifici Do. Theophili de Carellis. Et fuit pronuciatum benè iudicatum, & malè recurſum, & hoc, quia viſum fuit ſupradictos Magnificos Petrum ac Ser Marium, non fuiſſe vllo modo grauatos per pronunciam d. Do. Iudicis. Cum enim per ſententiam Rotæ & prædicti. Do. Iudicis fuerit declaratum debere fieri compromiſſum, & ſecundum formam ſententiarum prædictarũ fuerit petitum fieri compromiſſi extenſionem, & D. Iudex mãdauerit p̃dicta notificari parti, & citari ad primã iuris, ad faciendam extenſionẽ cõpromiſſi, & ab huiuſcemodi pronuncia fuerit interpoſitus recurſus, vtique viſum fuit ex tali pronuncia nullum grauamen reſultare contra ipſos recurrentes, cum fuerit iuſtè prolata, & in exequutionem ſen-
1 tentiarum alias prolatarum. Quæ † cum fecerint tranſitum in iudicatum, nõ poterat de eis amplius diſputari, cum habeantur pro veritate, ac faciant de albo nigrum, & exequutioni debeant demandari, *l. res iudicata,* vbi Dec. & Cagnol. *ff. de regul. iur. l. ingennum, ff. de ſtatu homin. cap. diffinitiua, 2. q. 6.* Speculat. *tit. de ſentent. §. finali, num. 15.* Natta, *conſil. 524. num. 4.* Surdus, *conſil. 268. numero 1.* Barz. *deciſ. Bonon. 68. num. 4. & 10.*

Nec

Nec viſum fuit obſtare, dum ex aduerſo dicebatur, D. Iudicem Ordinarium non potuiſſe committere primam citationem cum comminatione (prout commiſit) quia non ſolum ad eligendos arbitros, ſed etiam ad faciendum compromiſſum requiruntur binæ citationes, vt per cap. Rotæ 57. *verſic. & ſi pars.* Quia dicitur, quod binæ citationes requiruntur ad hoc vt poſſit, & teneatur Iudex ex officio eligere arbitros, & compromiſſum facere. Vnde ſi D. Iudex elegiſſet arbitros & compromiſſum feciſſet, tunc potuiſſent dd. Domini de Carellis allegare talem defectum citationis. At nihil horũ factum fuit; imò, ſtatim prolata d. pronuncia, per d. Dom. Iudicem, fuit interpoſitus recurſus, in quo apparet dd. Dominos recurrentes habuiſſe plenam notitiam talis pronunciæ, quæ

2 notitia † de iure ſupplet defectum citationis. Roman. *conſil.* 402. *num.* 2. Marſil. *in Rubr. de probat, num.* 371. Ruin. *conſil.* 61. *num.* 33. *& conſil.* 117. *nume.* 6. *lib.* 5. Veſtrius *in Praxi de exequut. citat. cap.* 3. *lib.* 4. *num.* 8. Lepidus *deciſ.* 25. *per totam.* Menoch. *in conſil.* 100. *num.* 12. Rota Roman. *deciſ.* 422. *nume.* 5. *parte prima, in nouiſs.* Menoch. *conſil.* 100. *nume.* 12. Veſtrius *in Praxi, de exequut. citat. c.* 3. *lib.* 4. *num.* 8. Lepidus *deciſ.* 25. *per totam.*

ARGVMENTVM.

Statutum generaliter loquens, debet generaliter intelligi, & non reſtringi ad certas ſpecies particulares.

SVMMARIVM.

1 *Forma tradita a ſtatuto debet ad vnguem obſeruari.*

2 *Vbi interueniunt ſuppoſita ſtatuti, debet eſſe locus eius diſpoſitioni.*

3 *Statuto generaliter loquente de ſententijs, non debet eius generalitas reſtringi ad certas particulares ſententias, ſed eſt intelligendum de omnibus ſententijs in genere.*

DECISIO LXXX.

FVit interpoſitus recurſus ad Rotã per Spect. Raynerium Cantarinum a laudo arbitrorum. Et fuit pronunciatum ipſum recurrẽtem non fore audiendum in præſenti recurſu.

Moti, quia adeſt expreſſa diſpoſitio cap. Rotæ 58. *verſic. & prædicta omnia locum habeant*, in quo determinatur quod in huiuſcemodi cauſis non poſſit interponi recurſus, nec aliquo modo volens recurrere audiri, niſi prius legitime oſtenderit per inſtr̃m publicum; quod realiter, & cum effectu depoſitauerit pœnam in compromiſſo aut decreto excell. Conſilij ſeu DD. Antianorum contentam, in manibus Camerarij generalis. Quod cum nullibi in hac cauſa factum fuiſſe appareret, merito fuit pronunciatum dictum recurrentem non eſſe

1 audiendum. † Forma enim iuris municipalis debet ad vnguem obſeruari. Cephal. *in conſil.* 480. *num.* 9. Rimin. iun. *in conſil.* 178. *num.* 26. Barzius *deciſ.* 87. *num.* 1. *&* 2.

Nec obſtare viſum fuit, dum ex aduerſo dicebatur, cap. Rotæ allegatum loqui in recurſu a laudo Arbitrorum, & nos verſari in recurſu interpoſito ab exequutione ipſius laudi, & ſic in diuerſis terminis, & propterea non eſſe locum diſpoſitioni dicti capituli Rotæ. Quia dicimus, diſpoſitionem prædicti capituli 58. *ver. & prædicta omnia habere locum in quibuſcumque ſententijs latis vigore cõpromiſſi extraiudicialis confirmati per decretum Excellentiſs. Conſilij ſeu Illuſtr. DD. Antianorum*, vt ex verbis ipſius clarè patet. At ſententia ſuper exequutione laudi lata (de qua agitur) lata fuit vigore compromiſſi confirmati, & approbati, vt ſupra; quia in compromiſſo non ſolum fuit Arbitris conceſſa facultas laudandi, ſed etiam expreſsè appoſitum pactum, quod debeant exequi eorum laudum infra quindecim dies, vnde dici non poteſt, quod non ſimus in terminis dicti cap. Rotæ; quia ſententia ſuper exequutione ipſius laudi, ita dicitur ſententia vigore compromiſſi, vt ſupra prolata, ſicuti

2 ipſum laudum, vnde † illius diſpoſitioni debet eſſe locus, cum ſuppoſitum, & qualitates ſtatuti verificentur. Ruin. *in conſil.* 143. *num.* 9. *lib.* 2. Magon. *deciſ. Florent.* 40. *nu.* 1. Surdus *conſil.* 45. *nu.* 34.

3 Barzius *deciſ.* 115. *num.* 7. Et cum † ſtatutum indefinitè, ac generaliter loquatur de ſententijs latis ab Arbitris vigore compromiſſi confirmati vt ſupra, non eſt reſtringenda generalitas ſtatuti ad certas particulares ſententias, contra text. *in l.* 1. *§. generaliter, ff. de legat. præſtand.* Barzius *deciſ.* 97. *num.* 11. Socin. *in conſil.* 127. *num.* 4. *in fi. lib.* 4. Corneus *conſil.* 57. *num.* 9. *lib.* 2. Et cum hoc ſit inductum ob reuerentiam Excell. Conſilij, & ſupremi magiſtratus DD. Antianorum, non eſt violandum, ſed indefinitè ſeruandum, in quibuſcumque ſententijs latis vigore compromiſſi ſub tali forma, ac ſollemnitate confecti.

ARGVMENTVM.

Quando ſequeſtratarius non ſit obligatus rem ſequeſtratam repræſentare.

SVMMARIVM.

1 *Statuti forma non ſeruata actus corruit.*

2 *Sequeſtratarius non tenetur rem ſequeſtratam præſentare, quando ſequeſtrum eſt nullum.*

3 *Quod nullum eſt nullam producit obligationem.*

4 *Statuti diſpoſitio eſt intelligenda de actu valido, non autem de inualido.*

DE-

DECISIO LXXXI.

BAptiſta Lena habuit recurſum ad Rotam a pronuncia D. Commiſſarij Vallis, ad fauorem Heliæ de Piſcaglia. Et fuit per Rotam pronunciatum, bene iudicatum, & male recurſum. Et hoc, quia ſequeſtrum factum ad inſtantiam d. Baptiſtæ in perſonam ſupradicti Heliæ, nulliter factum fuiſſe viſum fuit, ex quo non fuit ſeruata forma *cap.* 158. *lib.* 1. *ſtat.* in quo diſponitur, quod in huiuſcemodi ſequeſtris, ſeu recomendationibus, adhibeatur prę ſentia vnius teſtis, qui non ſit nuncius alicuius Curiæ, quod cum ex actis appareret non fuiſſe ſeruatum in præſenti caſu, ſequitur concluſio illa iuris
1 vulgata, quod † non ſeruata forma ſtatuti, actus corruit. glo. & Doctor. *in l. mancipia, C. de ſeruis fugit.* Socin. ſen. *in conſil.* 55 *num.* 4. *lib.* 1. & in ſpecie,
2 quod † ſequeſtrum factum non ſeruata formà ſtatuti, ſit ipſo iure nullum, tradit Borgnin. *deciſ.* 5. *tit. de iudic.* Cum ergo ſequeſtrum de quo agebatur fuerit nulliter factum, ſequitur quod ſequeſtratarius ſeu recommiſſarius non teneatur repræſen-
3 tare rem ſequeſtratam; quod † enim nullum eſt, nullam producit obligationem, *cap. non præſtat, de regul. iur. in* 6. *l. eius qui, in princip. ff. ſi cert. petat.* Vnde multa contra ipſum in contumaciam, ad hoc, vt præſentaret bona ſequeſtrata commiſſa, non erat exequenda, prout fuit pronunciatum per d. D. Commiſſarium.

Accedat, quod nullibi in proceſſu erat probatum d. Heliam in aliquo eſſe debitorem, vel habere bona aliqua, vel pecunias ſpectantes ad Cæſarē Adami, cōtra quem fuit factum ſequeſtrum, quod erat omnino probandum, imò ipſe Helias iurauerat numquam habuiſſe, nec habere bona d. Cæſaris: cum ad hoc vt ſequeſtrum poſſit ſubſiſtere, de neceſſitate adeſſe debeat res ſequeſtranda, & ſuper qua fundari poſſit ſequeſtrum ipſum. Nec etiam docuit ipſe Baptiſta de ſuo credito, prout tenebatur ex diſpoſitione prædicti ſtatuti, ibi, [& in dicto termino.]

Nec obſtat *cap.* 158. *lib.* 1. *ſtat.* vbi diſponitur, quod ſequeſtratarius ad mandatum Iudicis rem ſequeſtratam præſentet, nec vllas circa hoc defenſiones, vel exceptiones allegare poſſit. Quia dici-
4 tur † ſtatutum loqui de ſequeſtro valido, non autē de ſequeſtro nullo, ac inualido; quia ſtatuti diſpoſitio ſemper eſt intelligenda de actu valido, non autem de nullo, vt in ſimili de laudo tradit Corneus, *in conſil.* 125. *nume.* 3. *lib.* 1. Magonus *deciſ. Lucana* 98. *num.* 9. *&* 10.

ARGVMENTVM.

In iudicio quando ſit citandus dominus, & quando procurator.

SVMMARIVM.

1 *Iuramento probatur ſcripturam penes aliquem non exſtare.*
2 *Exhibitioni librorum vt ſit locus, debet conſtare de intereſſe petentis.*
3 *Verbum (debet) de ſui natura importat neceſſitatem.*
4 *Forma non ſeruata actus corruit.*
5 *Procurator, quando eſt effectus dominus litis, eſt citādus, & non dominus principalis.*
6 *Procurator per litis conteſtationem efficitur dominus litis.*
7 *In appellatione ſufficit citari procuratorem.*

DECISIO LXXXII.

SPectabilis Petrus de Maſſeis habuit recurſum ad Rotam, a ſententia Domini Iudicis primarum inſtantiarum, ad fauorem Spectab. Hieronymi, ac Laurentij de dictis Maſſeis. Quæ ſententia fuit in multis reformata per Rotam.

Mota, quia quoad primam partem ſententiæ, in qua diximus non fuiſſe ſufficienter reſponſum poſitionibus per d. Petrum, ita veniebat pronunciandum ex diſpoſitione ſtat. *lib.* 1. *cap.* 59. vbi diſponitur, quod nulla reſponſio recipiatur ad aliquam poſitionem, niſi per verbum ſimpliciter credit, vel non credit, negat, vel confitetur, dum tamen reſponſio ſit ſimplex, & clara, & non captioſa. At in caſu iſto cum reſponſio Spect. Petri, non eſſet talis quoad primam, & ſecundam poſitionē, merito fuit pronunciatum vt ſupra.

Quo verò ad ſecundam partem ſententiæ noſtræ, de exhibitione librorum, declarauimus d. Petrum non teneri ad aliam exhibitionem, ſtante iuramento per eum præſtito, non habere ſe alios libros cōcernentes intereſſe partis aduerſę, eo quia, pronuncia alias per nos facta, grauabat d. Spectab. Petrum tantummodo ad exhibendum libros concernentes intereſſe filiorum Spect. Aitantis; Vnde
1 cum ipſe Spect. Petrus † iurauerit nullos alios ſe habere libros concernētes hoc intereſſe, niſi eos quos produxerat, viſum fuit ſtante ipſius iuramento, nō poſſe eum amplius moleſtari ſuper hoc, niſi aliud fuerit doctum, vel ſaltem datus aliquis fumus intereſſe dd. filiorum Spect. Aitantis, quo edocto, erit locus dictæ exhibitioni ad formam ſententiæ alias per nos latæ, *l. vltima, C. de fidē inſtrumen.* notatur *in l. ſi quis ex argentarijs, §. ait Prætor, ff. de edendo.* Decian. *reſponſo* 43. *num.* 35. *lib.* 4. Facit ſtatut. *lib.* 1. *cap.* 71. Non enim conueniens erat condemnari d. Spect. Petrum ad exhibendum librum proprium ſuarum rationum, niſi aliquo modo do-
2 cto de intereſſe prętenſo a parte aduerſa: cum † huiuſmodi exhibitiones non ſint faciendæ niſi inquātum pertinent, & agitur de intereſſe petentis, per text. *in d. l. ſi quis ex argentarijs, §. edi, ff. de edendo,*

Declarauimus poſtremò loco, libros exhibitos in manibus d. D. Iudicis per d. Petrum, debere ibidem

dem commorari tantum per alios dies ſex currentes, ad effectum vt pars poſſit eis vti iuxta aliàs ordinata: quia non erat æquum quod dicti libri abſque aliqua temporis præfinitione deberent permanere penes d. D. Iudicem cũ notabili damno Dominorum de Maſſeis ac Bonuiſijs intereſſe habentibus, qui Domini habebant neceſſitatem dictim eorum negotia in eis adnotare, & videre, & cum talis exhibitio non requireretur ad effectum reddendi rationes aliquas, quia hoc erat faciendum in ſuo caſu coram tribus viris eligendis, iuxta diſpoſitionem ſtatuti, *lib. 2. cap. 56.* coram quibus erat agendum de tali librorum editione, iuxta text. *in l. ſi cui libertas, ff. de condit. & demonſtrat. vbi Caſtren. & alij.* Et propterea erat ſuperfluum, & valde dãnoſum dd. libros ibi vlterius manere, ad tradita per Lepidum, *deciſ. 1. in principio.*

Nec etiam obſtare duximus, dum vltimo loco dicebatur, recurſum, de quo agitur, eſſe nullum, ex quo non fuit ſeruata forma cap. Rotæ 31. diſponentis cui, & quomodo debeat recurſus intimari, per illa verba, [ſed parti intimari debeat eadem die, vel ſaltem die ſequenti.] Cum enim non fuerit facta intimatio ipſis principalibus, ſed tantummodo procuratoribus principalium, non videtur ipſa pars citata, vt requirit ſtatutum; cum alia perſona videatur eſſe procuratoris, & alia principalis. Et quod forma ex iſtis verbis ſit inducta, apparet ex
3 verbo † (debet) in d. cap. appoſito, quod ex ſui natura importat neceſſitatem, gloſ. *in c. attendentes, in verbo debeant, de ſtatu monachor.* Iaſ. *in l. qui iuriſdictionem num. 8. vbi apoſtillat. in littera E. ff. de iuriſdict. omn. iudic.* Magonus *deciſ. Florent. 7. num.*
4 *10.* Roland. *in conſil. 80. num. 55. lib. 3.* Et † forma non ſeruata actus corruit, *l. non dubium, vbi Doctor. C. de legib.* Dec. *in conſil. 528. in fine.* Barzius, *deciſ. 87. num. 2.* Magonus, *deciſ. Lucana 41. num. 7.* Surdus, *deciſ. 122. num. 2.*
5 Quoniam dicitur, quod † quando procurator eſt effectus dominus litis, (prout in hoc caſu) ipſe procurator eſt in cauſa citandus. Bart. *in l. procuratoribus, C. de procur. in l. furioſo, ff. de re iudic.* Marianus, *in tract. de citat. artic. 5. num. 5. verſic. in contrarium facit.* Boer. *deciſ. 285.* Vantius, *de nullit. ex defectu citat. nu. 84. & 85.* Surdus, *deciſ. 99. num. 33.*
6 Et procurator † per litis conteſtationem efficitur dominus litis, *l. poſt litem, §. ſi defunctus, de procurat. l. procuratoribus, C. eod. cap. quamuis, eod. tit. in 6.* Oldradus, *in conſil. 290. in fine, verſic. nec obuiat*: Et quod in appellatione ſufficiat citare procuratorem, tradit Rota Romana diuerſorum, *deciſ. 779. num. 3. & 4. verſic. ſecundo tollitur, vnito principio deciſionis, parte 1.* Quare cum in hoc ca-
7 ſu fuerint † legitimè citati procuratores, dicitur ſatisfactum fuiſſe diſpoſitioni d. capit. Rotæ 31. Et ita quotidiè practicari in hac Curia pro comperto habuimus.

ARGVMENTVM.

Ab interloquutorijs habentibus vim diffinitiuæ quomodo detur appellatio.

SVMMARIVM.

1 *Interloquutoria habens vim diffinitiuæ, eſt eius naturæ, vt dirimat negotium de quo diſputatur, nec exſpectet aliam ſententiam poſt ſe.*
2 *Nec ab ea per eumdem Iudicem datur reuocatio.*
3 *Diſpoſitio generalis non debet trahi ad caſum in quo eſt ſpecialiter prouiſum.*
4 *Tot ſententiæ ſeu compromiſſa dicuntur, quot ſunt capita ſeparata; maxime quando in diuerſo tempore res ſunt pertractandæ, & expediendæ.*
5 *Laudum latum extra tempus compromiſſi non meretur exequutioni demandari.*
6 *Fallit, quando fuit exequutioni demandatum; quia tunc cenſetur tamquam iuſtum ab arbitris approbatum.*

DECISIO LXXXIII.

IN cauſa reuocationis ſententiæ, petitæ per Dominos de Cantarinis, alias per Rotam latæ ad fauorem celeberrimi Iuriſconſulti D. Nicolai Saminiati, fuit pronunciatum eſſe perſiſtendum in aliàs pronunciatis. Et hoc, quia pronuncia aliàs per nos facta, in qua declarauimus dd. de Cantarinis non eſſe audiendos, niſi prius fuerit per ipſos depoſita-
1 ta pœna ad formam capit. Rotæ 58. Quæ † ſententia cum ſit, ſi non diffinitiua, ſaltem interloquutoria habens vim diffinitiuæ, cum ſuper articulo, de quo diſputabatur, non exſpectaret aliam ſententiam poſt ſe & dirimeret negotium, de quo diſputabatur. vt per Ruin. *in conſil. 157. num. 20. verſic. ſecunda eſt ſententia, lib. 5.* Magonus *deciſ. Lu-*
2 *cana 18. num. 10.* Barzius, *deciſ. 87. num. 20.* † ab ea non dabatur reuocatio per eumdem Iudicem, vt tradit gloſ. & Gemin. *in cap. finali, in verbo inanes, de electiou. in 6.* Imola, Roman. Alexand. & alij, *in l. quod iuſſit, ff. de re iudic.* Surdus, *conſ. 288. num. 2.* cum multis alijs per eum relatis. Et quatenus etiã eſſet permiſſa reuocatio, adhuc erat perſiſtendum in pronunciatis, cum habeamus claram diſpoſitionem d. cap. Rotæ 58. & per alia fundamenta in alia noſtra deciſione.

Nec obſtat dum ex aduerſo dicebatur, quod recurſus interpoſitus per dictos de Cantarinis, ſuſtineri deberet ex diſpoſitione c. Rotæ 29. quod generaliter loquitur de oĩ pronũcia a quocumque Iudice prolata, quatenus non ſuſtineretur ex d. c. 58.
3 Quia dicitur, † prouiſionem generalem minimè eſſe trahendam ad caſum, in quo ſpecialiter fuit prouiſum, *argum. l. doli, & ibi Doctor. ff. de verbor. oblig.* Bart. *in l. ſeruus communis, ff. de ſtipul. ſeruor.* Berous *in conſil. 57. num. 11. lib. 3.* & alij quos recenſet Barzius *deciſ. 68. num. 8.* Sed cum ſpecialiter ſit prouiſum quo modo, & forma ſit recurrendum ex defectu iuriſdictionis a laudo lato vigore

com-

compromiſſi approbati ab Excel. DD. Antianis, per d.c. Rotæ. 58. merito eius diſpoſitio eſt attendenda, & non alia.

Secundo, non obſtat dum dicebatur non verificati verba d. cap. Rotæ, ex quo tale laudum non poſſit dici laudum, & Arbitri non poſſint appellari arbitri, eo quia eſſet exſpirata eorum iuriſdictio, prout prætendebatur. Nam dicitur, in hoc caſu adeſſe duo compromiſſa, & duo lauda, primum verſabatur circa cognitionem eorum, quæ tractabantur, & controuertebantur, ſecundum verò circa exequutionem iudicati; & vtrumque fuit confirmatum ab Excel. DD. Antianis. Et clarum eſt
4 in iure † tot dici compromiſſa, & ſententias, quot
ſunt capitula ſeparata, vt tradunt Doctores *in l. etiam, la 1. §. ex cauſa. ff. de minor.* Rota Romana *decis. 33. num. 9. vſque ad finem, parte ſecunda, in nouiſs.* Præcipuè quando (prout in hoc caſu) in diuerſo tempore, & inſtantia res ſunt pertractandæ, & diffiniendæ. At modo agitur de ſecundo laudo in exequutionem primi lato, cuius inſtantiam pars approbauit, & ſæpius prorogauit, contra quod nihil opponitur; cum oppoſita videantur reſpicere tantummodo primum laudum, quod cum habeat qualitates deſideratas a d. cap. Rotæ, merito etiam diſpoſitioni locus eſſe debet, iuxta iura vulgaria.

Nec obſtat ſi dicatur, primum laudum quate-
5 nus eſſet nullum, & † non poſſet appellari laudũ,
cum prætendatur latum extra tempus compromiſſi, non potuiſſe exequutioni demandari, vt per Borgnin. *deciſ. 21. in princ. de iudic.* Quia dicitur,
6 quod DD. Arbitri conceſſerunt † exequutionem
d. laudo, & ſic etiam videntur illud approbaſſe tamquam iuſtum, ac validum, ad tradita per Bar. *in l. ſi fundus, §. in venditione, ff. de pignor.* Cephal. *in conſil. 57. col. 5. in princ.* Ex quo viſum fuit ſatis præſtari ſumum de bono iure d. exequutionis conceſſæ ad effectum tantum, vt deberet ad vnguem obſeruari diſpoſitio d. cap. Rotæ 58. Quod ſcilicet, dicti de Cantatinis debeant depoſitaſſe pœnã ad hoc vt poſſent audiri. Et hoc eo magis dicendum videtur, ex quo allegatum cap. Rotæ 58. *verſic. & prædicta omnia,* prohibet expreſſè, quod nec etiam volens opponere defectum iuriſdictionis, poſſit vllo modo audiri, niſi prius oſtenderet depoſitaſſe pœnam. Per quæ verba (vllo modo) videtur penitus ſublata facultas opponendi de nullitate, etiam quod iuriſdictio funditus eſſet exſpirata. Et cum de hoc fuerit coram DD. Arbitris controuerſum, & coram Rota multa etiam oretenus fuerint deducta pro vtraque parte, & in ſpecie, quod non eſſet exſpiratum tempus compromiſſi, & ſic articulus iſte videretur valde dubius, & propterea viſum fuit non eſſe audiendos recurrentes, niſi facto depoſito pecuniæ, & maximè, cum per talem pronunciam non deperirent iura recurrentium, ſed remanerent illæſa facto actuali depoſito, &c.

ARGVMENTVM.

In re communi pluribus ſeu iuris publici, non poteſt aliquid innouari in præiudicium cõmunicantium in ea, & iurium publici.

SVMMARIVM.

1 *Publicato proceſſu, & lapſis terminis, nõ poſſunt amplius fieri productiones iurium & probationes.*

2 *Via priuata non poteſt ab aliquo ex conuicinis occupari in præiudicium aliorum in ea communicantiũ, niſi interueniente eorum omnium conſenſu.*

3 *Via publica a nemine poteſt occupari, cum ſit iuris publici.*

DECISIO LXXXIV.

APpellauit ad Rotam Marſilius de Piegaio, a ſententia Dom. Commiſſarij Vallis Rodij Lucenſis districtus, ad fauorem Ioannis Andreæ, de Piegaio. Et fuit pronunciatum benè iudicatum, & malè appellatum.

Primò, quia viſum fuit nullum fundamentum fieri potuiſſe per Rotam ſuper præſenti appellatione: quoniam cum nec acta præſentis appellationis, nec aliud quidquam fuerit productum intra tempus ſeptem dierum datorum ad producendũ, per cap. Rotæ 47. ſequi viſum fuit diſpoſitione d. cap. expreſſè mandatis, quod ſuper iuribus & ſcripturis intra d. tempus ſeptem dierum a die publicationis proceſſus non productis nullum fundamentum fieri poſſit; & omnis allegatio, & productio, quæ fieret elapſo d. tempore, intelligatur, & ſit nulla, & facta non releuet, nec per Iudices, aut notarios admitti, aut recipi debeat, nec in ſententiando poſſit fieri aliquod fundamentum. Immò ipſi Iudices non ſint amplius Iudices in illa cauſa præter quam in ſententia proferenda ſuper meri-
1 tis cauſæ, & lapſu inſtantiæ. Et † propterea non e-
rat in aliquo attendenda præſens appellatio, ſtante tali diſpoſitione prædicti cap. Rotæ. Et vt etiã per Capel. Toloſan. *deciſ. 342. num. 4. & per c. fraternitatis, de teſtib.* Afflict. *deciſ. 227. num. 2. & 3.* Oſaſch. *deciſ. 14. num. 7.* Mynſing. *obſeruatio. 56. Centur. 6.*

Secundò, quia quod merita cauſæ dum diſputabatur ſuper occupatione viæ, an via ſcilicet eſſet priuata, an verò publica, quocumque caſu fuerat
2 benè iudicatum per D. Iudicem a quo. Si enim † ta-
lis via erat priuata, non poterat ab aliquo ex conuicinis, & eius vſum habentibus, occupari in præiudicium aliorum communicantium in ea. Et deciſio Surdi 42. *num. 6.* allegata ex aduerſo, dum dicit, quod tales viæ poſſunt claudi, intelligi debet, quando omnes cõſentiunt qui earũ vſum habent, ſecùs ſi diſſentiant. Cepol. *de ſeruit. ruſtic. prædior. cap. 3. num. 69. in fine,* prout in iure noſtro ſatis notum eſt, quod in re communi non poſſunt ſocij aliquid innouare in præiudicium aliorum communicantium, *cap. in re communi, de reg. iur. in 6. l. finali, §. finali,*

§. finali, ff. de ſeruit. & aquaduct. l. Sabinus, ff. communi diuidundo.

3 Quatenus autem † eſſemus in via publica, minus licitum erat d. Marſilio eam occupare, cum eius ſcala: quia nec etiam conſentientibus vicinis poteſt impediri, & occupari, cum ſit iuris publici. Surd. *in allegata deciſione quadrageſimaſecunda, per totam, & precipuè ſub num. 7. & 15. vbi multos allegat.*

ARGVMENTVM.

Præceptum de dimittendo quomodo ſit concedendum.

SVMMARIVM.

1 *Res inter alios acta tertio non præiudicat.*
2 *Inſtrumenta, & probationes debent exhiberi in iudicio, aliàs quod non eſt exhibitum, quoad Iudicem non dicitur eſſe in rerum natura.*
3 *Teſtis de auditu non probat.*
4 *Dictum vnius, eſt dictum nullius.*

DECISIO LXXXV.

GOrus, & Stephanus de Bandonis, de Marlia, habuerunt recurſum ad Rotam a ſententia Illuſtr. Do. Iudicis primarum inſtantiarum, lata ad fauorem Vincentij Bandoni, quę fuit reformata; namque quoad affictus per d. Vincentium petitos præceptum contra dd. Gorum & Stephanum fuit reuocatum. Quo verò ad præceptum eiſdem factum de non ingrediendo terras de quibus agebatur, fuit confirmatum.

Moti, quia cum ſupradictus Vincentius egerit per viam præcepti contra ſupradictos Gorum, ac Stephanum, ſub prætextu, quod eſſent ſibi obligati occaſione locationis quarumdam terrarum, ad hoc, vt ſibi ſatisfacerent de affictibus iuxta ſtatuti diſpoſitionem, *lib. 1. cap. 167.* & ex dicto inſtrumēto locationis non appareret prædictos Gorum, & Stephanum aliquid ab eo conduxiſſe, nec in aliquo eidem ſe obligaſſe, vtique diſpoſitio dicti ſtatuti nullo modo ei competere poterat; quandoquidem ad hoc vt beneficium dicti ſtatuti agendi illo modo quo ibi traditur, & quo actum fuit, quis conſequi poſſit, debet conſtare de obligatione, & locatione per publicum inſtrumentum, vt in primis verbis eiuſdē ſtatuti clarè habetur. Et licet in addicto inſtrumento appareret d. Vincentium locaſſe Bartholomæo, & Iacobo Bandono ſupradictas terras, & eas inſolidum conduxerint pro dd. Goro ac Stephano eorum fratribus, pro quibus de rato promiſerunt, cum tamen hoc inſtrumentum dd. Gorus ac Stephanus numquam ratificauerint,
1 non poterat eis aliquo modo obeſſe; cum † res inter alios acta tertio præiudicare nequeat *l. qui poſt, de regul. iur.* Tiraquel. *in tracta. res inter alios acta, in limitat. ſecunda principali.*

Quo verò ad præceptum de non ingrediendo terras prædictas, tale præceptum veniebat confirmandum. Nam aut iſte Gorus, & Stephanus conduxerant prædictas terras vigore d. inſtrumenti; & præceptum debebat confirmari, ex quo iā erat finita locatio, & lapſum tempus locationis, vt ex inſtrumento clarè apparebat, vt per ſtat. *lib. 1. cap. 167.* Aut dd. Gorus, & Stephanus non erant comprehenſi in dicto inſtrumento locationis, cum illi non interuenerint, nec vnquam ratificauerint, & hoc etiam caſu erat confirmandum præceptum, ex quo nullum habebant ius ingrediendi ac colendi dd. terras, nec de aliquo titulo appareret detinendi illas.

Nec dicatur, prædictos Gorum, ac Stephanum coluiſſe iſtas terras per aliquod temporis ſpatium. Quia dicitur, hoc factum fuiſſe (quatenus in facto ſubſiſteret) iure familiaritatis vnà cum alijs eorum fratribus, nempè Bartholomæo, ac Iacobo, qui conduxerunt eas a d. Vincentio. Vnde cum eorū ius fuerit extinctum, ita etiam remanebat extinctum ius dd. Gori, & Stephani, *argum. l. lex vectigali, ff. de pignor.*

Sicuti etiam non videtur obſtare quod dd. Gorus, & Stephanus ante dictum inſtrumentum locationis coluerint dd. terras vna cum Benedicto eorum patre, vigore cuiuſdam inſtrumenti locationis factæ d. Benedicto a Iacobo Bandone. Quia re-
2 ſpondetur, tale † inſtrumentum non fuiſſe exhibitum in proceſſu, & ideo non poſſe in aliquo attendi, nam quod exhibitum non eſt, non dicitur quo ad Iudicem eſſe in rerum natura. Bald. *in l. 1. nu. 7. C. de procurat.* Et teſtes non probabant, quod dd. fratres dd. terras antea tenuerint; quia quidquid
3 dicunt, de auditu deponunt. Et teſtes † de auditu non probant. Cephalus *in conſil. 250. nume. 17.* Farinac. *de oppoſit. contra dicta teſt. quæſt. 69. num. 2.* Et vltimus teſtis interrogatus de tempore, dixit, [dopoi che conoſce il bene dal male] & ſic non deponit de certo tempore, prout requirebatur; quia neſcitur a quanto tempore citra ſciat diſcernere bonum a malo, cum eſſe poſſit, quod ab vno, vel duobus annis antea, habeat talem cognitionem, vel etiam quod hactenus numquam habuerit. Et
4 eſt vnicus, † & dictum vnius, eſt dictum nullius. Gabriel. *Concluſ. 1. num. 1. de teſtibus.*

ARGVMENTVM.

Fideiuſſor de reficiendis expenſis in caſu ſuccumbentiæ, an teneatur expenſas reficere quando lata eſt ſententia abſolutoria ab obſeruatione iudicij.

SVMMARIVM.

1 *Sententia quæ tranſiuit in rem iudicatam, non poteſt argui de iniuſtitia & nullitate.*

2 *Fideiuſſor de reficiendis expenſis in caſu ſuccumbentiæ, non tenetur quando lata eſt ſententia abſolutoria ab obſeruatione iudicij, quia actor non dicitur ſuccubuiſſe.*

3 *Hæc tamen habent locum quando Iudex pronunciat inſtantiam peremptam, & alijs modis, vt infra.*

4 *Clauſula (Saluo iure melius agendi) oſtendit actionem intentatam non competijſſe.*

DECISIO LXXXVI.

FVit interpoſitus recurſus ad Rotã per Reuer. Do. Ioannem de Calceis, ac ſer Ioannem Nicolai eius fideiuſſorem, a pronuncia Illuſtr. Do. Iudicis primarum inſtantiarum, lata ad fauorem Magn. Do. Hippolyti de Benedictis, nominibus quorumdam de Pichis de Cappanore. Et fuit pronunciatum malè recurſum, & benè iudicatum.

Moti, quia cum pronuncia D. Iudicis a quo, emanata fuerit in executionẽ ſententiæ, quæ recurrentes in expenſis condemnauerat, & quæ in iudicatum tranſiuerat, vtique a tali ſnia non dabatur aliqua appellatio, ſiue recurſus, ex quo remanſerat deſerta propter lapſum inſtantiæ, prout ita fuit pronunciatum per Rotam. Vnde per diſpoſitionẽ ſtat. *lib. 5. capit. 7. verſic. & ſententia*, huiuſmodi
1 ſententia† firma, & rata remanet, & de iniuſtitia, ſeu nullitate ipſius vlterius dici non poteſt, & vt per Anchar. *in conſil. 345. per totum*.

Nec obſtat quod per Rotam fuerit abſolutus d. Dom. Ioannes ab expenſis in Iudicio appellationis a ſententia, in qua d. Reuerendus fuerat à primo Iudice condemnatus in expenſis.

Quia talis abſolutio fuit facta tantum ab expenſis illius iudicij ſecundæ inſtantiæ, quod ante Rotam pendebat, & ſuper quo pronunciauerat inſtantiam peremptam, nõ autem ſuper primo iudicio, in quo cum inſtantia fuerit perempta, & appellatio deſerta, & ſententia in rem iudicatam tranſacta, non poterat amplius in ea aliquid innouari, ſed rata, & firma remanere debebat, vt diſponitur per allegatum ſtatutum.

Quo verò ad perſonam d. ſer Nicolai fideiuſſoris, non obſtabat dum dicebatur ipſum in aliquo
2 non teneri propter tales expenſas: quia† fideiuſſor de reficiendis expenſis in caſu ſuccumbentiæ, non tenetur ad expenſas reficiendas, quando ſententia fuit lata abſolutoria ab obſeruatione iudicij, eo quia tunc non poteſt verificari qualitas ſuccumbentiæ requiſita, ad effectum vt obligatio ſuum poſſit vendicare locum, allegando ad hoc Bald. *in conſil. 106. per totum, lib. 2.* Rebuff. *in tractat. de expenſ. art. 1. gloſ. vnicą, num. 51. & 52.* Aſinius *in ſua Praxi, §. 32. cap. 26.* Cuman. *in Ritibus magnæ Curiæ, cap. 73. num. 24.* Carpan. *ad ſtatut. Mediolan. cap. 58. num. 13. par. 1.* Marſil. *in ſingul. 313.* Anchar. *quæſt. 15. par. 2. num. 15. & 16.*

Quia dicitur, quod Doctores ſupra allegati, lo-
3 quuntur (vt apud eos eſt videre) quando† Iudex pronunciat inſtantiam peremptam. At nos ſumus in ſententia abſolutoria ab obſeruatione iudicij, & ſic in diuerſis terminis, & ex diuerſis non fit illatio, *vulgata l. Papinianus exuli, ff. de minor.* Et quando etiam eſſemus in iiſdem terminis, adhuc idem erat dicendum in hoc caſu: quia obligatio d. ſer Ioannis erat de ſoluendo non ſolum expenſas in caſu ſuccumbentiæ, ſed cum verbis præciſis, videlicet, præſentis iudicij, vt ex actis apparebat. Vnde, cum in illo iudicio fuerit condemnatus eius principalis in expenſis, dicitur ſuccubuiſſe in illo iudicio, & quemadmodum principalis tenebatur ſoluere expẽſas illius iudicij, ita & ipſe fideiuſſor.

Et in ſententia de qua agebatur, non fuerunt
4 reſeruata iura iterum agendi, ſed† melius agendi; quę dictio (melius) oſtendit actionem intentatam non competijſſe, & ſic quoad talem actionem, actorem omnino ſuccubuiſſe, ad tradita per Lepidum, *deciſ. 28. col. 2.* Ex quo enim fuerunt reſeruata iura melius agendi, videtur etiam tacitè pronunciatum non bene per ipſum actorem in illo iudicio fuiſſe actum, &c.

ARGVMENTVM.

Præſcriptio non currit, vbi adeſt mala fides. Et quando aliquis dicatur eſſe in mala fide.

SVMMARIVM.

1 *Appellatio non admittitur vbi exſtat caſus ſtatuti in contrarium.*

2 *Præſcriptio etiam mille annorum non currit vbi adeſt mala fides.*

3 *In mala fide quis dicitur conſtitutus, quando ſcit ſe ad aliquid teneri, & illud non adimplet.*

4 *Præſcriptio per citationem, & alios actus iudiciarios interrumpitur.*

DECISIO LXXXVII.

IN cauſa recurſus interpoſiti per Spect. Venantium de Bartholomæis, a pronuncia Illuſtriſs. D. Iudicis primarum inſtantiarum, lata ad fauorem Spect. Cæſaris de Bartholomæis, fuit pronunciatũ, benè fuiſſe iudicatum, & malè ſeu nulliter recurſum.

Moti, ex diſpoſitione capit. Rotæ 57. *verſic. & dicti arbitri, ſeu arbitratores*, vbi habetur, quod a pronuncijs latis ab arbitris electis in compromiſſis factis inter coniunctos, nullus detur recurſus; & in fine eiuſdem capituli diſponitur, quod idem obſeruetur in pronuncijs latis ſuper electione peritorum,

rum, aut aliarum perſonarum eligẽdarum tam ex partium conuentione, quam ex ſtatutis, aut ſenten-
1 tia. Quare, † cum pronuncia, a qua fuit interpoſitus præſens recurſus, lata ſit ſuper electione æſtimatoris, facienda inter dd. Spect. viros a tali pronuncia nullus erat admittendus recurſus, cum habeamus caſum legis expreſſum, *l. illam, verſic. demum, C. de collat. l. ancillæ, C. de furt.* Corneus, *in conſ. 12. num. 1. lib. 1.* Barzius, *deciſ. 57. num. 5.* Surdus, *in conſil. 313. num. 10. & 11.*

Nec prædictis obſtare viſum fuit, dum oppone-
2 batur præſcriptio. Siquidem † præſcriptio etiã per ſpatium mille annorum non currit, quando ille, qui præſcribere vult, eſt in mala fide. Cephal. *in conſil. 161. num. 32. & in conſil. 338. num. 46.* Surdus, *in conſil. 335. num. 7. vol. 3.* Peregrin. *in conſil. 28. num. 20. lib. 1.* Honded. *in conſil. 80. nume. 92. volum. 2.*

Mala autem fides Spect. Venantij ex eo detegebatur, quia ipſe ſciebat quod vigore contractus initi cum d. Spect. Cæſare, eligere debebat æſtimatores.
3 Cum † in mala fide ſemper quis dicatur conſtitutus, quando ſcit ſe ad aliquid dandum, ſeu faciendum teneri, & non adimplet. Crauetta *in conſil. 116. num. 6.* Cephalus, *in conſil. 161. num. 33.* Honded. *in conſil. 80. num 73. lib. 2.* Decian. *reſponſo 105. num. 26. vol. 5.* Secundò, quia cum Spectab. Cæſar & Vincentius citauerint Reuer. Petrum Lenam, vt acceptaret compromiſſum in eũ factum, & faceret æſtimationem præfatam, omnis præſcriptio fuit interrupta, nec poterat inci-
4 pere, niſi ab anno 1601. citra. Quia † per citationem, & alios actus in iudicio factos, curſus præſcriptionis fuit ſublatus, & interruptus. Bartol. *in l. cum notiſsimi, num. 2. C. de preſcript. 30. annorum* idem Bartol. *in l. 2. §. ſi rem alienam, nu. 2. ff. ſi quis pro empt.* Carpanus *ad ſtatut. Mediolan. capit. 112. num. 15. &c.*

ARGVMENTVM.

Iuramentum oblatum nullo iure eſt recuſandum, & contra eum poteſt opponi exceptio ſolutionis.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum deciſiuum eſt omni iure & æquitate ſuadente præſtandum.*
2 *Iudex omni conatu ſtudere debet, vt ſit locus veritati, etiam aduerſus verba inſtrumenti.*
3 *Iudex ante oculos debet æquitatem habere, & propter eam poteſt recedere a regulis iuris.*
4 *Iuramentum eſſe deferendum in dubio eſt indicandum.*
5 *Exceptio ſolutionis poteſt opponi, etiam aduerſus iuramentum.*
6 *Exceptio ſolutionis non poteſt propriè dici exceptio, ſed defenſio.*

DECISIO LXXXVIII.

Libertas Fridianus habuit recurſũ ad Rotã a ſentẽtia Ill. D. Iudicis primarum inſtantiarum, lata ad fauorem Dominę Felicis Pierottinæ. Quæ ſententia fuit reformata per Rotam, & declaratum, terminum decem dierum fore, & eſſe exſequendum, tam contra d. Fridianum, quam contra fideiuſſores; præſtito tamen prius iuramento per d. D. Felicem, quod non fuerit ei ſatisfactum de affictibus petitis.

Moti, quia cum d. Libertas, in proceſſu primæ inſtantiæ coram D. Iudice a quo, in præſentia procuratoris d. Do. Felicis, obtulerit ſe paratum velle ſtare iuramento eiuſdem D. Felicis, ſuper ſolutione facta affictuum petitorum. Vtique per diſpoſitionem ſtatuti *lib. 1. cap. 66.* erat ei deferendum iuramentum oblatum, quod cum factum non fuerit, merito fuit in noſtra ſententia dictum, terminum fore & eſſe exſequendum præſtito tali iuramento. Quando quidem omni iure, & æquitate
1 ſuadetur, † quoſcumque teneri ad præſtandum tale iuramentum, per text. *in l. manifeſtæ turpitudinis, ff. de iureiuran. & l. nam hoc natura, ff. de condict. indeb.* & per ea, quæ in terminis tradit Rebuff. *in tract. de litter. oblig. art. 1. gloſ. 11.* vbi ita in Senatu Regio deciſum fuiſſe teſtatur Neuizan. *in conſ. 7.* Mauer. *in addit. ad pract. Papienſ. in forma iuram. glo. 1. in fine,* & conferunt late tradita per Maſcardum, *de probat. concluſ. 959. nume. 5. lib. 2.* & Teſ-
2 ſaur. *deciſ. 93.* Item quia Iudices † omni conatu ſtudere debent vt veritati ſit locus, *l. 2. C. ſi contra ius,* Menoch. *de præſumption. lib. 1. quæſt. 81. num. 3.* Etiam contra verba inſtrumenti, Decia. *Reſpon-*
3 *ſo 32. num. 62. lib. 3.* Et Iudices ſemper debent † æquitatem præ oculis habere, *l. quod ſi Epheſi, ff. de eo quod certo loco.* Et propter ipſam poſſunt etiam a regulis iuris recedere, vt probat Crauetta *in conſil. 221. lib. 2.* Maranta *in Speculo,* & Foller. *ibi, parte 4. diſtinct. 9. num. 151.* Menoch. *in conſ. 202.*
4 *lib. 3.* Et in † dubio ſemper eſt pronunciandum iuramentum eſſe deferendum, vt latè probat Crauetta, *in conſil. 293. in fine.*
5 Exceptio † autem ſolutionis poteſt opponi etiã contra iuramentum, etiam ſi ſit in forma Cameræ, Galeſ. *in tractat. formæ Cameræ, parte 4. quæſt. 1.* Benedict. de Bazi. *de Guarent. num. 243. & ſe-*
6 *quen.* vbi quod exceptio † ſolutionis non eſt exceptio, ſed defenſio, Rota Romana, *in nouiſſim. diuerſorum deciſio. 42. par. 1.* Aſin. *in Praxi, §. 31. capitulo 46.* &c.

ARGVMENTVM.

Sententia lata contra diſpoſitionem ſtatuti, & præcipitanter, eſt nulla.

SVMMARIVM.

1 *Dictio, a, ponitur excluſiuè a die cui adijcitur.*
2 *Statutum quando aliquid diſponit, praeciſe eſt obſeruandum.*
3 *Sententia præcipitanter, & ſine cauſæ cognitione lata, nulla eſt.*

DECISIO LXXXIX.

FVit interpoſitus recurſus ad Rotam per Dominos Baronos, ac Lucheſios a pronuncia Illuſt. D. Iudicis primarum inſtantiarum, lata ad fauorem Spectab. Thomę Antognoli. Et fuit pronunciatũ, bene fuiſſe recurſum, & nulliter iudicatum. Et hoc quia per diſpoſitionem cap. Rotæ 35. eſt apertè ſancitum, quod poſtquam fuerint admiſſa capitula cum clauſula, Saluo iure, &c. ſi aliqua ex partibus in quacumque parte iudicij vſque ad publicationem proceſſus petat quod Iudex declarare debeat, quæ capitula ſint admittenda, vel non, Iudex debeat intra tres dies vtiles a die requiſitionis factæ per partem declarare, quænam capitula impertinentia ſint, vel nõ impertinentia. Modo cum D. Iudex non intra terminum trium dierum vtilium, ſed eadem die requiſitionis pronunciauerit ſuper pertinentia capitulorum, eius pronuncia viſa fuit nulla. Quia per d. ſtatutum eſt prohibitum pronunciare taliter eadem die, in qua fuit facta oppoſitio, prout colligitur ex verbis ſtatuti [a die fa-
1 ctæ requiſitionis,] ponderando† dictionem illam, a, quæ ponitur excluſiuè a termino, & die, cui adijcitur, *l. a caligato, ff. de nupt.* Bartol. *in l. ſcire oportet, §. aliud autem, ff. de excuſat. tut.* latè Gomeſ. *ſuper reg. cancel. reg. de infir. reſig. quæſt. 37. verſic. ta-*
2 *men*. Quare † talis pronuncia vti facta contra diſpoſitionem ſtatuti eſt nulla, Felin. *in cap. cum dilecta, verſic. geſta contra formam, ampliat. 1. de reſcript.* Alexan. *in conſil. 42. num. 16. lib. 1.* Soc. ſen. *in conſil. 24. num. 21. lib. 1.* Beccius, *in conſ. 12. nu. 15.* Olaſch. *deciſ. 161. num. 4. cum ſeq.* Borgnin. *deciſ. 11. num. 5. par. 1.*

Poſtremò, cum eadem die DD. Baroni ac Lucheſij oppoſuerint capitula eſſe impertinentia, eadem etiam die Do. Iudex iudicauerit ſuper pertinentia horum capitulorum, non capta prius cognitione de exceptionibus & oppoſitionibus factis
3 dd. capitulis. Vti† pronuncia præcipitanter facta ſine aliqua cauſæ cognitione erat nulla, Vant. *de nullit. ſenten. ex defectu proceſſ. num. 34.* Menoch. *in conſil. 157. num. 98. vol. 3. &c.*

ARGVMENTVM.

Nepos agens contra patruum, an debeat impetrare veniam.

SVMMARIVM.

1 *Nepos non poteſt agere contra aſcendentes quorum eſt nepos, non impetrata venia. Secùs eſt quoad tráſuerſales, & ſic quoad patruum, & alios.*
2 *Agens vt hæres, debet probare mortem teſtatoris, inſtitutionem hæredis, & aditionem hæreditatis.*
3 *Hæres dicitur adiuiſſe hæreditatem ex eo, quod conſtituit procuratores ad lites hæreditatis.*

DECISIO XC.

FVit interpoſitus recurſus ad Rotam per magnificum Theophilum Carelium a pronuncia D. Iudicis primarum inſtantiarũ, lata ad fauorem Reuer. Monialis de Federicis. Quæ ſententia confirmata fuit per Rotam ex clara diſpoſitione ſtatuti *lib. 1. cap. 121. in princip.* quæ vult, quod obligatus ex publico inſtrumento inſtante actore non poteſt audiri in aliquo, niſi præſtito idoneo fideiuſſore. At cum d. D. Theophilus ex inſtrumento exhibito appareat, quod promiſerit ſoluere ſcutos 90. infra tres annos iam elapſos Reu. q. Presbytero Antonio Lombardellio, cuius ſupradicta Reuer. Monialis erat hæres, Viſum fuit non poſſe audire in ſuis exceptionibus, niſi præſtito fideiuſſore ad formam d. ſtatuti. Vnde cum ita fuerit pronunciatum per D. Iudicem a quo, vtique veniebat cõfirmanda eius pronuncia per Rotam.

Secundò quia D. Theophilus fecit recurſum ad formam capit. Rotæ 52. ex nouo grauamine, & damno irreparabili. At per pronunciam D. Iudicis a quo, nullum fuit ſibi illatum grauamẽ, neque damnum, quia per talem pronunciam de non audiendo abſque fideiuſſione, non intelligitur præiudicatum meritis cauſæ, vt diſponitur per cap. Rotæ 53. *verſic. & a pronuncia.* Igitur &c.

Neque obſtare viſum fuit, dum pro parte d. D. Theophili dicebatur, ſer Marium Carelium comparentem pro parte d. Monialis, non eſſe audien-
1 dum † niſi impetrata venia agendi, cum ſit nepos ex fratre d. Do. Theophili, ob reuerentiam, quam debet exhibere nepos erga patruum. Nam dicitur hoc procedere in nepotibus ex linea deſcendentium, qui tenentur præſtare talem reuerẽtiam ſuis aſcendentibus, propter quam non poſſunt audiri niſi impetrata venia; non autem in nepotibus ex collateralibus, vt in caſu noſtro, & in his terminis loquuntur iura, vt in textu, *in l. liberorum, ff. de verb. ſignif.* & Ruin. *in conſil. 62. num. 3. lib. 3.* cum alijs multis qui ad hoc allegantur.

Secundò etiam non obſtat, quod ex quo d. Monialis non eſt nominata in inſtrumento, cuius vigore agit, nullam habeat etiam actionem, & ei non competat beneficium allegati ſtatuti, in quo videtur pręſupponi, quod actor habeat legitimam perſonam ſtandi in iudicio; non autem quod ad hoc
2 ſit neceſſaria aliqua probatio, vt in hoc caſu, † in quo videtur requiri probatio mortis teſtatoris, in-

ſtitutio

ſtitutio hæredis, & aditio hæreditatis, ad not. per Alexan. & Doctor. in *l. poſtulante, ff. ad S. C. Trebellian.* Alexand. *in conſil.* 188. *libro* 2. Roland. *in conſil.* 20. *num.* 9. *lib.* 1.

Quia reſpondetur, hæc omnia fuiſſe probata in proceſſu; nam de morte teſtatoris apparebat ex confeſſione partis. Quod ſit hæres conſtat ex teſta
3 mento ipſo. De † aditione vero hæreditatis patet ex inſtrumẽtis exhibitis, in quibus d. Monialis vocatur hæres, & tamquam hæres conſtituit procuratores ad lites, & cauſas, quæ ſufficere videntur ad probandam aditionem hæreditatis, vt tradit Bartol. *in l. gerit, num.* 14. *ff. de acquir. hæred.* quam doctrinam ſequitur Mattheſilan. *in ſingul.* 34. & alij ibidem relati in addit. &c.

ARGVMENTVM.

Intereſſe quomodo, & quando debeatur.

SVMMARIVM.

1 *Inſtrumentum inducit rem claram, & notoriam.*
2 *Intereſſe omni iure debetur, etiam ſi promiſſum non fuiſſet.*

DECISIO XCI.

FVit habitus recurſus ad Rotam per Alexandrum Guaſparini, vti procuratorem Paſquini de S. Quilico, a ſententia Illuſtr. D. Iudicis ordinarij, lata ad fauorẽ Spec. Sebaſtiani Vannij. Et fuit pronunciatum per Rotam bene iudicatum, & male recurſum, condemnando d. Alexandrum in pœnam quarti pluris, & expenſas ad formam capit. Rotæ 52. Et hoc, quia de credito d. Spect. Seba-
1 ſtiani conſtabat clarè ex † publico inſtrumento, quod dicitur probatio euidens, ac manifeſta, Maſcard. *de probat. Concluſ.* 906. *nume.* 1. *cum ſeq.* facitque rem liquidam, & claram, Roland. *in conſil.* 40. *num.* 8. *cum ſeq. vol.* 2. Cephal. *in conſil.* 520. *nu.* 7. cuius vigore fuit per Do. Iudicem a quo, conceſſa exequutio, cum iam ceſſerit dies ſolutioni adiectus, vt apparebat ex eodem inſtrumento, prout veniebat concedenda per diſpoſitionem ſtatuti, *lib.* 1. *cap.* 111. Et cum intra terminum decem dierum ipſe Paſquinus non ſoluerit, vel docuerit de ſolutione, vel alio ſuo iure, erat pronunciandum, prout pronunciatum fuit, nempè, terminum decẽ dierum fore, & eſſe exequendum, tam contra principalem, quam contra fideiuſſorem, prout in eodem ſtatuto *cap.* 111. *in fine, verſ. ſi verò elapſo,* clarè determinatur.

Quò verò ad libras nouem, in quibus idem Paſquinus tantum fuit condemnatus ab eodem Iudice, pro damnis paſſis per d. Spect. Sebaſtianum a die moti iudicij, bene quoque iudicaſſe viſum fuit, cum talia damna videantur promiſſa in eodem inſtrumento, per Clauſulam, Quæ omnia, &c. ibi, [item reficere omnia damna, expenſas, & intereſſe.] Et cum probatum in proceſſu fuerit d. Spect. Sebaſt. cambio accepiſſe ſummam debitã ab eodẽ Paſquino, & pro ea paſſum fuiſſe ſupradictum in-
2 tereſſe. Quo caſu † intereſſe omni iure debetur, etiam ſi non fuiſſet promiſſum, ex traditis per Barzium *deciſ.* 108. *num.* 20. & 21. reprobatis contrarijs. Non omittendo quod d. recurrens numquam produxit acta, nec iuſtificauit recurſum, ad tradita per Burſat. *in conſil.* 145. &c.

ARGVMENTVM.

Sententia non liquida non poteſt exequutioni mandari.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio dicitur velata quando non eſt facta liquidatio debiti, & crediti per calcula hinc inde. Et ſententia lata ſuper tali obligatione, non poteſt exequutioni demandari, niſi facta liquidatione.*
2 *Nemo debet ex ſua fraude, & dolo, ex quibus pœnam meretur commodum conſequi.*

DECISIO XCII.

FEdericus Tucciarellus, & D. Iacoba eius vxor interpoſuerunt recurſum ad Rotam a ſententia Dom. Commiſſarij Vallis Limæ. Et fuit pronunciatum male recurſum, & bene iudicatum. Cum enim præſens recurſus fuerit interpoſitus ab ea parte ſententiæ, in qua Dom. Iudex a quo, mandauit terminum quindecim dierum fore exequendum pro ea ſumma, quę factis calculis deberi conſtabit, talis pronuncia viſa fuit iuſtitiæ, & æquitati conſona, cum ex actis appareret, multa hinc inde a partibus fuiſſe data, & recepta, quo caſu conueniens erat fieri calcula, ad hoc vt appareret de quantitate debiti, pro qua ſententia debeat exe-
1 quutioni demandari, cum † obligatio talis dicatur velata, quæ non poteſt exequi niſi prius facta liquidatione, Freccia *de præſent. inſtr. par.* 8. *quæſt.* 2. *nume.* 127. Capic. *deciſ.* 17. *num.* 1. & 10. Iaſ. *in l. exigendi, de procurator.*

Declarauimus in ſententia non eſſe in d. calculo computandas apochas, quæ coram Do. Prætore fuerunt deductæ; quia cũ criminaliter proceſſum fuerit, eo quia fuerint tales apochæ falſificatæ, & adulteratæ, & fuerit ſubſequuta ſententia condẽtoria ſuper hoc, vtique in talibus apochis nullum fieri poterat fundamentum, nec calculus ad fauo-
2 rem falſificantis; cum † nemo debeat ex ſua fraude, & dolo, ex quibus meretur pœnã, commodũ conſequi. Bart. *in l. ſiue hæreditaria, ff. de neg. geſt. in princ.* ac etiam quia ex libris computorum appa-

rebat dd. apochas fuiſſe in creditum d. Ioannis tēpore ſolutionis vere ac realiter aliàs deſcriptas, propterea non debebant iterum calculari; vt clari iuris eſt, &c.

ARGVMENTVM.

Sententia in iudicatum tranſacta, pro veritate habetur, & eſt omnino exequenda.

SVMMARIVM.

1 *Inſtrumentum dicitur probatio euidens, manifeſta, & probata, & facit rem liquidam, & claram.*

2 *Sententia, quę tranſitum fecit in iudicatum, facit de albo nigrum, & de indebito debitum, & pro veritate habetur.*

3 *Res inter alios acta tertio non pręiudicat.*

DECISIO XCIII.

IN cauſa recurſus interpoſiti per Ioan. Antonium Toggium, ad Rotam a ſententia Dom. Iudicis primatum inſtantiarum, ad fauorem Dom. Ioannę olim Ioan. Iacobi a Corona, fuit pronunciatum, benè iudicatum per D. Iudicem a quo, & male appellatum per d. Ioan. Antonium.

Mota, quia cum de credito d. Dom. Ioannæ ac de obligatione, ac debito d. Io. Antonij conſtaret 1 tam ex inſtrumentis productis, quæ † faciunt rem claram, & dicuntur probatio manifeſta, euidens, ac probata, Maſcardus *de probat. concluſ. 906. per totam*, Roland. *in conſil. 40. num. 8. cum ſeq. lib. 2.* Et de qua non eſt dubitandum, ac vlterius inueſtigandum, *l. cum quibus, C. de probat.* Dec. *in conſil. 36. num. 6. & conſil. 423. nu. 12.* Cephal. *in conſil. 520.* 2 *num. 7. & conſil. 574. num. 4.* Tum etiam † ex ſententijs, quæ tranſitum fecerunt in iudicatum, quæ faciunt de albo nigrum, Surdus *deciſ. 170. num. 15.* & habentur pro veritate. Idem Surdus, *in conſil. 61. num. 2. cum ſeq. cum ibidem allegat.* Et faciunt de indebito debitum, Surdus *deciſ. 74. nume. 10. text. in l. 1. C. de condict. indebiti*, vbi Doctores, vtique viſum fuit rectè fuiſſe pronunciatum per Dom. Iudicem a quo.

Nec obſtare viſum fuit dum ex aduerſo dicebatur, quod ex actis productis in cauſa delegata inter filios Aſcanij de Corona ex vna, & ipſum Io. Antonium ex altera, fuit per DD. Iudices delegatos factis computis cōdemnatus d. Ioan. Antonius pro omni reliquo, & reſiduo ex cauſa locationis cuiuſdam hoſpitij, ad ſoluendum ſcutos 48. Et ſic non poſſit amplius hac de cauſa Ioan. Antonius moleſtari à D. Ioāna. Quia dicitur primò, quod adſunt ſententiæ ſuper hoc ad fauorem d. D. Ioannæ prolatæ, vnde hæc modo non poterant in dubium reuocari. Secundò dicitur, acta producta tantum modo comprehendere filios Aſcanij de Corona, non autem dictam Do. Ioannam, quæ non intrauenit in dicto iudicio, & ideo † tamquam res inter 3 alios acta, ipſæ D. Ioannæ non poterat aliquo modo pręiudicare, *toto titulo, ff. & C. res inter alios acta*, Cephal. *in conſil. 488. num. 9.* Et quatenus etiam aliquid ex hoc capite prætendere poſſet d. Ioan. Antonius, fuit eius indemnitati prouiſum mediante fideiuſſione, de qua in noſtra ſententia de conſeruando indemne dicto Ioan. Antonio, quatenus conſtaret aliquo tempore dictas penſiones ad alios pertinere,

Sicuti etiam non obſtabat, quod ſententia Do. Iudicis a quo, fuerit prolata non facta reductione alias pronunciata: quia ipſe D. Iudex dum mandauit detrahi a ſumma petita dictam partitam in ordine proceſſus, ita eam moderaſſe, ac reduxiſſe videtur, & ad effectum etiam vt melius hoc poſſet apparere, fuerunt appoſita alia verba in noſtra ſententia, nempe, præcedente clariore liquidatione, ſummæ prætenſæ in exequutione ſententiæ fienda, &cet.

ARGVMENTVM.

Iudex a quo, quando dicatur grauare, adeo quod ab eius ſententia detur appellatio.

SVMMARIVM.

1 *Iudex exeedens modum in exequendo, dicitur grauare; & per conſequens ab eius ſententia datur appellatio.*

2 *Nemo tenetur reſarcire damnum, quod ipſe non intulit.*

3 *Illiquidum non debet per Iudicem haberi in aliqua conſideratione.*

DECISIO XCIV.

FVit interpoſitus recurſus ad Rotā per Petrum Antonium Scortinū, a pronuncia Do. Iudicis primarum inſtātiarum, ad fauorem Dominici Iuſti. Et fuit per Rotam pronunciatum, benè recurſum, & malè pronunciatum.

Mota, quia viſum fuit d. Petrum Antonium habuiſſe ſuam intentionem ſatis legitimè fundatam in chirographo recognito, quod exequutionē merebatur; cum talis ſcriptura faciat plenam probationem, ac ſi eſſet publicum inſtrumentum, vt per ſtatutum *lib. 1. cap. 97. verſic. declarantes*, ac etiam per decretum Excellentiſſ. Conſilij. Nec talis exequutio poterat retardari ſub prætextu exceptionum ex aduerſo oppoſitarum, ex his quæ infra dicentur.

Conſtabat etiam optimè de grauamine dicti Petri Antonij, propterquod interpoſuit recurſum a ſenten-

ſententia prædicta, quod excedebat ſummam floren. 25. vt diſponit cap. Rotæ 25. Cum ſententia prædicta deneget ipſi exequutionem talis chirographi, pro ſumma ſcutorum decem, & ſeptem, & ſic de maiori ſumma flor. 25. Vnde denegando talem exequutionem, dicendum erat Do. Iudicem
2 in† exequendo modum exceſſiſſe & conſequenter grauamen intuliſſe, gloſ. *in l. ab exequutore, C. quor. appell. non recip. in verbo, excedat, & ibi etiam* Bald. *num.* 5. Bart. *in l. ab exequutore, ff. eod. num.* 2. Alex. *in conſil.* 95 *num.* 6. *vol.* 2. & nouiſſimè Contard. *de moment. poſſeſſ. limit.* 19. ratione exceſſus *num.* 6. *fol.* 438. Et dictus Petrus Antonius niſi Dom. Iudex a quo, admiſiſſet exceptiones dicti Dominici, conſequutus fuiſſet dd. ſcutos 17. & expenſas.

Nec viſum fuit poſſe concedi exequutionem d. chirographi, pro tota ſumma petita, videlicet, ſcut. 17. eo quia erat probatū partem nemoris venditi pro inciſione lignorum dicto Dominico, non fuiſſe inciſam ab eo, ſed remanſiſſe, & adhuc remanere penes d. Petrum Antonium, vnde non erat æquum d. Dominicum quidquam ſoluere pro ea parte nemoris, quam non incidit. Et propterea fuerunt deducti ſcuti ſeptem a d. ſumma in ſententia, quia tanti importabat.

Nec obſtare viſa ſunt ea, quę deducebantur per d. Dominicum occaſione damnorum, & intereſſe, quia cum ipſe Dominicus in iudicio coram D. Prætore inſteterit condēnari Franciſcum de Magijs ad dd. damna, & intereſſe, & D. Prætor reſeruauerit in ſua ſententia eidem iura agendi contra d. Magium in alio iudicio, quæ ſententia tranſitū fecerat in iudicatum. Vtique non erat dictus Dominicus audiendus in hoc iudicio appellationis ſu
2 per tali prætenſione, & † maximè cum non eſſet conueniens, quod ipſe Petrus Antonius ſolueret damna, quæ ipſe non intulit.

Nec etiā viſum fuit obſtare dū dicebatur, quod ex quo ligna non inciſa nemoris, quod remanſerat penes d. Petrum Antonium, important ſcutos ſeptem, quibus deductis ex ſcutis 17. petitis remanerent tantum ſcuti decem, & ſic grauamen non aſcendere ad ſummam Floren. 25. & propterea nō dari recurſum. Namque dicitur, quod dicti ſcuti ſeptem, cum eſſent in controuerſia, an deberent deduci per ea, quæ in contrarium deducebantur, vtique non poterant haberi in aliqua conſideratio
3 ne† cum non viderentur liquida, & per conſequēs grauamen prætenſum per d. Petrum Antonium erat cenſendum de ſcutis 17. quia ita fuit in iudicio deductum, & per eum medio iuramento æſtimatum ad formam cap. Rotæ 52. &c.

ARGVMENTVM.

Penſiones non tenetur cōductor ſoluere, niſi verè, & cum effectu bona omnia locata fuerint conſignata ipſi conductori.

SVMMARIVM.

1 *Actore non probante neceſſaria, reus eſt abſoluendus; ita econuerſo, actore probante neceſſaria ad victoriam, reus eſt condemnandus ad petita.*

2 *Propoſitum in propoſito idem operatur quod oppoſitum in oppoſito.*

DECISIO XCV.

ALexander Bernardinius appellauit ad Rotam a ſententia Illuſtr. Domini Iudicis ordinarij, lata ad fauorem nōnullorum fratrum de Andreettis, & fuit talis ſententia pro parte confirmata, & pro parte retractata.

Duo enim in præſenti iudicio fuerunt petita per ſupradictos fratres de Andreettis a d. Alexandro, quorum vnum fuerunt ſextaria 17. frumenti pro reſiduo affictus quorumdam bonorum per d. Alexandrum conductorum. Alterum fuit de ſextarijs 24. promiſſis per eūdem Alexandrū ſupradictis actoribus, pro Petrino de Chieſa debitore dictorum de Andreettis, de quibus omnibus conſtabat in proceſſu. Quoad primam ſummam ſextariorum 17. fuit condemnatus d. Alexander ad ſoluendum tantummodo ſextaria octo; eo quia in proceſſu ſatis clarè probatum extitit, non fuiſſe per dictos actores integrè conſignata bona omnia contenta in affictu d. Alexandro, cum defecerint in conſignatione domus, horti, & prati, prout probabant teſtes pro parte d. Alexandri examinati, quæ bona non conſignata, ex ijſdem teſtibus probabatur importare intereſſe ſextariorum nouem pro vno anno, & propterea fuit pronunciatum d. Alexandrum teneri tantum ad ſoluendum ſextaria octo, demptis nouem; cum nō ſit æquum quod aliquis ſoluat affictum ſeu penſionem pro re, quæ ſibi non fuerit conſignata, & ex qua nullum poterat retrahere commodum, vt aperti iuris eſt. Quo verò ad ſextaria 24. fuit per nos confirmata ſententia D. Iudicis a quo; cum ex teſtibus examinatis pro parte dd. actorum ſit probatum, d. Alexandrum promiſiſſe ſoluere pro d. Petrino d. frumen-
1 tum libere. Vnde ſequitur quod † quemadmodum actore non probante reus eſt abſoluendus, *l. qui accuſare, C. de edendo, cap. finali, de iureiuran.* Ita ecōuerſo, actore probante neceſſaria ad victoriā, reus eſt condemnandus ad petita, *l. vbi, C. ad leg. Cor-*
2 *nel. de falſ. l. qui ſententiam, C. de pœnis.* Vt idem† operetur propoſitum in propoſito, quod oppoſitū in oppoſito, *l. finali, ff. de leg.* 3. Doctor. *in rubr. ff. de acquiren. poſſeſſione.*

Nec obſtare viſum fuit dum dicebatur, promiſſionem d. Alexandri de ſoluendis ſextarijs 24. fuiſſe factam cum conditione, quatenus d. Petrinus ea non perſolueret, & ſic non poſſe agi contra d. Alexandrum, niſi excuſſo principali debitore.

Quia dicitur, hoc non probari in proceſſu, quia vnus tantum teſtis hoc deponit, & duo alij deponunt ſimpliciter, & ſine tali conditione. Et ideo

dicto

dicto duorum erat ſtandum, & non depoſitioni vnius tantum teſtis, vt clari & aperti iuris eſt, &c.

ARGVMENTVM.

Arbitri electi cum pleniſſima facultate quomodo procedere poſſint, & quæ nullitates contra eorum lauda opponi poſſint, & quæ non.

SVMMARIVM.

1 *Verba generalia comprehendunt ea, quæ aliàs in diſpoſitione non comprehenderentur.*
2 *Reſcriptum debet interpretationem recipere a iuris communis diſpoſitione.*
3 *Reſcriptum dicitur quaſi denuo, vel bis ſcriptum.*
4 *Reſcriptum numquam iuris communis diſpoſitioni derogare dicitur, niſi id expreſsè appareat.*
5 *Reſcriptum Principis ita ſemper eſt intelligendum ne ius tertio quæſitum tollat.*
6 *Reſcripti verba potius ſunt impropriaanda, quam aliter intellecta ius tertio quæſitum auferant.*
7 *Notorium id nō dicitur quod habet aliquod dubium, & aliquam patitur controuerſiam.*
8 *Statutum præfigens terminum ad dicendum de nullitate, finito tempore a ſtatuto præfixo, omnis nullitas prohibita cenſetur, etiam notoria, & quæ ex actis pateret.*
9 *Nullitas etiam proueniēs ex defectu iuriſdictionis; prohibita cenſetur tali caſu.*
10 *Dictio taxatiua, ſolum, eſt eius natura, vt affirmet quod dicit, ac abneget omne aliud; et dicitur habere virtutem exceptiuam, & omnino intelligitur ademiſſe quod expreſſum non reperitur.*
11 *Arbitri non tenentur notificare prorogationem inſtantiæ partibus a Principe factam, eo quia omnibus nota præſumitur eſſe.*
12 *Partes quæ laudum emologauerunt, atque approbauerunt, cenſentur etiam ratificare prorogationem inſtantiæ abſque notificatione factam.*
13 *Scientia partis ſupplet defectum citationis.*
14 *Arbitratores & non arbitri dicuntur illi, quibus data eſt facultas procedendi altè, & baſsè, de bono, & æquo, & nulla iuris aut ſtatutorum ſollemnitate ſeruata.*
15 *Et iſti arbitratores poſſunt eorum lauda ferre abſque partis citatione.*
16 *Arbitri quibus data eſt facultas iudicandi ſecundū ſuam conſcientiam, poſſunt eorum lauda ferre abſque partis citatione.*
17 *Arbitri qui poſſunt definire controuerſias in eis compromiſſas, altè & baſsè, ſine ſcriptura & figura iudicij, poſſunt iudicare ſine partis citatione.*
18 *Arbitri non tenentur citare partes ad audiēdum laudum, quando illud fertur intra tempus ipſis ad iudicandum præfixum.*
19 *Marſilius ſingulari 133. & Marian. Socin. declarantur.*
20 *Arbitri qui enarrant in laudo iura partium, præſumuntur habuiſſe veram negotij cognitionem.*
21 *Arbitris creditur quando in laudo dicunt ſe pluries partes audiuiſſe.*
22 *Arbitri qui poſſunt procedere altè & baſse, & de facto, poſſunt iudicare ſine fabricatione proceſſus.*
23 *Clauſulæ altè & baſsè, & de facto, tribuunt arbitris liberam facultatem, atque abſolutum arbitrium; adeo quod in cauſa procedere poſſunt prout volunt.*
24 *Arbitri qui proceſſum non fabricauerunt non dicuntur tamen laudum proferre ſine cauſæ cognitione.*
25 *Probationes non ſunt de ſubſtantia iudicij. Et ſententia lata ſine probationibus non dicitur nulla.*
26 *Arbitri dicentes partes coram ipſis ſua iura deduxiſſe, atque ipſos informationem ſumpſiſſe ſuper meritis cauſa eis creditur ex quo non agitur de iuſtitia, vel iniuſtitia laudi.*
27 *Arbitri quando plures ſunt, eorum atteſtationi creditur, etiam in præiudicium partis, & in rebus concernentibus iuſtitiam, vel iniuſtitiam laudi.*
28 *Iudicis aſſertioni creditur in arbitrarijs ipſius Iudicis.*
29 *Laudum quod fuit partibus approbatum, contra illud amplius venire non poſſunt, ex quo fuerit prolatum ſine partis citatione, vel ſine cauſæ cognitione.*
30 *Sententia ſemper præſumitur iuſta niſi de contrario appareat per veras, plenas, & multum concludentes probationes.*
31 *Princeps confirmans actum de certa ſcientia & plenitudine poteſtatis, facit illum valere etiam ſi a principio nullus & inualidus eſſet.*
32 *Laudo iniquo partes ſtare, ac obedire debent.*
33 *Melioramenta, vt debeantur, debent probari fuiſſe facta, aliàs non debentur.*
34 *Arbitri non poſſunt præterire limites iuriſdictionis ſibi in compromiſſo aſſignata, & num. 35.*
36 *Arbitri qui fuerunt diſcordes ſolum circa vnum caput compromiſsi, non ideò laudum eorum in totum vitiatur, ſed ſolum circa caput in quo fuerunt diſcordes.*
37 *Iuriſdictio Iudici conceſſa ſemper ita intelligenda eſt, vt ſit conformis cum iuris diſpoſitione.*
38 *Iuriſdictio limitata æquitate ſuadente extenditur ad cauſas diuerſæ ſpeciei.*
39 *Iudex, qui poteſt actum facere, poteſt etiam illum qualificare.*
40 *Iudex qui eſt cauſa principalis, eſt etiam Iudex omnium rerum dependentium, & annexarum cauſæ principali.*
41 *Iudex numquam dicitur excedere limites ſuæ iuriſdictionis, quando ea quę facit, aliquo modo comprehenduntur ſub commiſſione illi facta.*
42 *Sententia vel laudum quod continet plura & diuerſa capita ſeparata, quando nullum reditur in aliquo capite, non vitiatur in totum.*
43 *Pro arbitrorum iuriſdictione in dubio iudicandū eſt.*
44 *Actum potius valere, quam perire in dubio iudicandum eſt. & num. 66.*
45 *Laudum quod fuit emologatum, atque approbatum, ſi nullum eſſet aliqua de cauſa, ſuſtinetur tamen tamquam pactum, vel tranſactio; & hoc etiam ſi nullum eſſet ex defectu iuriſdictionis, num. 68.*

Fallit

46 *Fallit tamen, quando approbans ignoraret nullitatē ipſius; ſecus, ſi habuerit notitiam aliquā coniectura quæ ex inſtrumento approbationis appareret, num.47. & ſequen.*

48 *Clauſula, De certa ſcientia, tollit omnem, & quamcūque præſumptionem erroris, vel doli, atque ignorantiæ, nec allegari poteſt. Et iſta clauſula confirmat actum nullum, & inualidum.*

49 *Ignorantia iuris in iudicijs allegari non poteſt.*

50 *Geminatio actus tollit præſumptionem omnem erroris.*

51 *Actus nedum verbis, ſed & facto approbatus, non poteſt in dubium reuocari.*

52 *Laudi lectura facta ab eo qui illud poſtea emologauit, ſufficit ad hoc vt talis emologatio rectè facta dicatur, & vt laudum in vim pacti teneat, & valeat.*

53 *Error in dubio non præſumitur, & eum qui allegat cōcludenter probare debet.*

54 *Ignorantia non probatur iuramento quando agitur de præiudicio tertij.*

55 *Ignorantia item nec probatur iuramento, quando agitur de re graui, ac magni præiudicij.*

56 *Ignorantia non probatur iuramento quando conſtaret de ſcientia ex alijs probationibus vel coniecturis.*

57 *Ille etiam qui habet contra ſe præſumptionem ſcientiæ, non poteſt probare ignorantiam iuramento.*

58 *Ignorantia in illis caſibus in quibus iuramento probatur, intelligitur hæc concluſio quando iuramentum a Iudice defertur.*

59 *Error non probatur iuramento quando ſumus in eis quæ iuris ſunt.*

60 *Confeſſio emiſſa per errorem non nocet confitenti.*

61 *Confitens id quod non pendet ab eius voluntate, vel poteſtate, & id quod veriſimiliter ſcire non potuit, non nocet.*

62 *Confeſſio inueriſimilis confitenti non nocet.*

63 *Confeſſio eo modo ſemper eſt intelligenda ne confitēs incidat in contrarietatem.*

64 *Confeſſio facta ſuper eis quæ iuris ſunt, non nocet.*

65 *Clauſulæ omnes in contractu appoſitæ, cenſentur appoſitæ de voluntate, & conſenſu contrahentium.*

67 *Contractus eo modo ſemper ſunt interpretandi, ne ſuperflui reddantur.*

69 *Tranſactio licet non valeat vbi lis non adeſt, ſufficit tamen quod adeſſe potuerit timor futuræ litis.*

70 *Laudum approbatum a partibus, dicitur verè & propriè tranſactio; ac omnia iura loquentia de tranſactionibus, habent etiam locum in contractu a partibus approbato.*

71 *Tranſactio ob enormiſſimam læſionem non reſcinditur, ſecundum vnam magis communem opinionem.*

72 *Tranſactio reſcinditur ob enormiſſimam læſionem, quando illa eſſet admodum grauis, & vltra dimidiam iuſti pretij.*

73 *Valor alicuius rei vt legitimè probetur, debet haberi ratio onerum, & grauaminum inhærentium ipſi rei, aliàs non dicitur valor concludenter probatus.*

74 *Teſtes contra partem producentem plenè probant, etiam ſi deponerent per verbum (credo.)*

75 *Tranſactio vt per læſionem reſcindantur laudum, talis læſio probari debet habito reſpectu ad dubium litis euentum ſuper quo fuit trāſactum, aliàs enim tranſactio non reſcinditur.*

76 *Contractus & ſententiæ vt valeant ſemper in dubio eſt iudicandum.*

77 *Venditione aliqua de cauſa nulla, tenetur emptor reſtituere venditori omnes, & quoſcumque fructus perceptos a die factæ venditionis, vſque ad diem effectualis relaxationis rei venditæ.*

78 *Mulier quæ tranſiuit ad ſecunda vota, non amittit legatum ipſi a viro factum ob benemerita.*

79 *Intereſſe tam lucri ceſſantis, quam damni emergentis, numquam debentur ſine mora.*

80 *Vſuræ dotis non ſolutæ de iure peti poſſunt.*

81 *Dos dicitur proprium patrimonium vxoris, de quo viuere debet.*

82 *Tutor conſtituens in cauſa pupilli aduocatum, & procuratorem, dicitur facere illud quod quilibet bonus paterfamilias in tali caſu faceret.*

83 *Tutor non tenetur niſi de lata, & leui culpa, non autem de leuiſſima.*

84 *Tutores vbi ſunt plures, illi qui nō adminiſtrauerunt habent beneficium ordinis aduerſus tutores adminiſtrātes, & conueniri nō poſſunt niſi in ſubſidium, & excuſſis prius tutoribus adminiſtrantibus.*

85 *Inuētarium ad præiudicium tertij non probat verum valorem bonorum pupilli eſſe illud, quod fuit in eo deſcriptum.*

86 *Litis pendentiæ exceptio obſtat quando agitur de eadem re, & cauſa, inter eaſdem perſonas.*

87 *Appellatio ſuſpendit virtutem primæ ſententiæ, & idem eſt ac ſi prima ſententia data non fuiſſet.*

88 *Læſio, ad hoc vt reſcindat contractum, debet probari a die initi contractus.*

89 *Tutor qui ſemel reddidit rationē ſuæ tutelæ, amplius ad iterato eam faciendum compelli non poteſt.*

90 *Sententia quæ tranſiuit in rem iudicatam, facit indubitatam probationem.*

91 *Fructus ſequuntur dominium rei, & ad eum ſpectant qui eſt dominus fundi.*

92 *Tutor qui fuit liberatus a redditione rationis a defuncto, hæres illum compellere non poteſt ad eam reddendam.*

93 *Confeſſione propria nulla maior datur probatio.*

94 *In pacto recomperæ vbi interuenit deceptio, & læſio in pretio efficitur perpetuum, nec exſtinguitur ob curſum temporis.*

95 *Pacti recomperæ tempus licet ſit elapſum quando adeſt iuſta ignorantia, poteſt peti reſtitutio in integrum, & redimere etiam ſi pactum ſit elapſum.*

96 *Iudicis delegati iuriſdictio in totum pendet a reſcripto delegationis.*

97 *Reſcripti verba ſunt ſtricti iuris, ac ſtrictiſſimè interpretanda: & magis ſtrictè quam ſtatuta.*

98 *Iudex delegatus gerens aliquid præter, vel cōtra formam reſcripti id omnino nullum eſt ipſo iure.*

99 *Verbum, prædicta, non comprehendit ſeparata ac diuerſa a ſupra enumeratis.*

100 *Libri rationum præſumuntur reſtituti quando reddita fuit ratio tutelæ.*

DECI-

DECISIO XCVI.

AGebatur in auditorio noſtro ardua ſanè atque intricata cauſa Magnifici D. Andreæ Florentini, cum Spectabilibus de Burlamachis, nobis delegata ab Excellentiſs. Senatu, quæ continebat infraſcripta capita, ſeu petitiones principales.

Prima erat, quod Magn. Andreas petebat medietatem bonorum Maggiani, & aliorum bonorum obuentorum in partem Spect. Maximo, in diuiſione facta cum ceteris ſuis fratribus de bonis paternis, & communibus.

Secunda petitio erat, quod hæredes Spect. Benedicti compellantur ad reddendam rationem tutelæ filiarum Spect. Maximi, per Spectab. Benedictum eorum patrem adminiſtratæ.

Tertia petitio erat vnius quintæ partis cuiuſdam prędij poſiti in Communi Maggiani locus vocatus alla Fontana.

Quarto loco petebat ſextam partem cuiuſdam domus poſitæ Lucæ loco detto a S. Tomeo.

Quinto verò & vltimo loco petebat quaſdam expenſas gabellarum, & contractuum ſolutas per d. Spect. Maximum. Alias etiam petitiones in proceſſu faciebat, quæ tamen ſub prædictis continebantur.

Et quoad primam petitionem, diximus hæredes Spect. Benedicti fore, & eſſe a petitis abſoluendos prout eos abſoluimus; Moti, quia ex laudo prolato a Spectabilibus viris Laurentio de Meis, Fabio de Arnolfinis, apparebat, quod bona per Magn. D. Andream petita, fuerunt adiudicata d. Spect. Benedicto, necnon ex alio inſtrumēto quod d. Dom. Eliſabetha cum debitis, & requiſitis conſenſibus ceſſerat omnia iura eidem competentia ſuper dictis bonis; quare ſtantibus prædictis, laudo, & inſtrumento, bona erant facta propria Dominorum de Burlamachis, nec ea de iure relaxare debebant d. Magn. D. Andreæ.

Nec prædictis obſtare putauimus, dum pro parte d. D. Eliſabethæ dicebatur, laudum prædictum nullum eſſe. Quia in primis putauimus animaduertendum, quod cum in præſenti caſu agatur de laudo prolato vigore vnius compromiſſi confirmati ab Excellentiſſimo Conſilio, exſtat aperta deciſio Capituli Rotæ 58. nobis prohibentis, quod de nullitatibus oppoſitis aduerſus huiuſmodi lauda, cognoſcere non poſſimus, ſicuti ad litterā legitur in dicto capitulo. Ibi, [& nullus Iudex cognoſcere, ſeu procedere poſſit ſuper aliqua appellatione, nullitatis dictione, quæ quouis modo, aut ſub quouis quæſito colore, aut prætextu interponeretur.]
1 ponderando ea † verba generalia ſtatuti, (quouis modo) ſiue (quouis quæſito colore.) quæ verba cū admodum generalia ſint, comprehendunt etiam ea, quæ nullo modo in diſpoſitione aliàs venirent. Decianus *Reſponſo* 55 *num.* 22. *lib.* 3. Barzius *deciſ. Bonon.* 116. *num.* 10.

Nec prædictæ claræ diſpoſitioni Capituli Rotæ obſtabant aliqua per partē oppoſita. Non enim obſtabat dum primo loco dicebatur, quod diſpoſitio huius cap. non vendicet locum in præſenti caſu: quia ex Reſcripto nobis conceſſa erat facultas cognoſcendi ſuper nullitatibus huic laudo oppoſitis.

Quia reſpondetur, quod licet Princeps in reſcripto dederit nobis authoritatem cognoſcendi & iudicandi ſuper nullitatibus huic laudo oppoſitis, tamen hoc intelligitur, quatenus iura, & ſtatuta harum nullitatum cognitioni non obſtēt, prout clarè demonſtrant ea verba reſcripti [in quanto
2 di raggione.] Et etiam quia † verba reſcripti a iure communi ſemper interpretationem recipiunt, *ca. cauſam quæ, extr. de reſcript. l. vlt. C. de precibus Imper. offer.* Surdus, *conſil.* 203. *num.* 33. Honded. *conſil.* 24. *num.* 9. *vol.* 2. Petr. Cabal. *conſ.* 124. *nu.* 20.
3 Dicitur † enim reſcriptum quaſi denuo, vel bis ſcriptum, propter illam compoſitionem *re*, Ripa *in*
4 *rubr. de reſcript. num.* 12. Nec † vnquam reſcriptum iuris communis diſpoſitioni derogare dicitur, niſi illi expreſſim deroget. Cabal. *d. conſil.* 124. *ſub nu.* 3. Decius, *in rubr. de reſcript. num.* 13. *&* 14. Roman. *conſil.* 334. *nu.* 20. latiſſimè Fabius de Anna *conſil.* 62. *num.* 32.

Secundò reſpondetur, quod ſtante diſpoſitione d. cap. Rotæ, & laudo prædicto, erat quæſitum ius Dominis de Burlamachis, quod nullus Iudex cognoſcere valeret ſuper nullitatibus huic laudo oppoſitis. Modo licet Princeps cōmiſerit quod nos videre deberemus prætenſiones deductas in ſuis precibus per D. Eliſabetham, non obſtante etiam d. laudo, quatenus de iure infringi poſſet, non tamen cenſendum eſt, quod huic iuri quæſito Dominis de Burlamachis de tempore emanati reſcri-
5 pti derogare voluerit. Quia † reſcriptum Principis ſemper eo modo intelligitur, ne tollat ius tertio quæſitum. Surdus, latè *conſil.* 203. *num.* 28. *vol.* 2. Pariſ. *conſil.* 108. *num.* 19. *lib.* 4. Gomeſ. *ad reg.*
6 *primam cancell. verſic. ſolutio.* Et † potius verba reſcripti improprianda ſunt, quam aliter intellecta ius tertio quæſitum tollant. Alba *conſ.* 557. *nu.* 37.

Nec obſtabat pariter, dum ſecundo loco dicebatur pro parte eiuſdem D. Andreæ, quod diſpoſitio huius capituli habeat dumtaxat locum in cōpromiſſo neceſſario, ac in iudicio facto: quia hoc falſum manifeſtè apparebat ex claris verbis *eiuſdem cap. in verſic. & prædicta*, quæ ſunt, quod dicta in eo capitulo habeant etiam locum in compromiſſis voluntarijs, & extra iudicium a partibus factis, confirmatis tamen ab Excellentiſs. Conſilio, vel ab Excellentiſs. Antianis.

Nec obſtabat pariter dum ſecundo loco dicebatur, quod non obſtante d. capitulo, poſſunt partes in iudicijs allegare nullitatem notoriam, & ex actis patentem.

Reſpondetur enim Primò, quod vt nullitas dici poſſit notoria, neceſſarium eſt quod tam in fa-
7 cto, quam in iure † nullam patiatur controuerſiam, quælibet enim dubietas vim notorij adimit, & facit, quod aliquid notorium non dicatur. Contard. *in l. vnica, C. de moment. poſſeſſ. limitat.* 7. *num.* 57

Lancellot.

Lancellot. *de attent. appellat. pend. cap. 12. limit. 9. nume. 5.* plenè Surdus, *conſil. 406. nume. 21. cum ſeq. volum. 3.*

Secundò reſpondetur, quod cum prædictum c. Rotæ non prohibeat in totum partibus, quod di-
8 cere non poſſint de nullitate laudi, ſed † eis præfigat certum tempus ad dicendum de nullitate, finito tempore a ſtatuto præfixo (ſicuti finitum eſt in præſenti caſu) quælibet nullitas prohibita cenſetur etiam notoria, & quæ ex actis pateret, Alexan. *conſil. 105. num. 8. vol. 5.* Roland, *conſil. 83. nu. 16. vol. 1.* Oſaſch. *deciſ. Pedemon. 22. num. 14.* Gabriel. *commun. opinion. tit. de except. concluſ. 4.* Contard. *de moment. poſſeſſ. limit. 7. num. 67.* vbi alios allegat Surdus, *conſil. 160. num. 20. vol. 2.* Borgnin, *deciſ. 19. num. 7. par. 3.* Rota Romana per Puteum *deciſ. 418. num. 8. lib. 2.*

Non obſtabat etiam quod d. cap. non habeat locum quando laudum nullum eſſet ex defectu iuriſdictionis.

Quia reſpondetur (vltra quod hæc nullitas in facto non ſubſiſtebat) ſtante eo, quod ſtatutum nõ abſolutè omnem nullitatem prohibet, ſed certum tempus ad dicendum de nullitate laudi etiam ex defectu iuriſdictionis partibus aſſignet, elapſo eo
9 tempore a cap. Rotæ præfixo, † nullitas etiam ex defectu iuriſdictionis proueniens prohibita reputatur, ſicuti in terminis tradit Lancellot. *de attent. cap. 17. num. 114. parte 2.*

Secundò reſpondetur, quod cum ſtatutum non prohibeat partibus ne laudum nullum dicant ob defectum iuriſdictionis; immò potius hoc illis permittat, dummodo per viam recurſus, & intra terminum in capitulo expreſſum hoc faciant, non poſſunt poſtea partes elapſo hoc tempore etiam ſuper hac nullitate, ex defectu iuriſdictionis proueniente audiri, ſicuti apertè affirmat idem capitulũ Rotæ, & ſolum ſuper prædictis nullitatibus audiri
10 poſſint, põderando dictionem illam, † ſolũ, quę cũ ſit taxatiua, firmat quod ponit, & excludit, & negat omne aliud, vt poſt Bartol. & alios tradit Simon de Pretis, *conſil. 13. num. 10. & conſil. 63. nume. 16.* Rimin. iun. *conſil. 153. num. 33. & ſequenti;* quo loci tradit, quod ſimilis dictio taxatiua, ſtat excluſiuè ad omnia non expreſſa, & habet virtutẽ exceptiuam, ac omnino intelligitur ademiſſe quod expreſſum non reperitur, Idemque firmat Crotus *conſil. 365. num. 1. vol. 3.* Cabal. *conſil. 152. num. 32.* Surdus, *conſil. 21. num. 32. vol. 1.*

Secundò principaliter, quatenus nos cognoſcere potuiſſemus de nullitatibus prædicto laudo oppoſitis, tamen viſum fuit nullitates oppoſitas laudum prædictum infringere non poſſe, cauſis, & rationibus infraſcriptis.

Primæ enim nullitati ex quo arbitri non notificauerint partibus prorogationem inſtantię habitã ab Excellentiſſimo Conſilio, pluribus modis reſpondetur.

Primò, quod tradita per Doctores ex aduerſo citatos, procedunt in prorogatione inſtantiæ par-
11 tibus per arbitros factæ; ſecus † autem in prorogatione inſtantiæ a Principe facta, quæ cum ſit palã, & in publico loco facta, præſumptio iuris eſt, quod partes de ea habuerint notitiam ſine alia notificatione, ad tradita per Zabarellam, *in Clementina, Quamuis, num. 9. extra de foro competenti.* Oſaſch. *deciſ. 71. num. 1.* Et ita continuè Rota obſeruauit in prorogationibus habitis ab Excellent. Conſilio.

Secundò reſpondetur, quod cum D. Eliſabetha
12 cum conſenſu propinqui, & decreto Iudicis † laudum emologauerit, atque approbauerit, cenſetur etiam, quod ratificauerit prorogationem inſtantię abſque notificatione factam, ſicut ita in terminis dicit Pract. Papienſ. *in forma libelli ad pœn. ex compromiſſ. num. 3.*

Tertiò reſpondetur, quod cum ex actis & proceſſu appareat, quod Do. Eliſabeth habuerit notitiam prorogationis inſtantiæ factæ per Excellen-
13 tiſs. Senatum † ſicuti notitia partis ſupplet defectum citationis. Roman. *conſil. 410. num. 2.* Menoch. *conſil. 100. num. 12.* Veſtr. *in Praxi, de exequutione citationis, cap. 3. lib. 4. num. 8.* Lepid. *deciſ. 25. per totã,* ita multo magis notitia partis ſupplebit defectum notificationis, Authen. *Multo magis, C. de ſacroſanct. eccleſ.*

Secunda verò nullitas laudo oppoſita, ex quo partes non fuerint citatæ ad audiendum laudum, tollitur infraſcriptis.

Primò, quia cum Dominis Fabio Arnolfino, & Laurentio de Meis, fuerit in compromiſſo autho-
14 ritas data † procedendi, altè, & baſsè, de bono & æquo, nulla iuris, aut ſtatutorum ſollemnitate ſeruata, conſtituti & electi fuerunt inter partes non arbitri, ſed arbitratores. Bartol. *in l. ſocietatem, §. arbitrorum, ff. pro ſocio.* Innocent. *in capit. Quintauallis, nume. 6. de iureiuran.* latè Barzius, *deciſ. Bo-*
15 *non. 63. nu. 14.* Et † propterea poterant eorum lauda proferre ſine aliqua partis citatione, Gabriel. *lib. comm. opinion. titulo de citation. concluſ. 1. nume. 199. verſic. contrariam.* Vant. *de nullit. ſentent. ex defectu compromiſſi, quæſt. 9. nu. 3.* & de magis communi opinione fidem facit Laderch. Imolenſ. *conſil. 98. num. 8.* & vltra iſtos idem tenet Roman. *conſil. 61.* & ibi latè Mandoſ. *in appoſtil.* Blanch. *tract. de compromiſſ. quæſt. 9. num. 3.*

16 Secundò reſpondetur, quod † quando arbitratori conceſſa eſt facultas iudicandi ſecundum ſuam conſcientiam, (prout in præſenti caſu,) quod tunc laudum proferre poteſt ſine partium citatione. Cephal. *conſil. 89. num. 22.* Gabriel. *d. tit. de citat. concluſ. 1. num. 195.* Menoch. *de arbitrar. iud. quæſt. 17. num. 14.* Aſinius *in Praxi, §. 7. cap. 5. limit. 34.*

17 Tertiò reſpondetur, quod † quando arbitratores controuerſias in eis compromiſſas decidere poſſunt altè & baſsè, & de facto, & ſine figura iudicij (prout in præſenti caſu) tunc non eſt neceſſaria partium citatio ad audiendam ſententiam, ſicuti clarè dicunt glo. *in Clementina Sæpè, verbo, citationem, de verbor. ſignific.* Cuman. *conſil. 7. num. 7.* latè Aſinius, *in ſua Praxi iudic. cap. 7. §. 7. limit. 34.*

18 Quartò reſpondetur, quod † citatio ad audiendum laudum non eſt neceſſaria, quando laudum fuit latum intra tempus compromiſſi ac arbitris datum ad iudicandum, ſicut poſt diffusè congeſtos tradit

tradit Aſinius *in ſua Praxi iudic. c.5. limit.50. §.7.* Maximè quando prolatum fuit vltima die inſtantiæ. Gabriel. *d. concluſ.1. num.202.* Ioann. Anan. *ſingul.* 84.

Nec prædictis obſtare putauimus quæ D. Eliſabeth adduxit in ſuis cedulis in proceſſu produ-
19 ctis. Ad ſingulare † enim Marſilij duobus modis reſpondetur. Primò, quod ipſe Marſil. *ſingul.* 133. loquitur in arbitro, non autē in arbitratore, prout clare demonſtrant verba eius ſingularis; vnde, cū ſimus in diuerſis, non poteſt fieri aliqua illatio, *l. Papinianus, §. exuli, ff. de minor.* Secundò reſpondetur, quod Marſilius loquitur quando compromiſſum erat factum ſolum cum clauſula, quod arbiter procedere poſſet tam in abſentia, quam in præſentia partis, non autem quando arbitratori data eſt facultas quod iudicare poſſit de facto, & ſecundum ſuam conſcientiam, prout in caſu præſenti.

Nec obſtat etiam quod magis communis opinio Doctorum ſit, quod arbitri teneantur citare partes ad audiendum laudum. Quia contra conſ. Maluaſiæ adſunt Gabr. & Laderch. ſupra citati, qui affirmant opinionem noſtram eſſe magis communem.

Nec obſtat quod prædicta opinio Laderchij procedat in arbitratore, qui exactam negotij ſumpſit cognitionem.

20 Quia reſpōdetur, quod in pręſenti caſu † arbitratores noſtri exactiſſimam ſumpſere cognitionem, tum quia optimè enarrāt iura cuiuslibet partis, ad tradita per Menoch. *de præſumpt. præſumpt.77. nume.32.* Tum etiam, quia hoc ipſi apertè affirmant,
21 dū in principio laudi dicūt, quod † ipſi pluries partes audiuerunt, ac ſolidauerunt omnia computa inter prædictas partes exiſtentia; quibus arbitris in hoc plena fides adhibetur, ſicuti tradunt Socin. *conſil.121. verſ. quibus tamen, volum.3.* Menoch. *de pręſumpt. lib.3. præſumpt.76. num.31.*

Tertia verò nullitas ex quo arbitri nullum fecerint proceſſum, nec eorum aſſertioni ſtandum ſit de informatione capta ſuper meritis cauſæ, quia arbitri dicto non ſtatur quando agitur de ijs rebus quæ concernere poſſunt iuſtitiam, vel iniuſtitiā laudi, ad Dec. *conſil.197.*

Reſpondetur enim primò, quod cum procede-
22 re poſſent † in cauſa altè, & baſſè, & de facto, poterant pariter ſine aliqua proceſſus fabricatione controuerſias compromiſſas definire & terminare, plenè Menoch. *de arbit. lib.1. quęſt.19. num.9.*
23 hæ † enim clauſulæ abſolutum arbitrium, & liberam poteſtatem arbitris tribuunt, ita quod in cauſa procedere poſſunt prout velint, ſicuti nouiſſimè poſt diffusè congeſtos tradit Marta *in ſuo tractatu de Clauſulis, clauſula ſeptima.*

24 Secundò reſpondetur, quod † licet arbitri non fabricauerint proceſſum, & certum tempus ad probandū non dederint, tñ laudum nō dicitur prolatū ſine cauſæ cognitione, quia arbitri poterant a ſeipſis ſummere informationem cauſæ, & poſtea laudum cauſa cognita proferre. ita Bart. *in l. prolatū, num.8. & 9. C. de ſentent.* Alba *conſil.197. nume.5.* plenè Vant. *de nullit. ex defectu proceſſus, num.41.*

Tertiò reſpondetur, quod quando etiam appareret quod prædictum laudum prolatum fuiſſet ab arbitris nullis antea habitis probationibus, & nullo fabricato proceſſu, tamen non diceretur nullū,
25 quia † probationes non ſunt de ſubſtantia iudicij, & ſententia lata ſine probationibus, non dicitur nulla. Dec. *in l.2. nume.37. C. de edendo, & conſil. 295. nu.1.* Vantius *de nullit. ex defect. proceſſ. nu.38.* Alba *conſil.197. num.5.* Surdus *deciſ.36. nu.6.*

26 Quartò reſpondetur, quod cum † arbitri dicant, quod partes coram eis eorum iura deduxere, ac informationem ſumpſere ſuper meritis cauſæ, eorum atteſtationi ſtatur, quia non agitur de iuſtitia, ſiue iniuſtitia laudi, ſed ſolum de rebus geſtis coram eis, & quod ritè proceſſerint in iudicando, ſicut in terminis tradunt Socin. *conſil.123. verſi. ſed premiſſis, vol.3.* Menoch. *conſil.208. num.19. vol.3.* & conferunt tradita per eumdem Menoch. *conſil. 476. num.4. vol.5.*

27 Quintò reſpondetur, quod quando arbitri † plures ſunt (vt in caſu iſto) tunc eorum atteſtationi creditur, etiam in præiudicium partium, & in rebus concernentibus iuſtitiam, ſiue iniuſtitiam, laudi, Gabriel. *Comm. opin. tit. de malefic. concluſ.33. nume.1.* maximè, quia probationum materia eſt arbi-
28 traria, & † in arbitrarijs Iudicis aſſertioni creditur, ſicuti in puncto tradit Barzius *deciſ. Bonon.23. num.8.*

29 Sextò reſpondetur, quod † cum iſtud laudum fuerit a partibus expreſſim per publicum inſtrumentum emologatum, atque approbatum, non poſſunt modò partes illud nullum dicere ob defectum citationis. Menoch. latè *conſ.208. nu.3. vol.3.*

Quarta nullitas laudo oppoſita, ex quo arbitri dixerunt ſe æſtimaſſe bona ſtabilia, & tamen hoc in facto non ſit verum, tollitur ex infraſcriptis.

Primò, quia quod arbitri falſum dixerint dum dixerunt, quod partes conſenſerunt æſtimationi bonorum, deprehenditur ſolùm ex mera partis aſſertione, quæ partis aſſertio, non eſt legitima probatio, quia cuilibet in re propria prohibitum eſt teſtimonium, *in l. omnibus, C. de teſtibus.* maximè ad-
30 uerſus laudum, † ſiue ſententiam, pro quo iura ſemper præſumunt, niſi de contrario appareat, per veras, plenas, & admodum concludentes probationes. Beccius *conſil.99. num.20.* Maſcard. *Concluſ. 936. num.1.* Nec dicatur, quod arbitri de iure diſponere non poterant de iſtis bonis, quia erant bona mulierum, & minorum; Quia reſpondetur, quod hæc aſſerta nullitas dependet a validitate cōpromiſſi; ſi enim compromiſſum validum erat, dubio procul diſponere etiam poterant de prædictis bonis, quia partes expreſſim hanc facultatem in compromiſſo tribuerant, quod enim compromiſſum validum ſit quoad Dom. Eliſabetham, de qua nunc agitur, clariſſimè ex infraſcriptis duobus fundamentis habetur. Primò, quia ipſa tempore facti compromiſſi erat maior, & maritata, quo caſu, ſicut ex diſpoſitione *cap.39. lib.2.* ſtat. poteſt liberè de ſuis bonis diſponere, ita & multo magis compromiſſum ſuper illis facere poterat, Auth. *Multo*

magis,

magis, C. de ſacroſan. eccleſ. Secundò dubitandum
non eſt de validitate iſtius cõpromiſſi, quia quãdo
a principio non fuiſſet validum, tamen quia ab Ex
cellentiſſimo Conſilio fuit confirmatum de certa
ſcientia, & plenitudine poteſtatis, illud validũ fa-
31 ctum fuiſſet, quia † confirmatio de certa ſcientia,
& plenitudine poteſtatis a Principe facta, valere
facit actus, & contractus, a principio nullos, & in-
ualidos. Roland. *conſil. 71. num. 47. & ſeq. volum. 2.*
Gabr. *lib. comm. opin. tit. de clauſ. concluſ. 1. num. 1.* la
tè Decian. *conſil. 18. num. 270. vol. 1.*

Quinta nullitas laudo oppoſita, ex quo ratio tu
telæ adminiſtratæ non fuerit reddita per Spect. Be
nedictum, prout Arbitratores dicunt in eorum lau
do, tollitur duobus fundamentis. Vnum eſt, quia
in facto non eſt verum quod ratio non fuerit reddi-
ta (prout inferius demonſtrabitur.) Aliud eſt, quia
quando etiam verum eſſet quod Spect. Benedictus
non reddidiſſet rationem ſuæ adminiſtrationis, ta
32 men ex hoc laudum non redderetur nullum, † ſed
iniquum, cui de iure partes ſtare, & obedire de-
bent, text. *in l. diem proferri, §. ſtari, ff. de recept. ar-
bitr.* Cephalus *conſil. 740. nu. 16.* Barbat. *conſil. 40.
num. 54. vol. 4.*

Sexta nullitas quæ deprehendebatur ex eo quia
Domini Arbitri non iudicauerint ſuper tota con-
trouerſia, ex quo in calculo non comprehenderunt
melioramenta facta per Spect. Maximum ſuper bo
nis reuendendis, per filias eiuſdem Dom. Maximi
Spect. Benedicto.

Reſpondetur, quod iure meritò in eorum laudo
Domini Arbitri nullam habuerunt rationem de
aſſertis melioramentis, tum, quia ex actis, & pro-
ceſſu non apparebat, quod Spect. Benedictus fe-
ciſſet aliqua melioramenta ſuper dictis bonis, & ta
33 men, vt de † iure quis valorem, ſiue æſtimationẽ
aliquorum melioramentorum conſequi valeat, ne-
ceſſarium eſt quod probet, quod ipſe, ſiue ſui au-
thores fecerint melioramenta petita. Maſcardus
Concluſ. 1039. num. 6. Borgnin. *deciſ. 32. nume. 19.
parte 2.* Peregr. *de fideicommiſ. art. 50. nu. 54.* Tum
etiam, quia vigore compromiſſi non poterant ha-
bere aliquam rationem de iſtis melioramentis, ſed
ſolùm æſtimare debebant pretium bonorum ſpe-
ctantium ad dictas filias, & poteſtas Arbitri pen-
34 det ab authoritate ſibi data in compromiſſo, † &
nihil facere poſſunt præter vel vltra limites iuriſdi
ctionis illis in compromiſſo tributæ, *l. non diſtingue
mus, §. de officio, ff. de arbitr. l. ſi cum dies, §. plenè, ff.
eod.* Socin. iun. *conſil. 63. num. 6. lib. 1.* Beccius *con-
ſil. 96. num. 12.* Alba *conſil. 185. num. 2.* Roland. *con
ſil. 28. num. 37. lib. 4.*

Septima nullitas fundata in eo, quod Arbitri
non ſeruauerint formam compromiſſi, ex quo non
declarauerunt quantitatem bonorum & fructuum
ad dictas filias ſpectantem; tollitur ex claris verbis
compromiſſi, ex quibus habetur, [Che detti Arbi
tri debbino conſiderare la valuta de beni agiudica
ti a dette figliuole, reducendo il tutto a denari con
tanti.] Vnde cum dicti Arbitri conſiderauerint
æſtimationem, & pretium bonorum pertinentiũ
ad filias Spec. Maximi, & omnia reduxerint ad cer
tam pecuniæ ſummam, nempè ad ſummam ſcuto-
rum 7100. optimè ſeruauerunt formam compro-
miſſi: quia pro forma non fuit eis traditum, quod
declararent quantitatem bonorum, & fructuum,
ſed ſolum, quod arbitrarentur pretium eorumdem
bonorum, & fructuum.

Secundò reſpondetur, quod quando partes in
compromiſſo dixere Arbitros conſiderare debere
quantitatem fructuum, & bonorum ad dictas fi-
lias ſpectantium, hoc fecerunt ad eum finem, vt ip
ſi ſcire poſſent in quanta ſumma pecuniæ condem
nare deberent Spect. Benedictum pro bonis, & fru
ctibus. Quare cum fines a partibus habiti in com-
promiſſo, fuerint optimè ſeruati, quia bona appre-
tiata fuere, necnon, & Spect. Benedictus condem-
natus fuit ad ſoluendam certam pecuniæ quantita
35 tem; ideò etiam dicitur, † ꝙ Arbitri formam cõ-
promiſſi optimè ſeruauerunt. ſicuti in terminis di-
cit Rota Romana *deciſ. 33. num. 4. & 5. parte ſecun-
da diuerſorum.*

Octaua nullitas, quæ deducebatur ex diſcordia
Dominorum Arbitrorum, tollitur: quia Arbitri
diſcordes dumtaxat fuere in vltimo capite com-
promiſſi, & circa ſolutionem alicuius intereſſe, nõ
autem in alijs partibus ſubſtantialibus laudi. Vn-
36 de † ex diſcordia Arbitrorum in hoc capite, non
poteſt fieri illatio circa alia capita laudi, in quibus
Arbitri fuere concordes; in hoc enim capite ſolum
laudum non dicitur laudum, non autem in alijs di
uerſis capitibus. Blanch. *de compromiſſ. quæſt. 9. nu-
me. 57.* Rota Romana *d. deciſ. 33. num. 8.*

Nona nullitas, quæ colligitur, ex quo Arbitri
condemnauerunt Spect. Vincentium Guiniſium
ad faciendum inſtrumentum quod acceperit pecu
nias de quibus in aſſerto laudo nomine ſuæ dotis,
& grauauerunt eum ad fideiubendum pro bonis
vendendis per Spect. Benedictum, tollitur

Primò, quia cum Domini Arbitri declarare de-
berent vigore compromiſſi modum exequẽdi præ-
dictum laudum, ac in eius exequutione ſolui debe-
ret medietas pretij horum bonorum Spect. Vin-
centio, tamquam marito D. Eliſabethæ, debebant
pariter illum grauare, quod ſecundum iuris diſpo-
ſitionem faceret inſtrumentum, quod eas pecunias
recipiebat pro dote ſuæ, vxoris, quia alias in gra-
ue damnum D. Eliſabethæ Spect. Vincentius rece-
37 piſſet iſtas pecunias, & quælibet † poteſtas Arbitro,
ſiue Iudici ſemper tributa intelligitur ſecundum
iuris diſpoſitionem, *§. fin. Inſtitut. de milit. teſtamen.*
38 Et † æquitate ſuadente iuriſdictio etiam limitata,
extenditur ad cauſas etiam diuerſæ ſpeciei, *l. quo-
ties, vbi Doctor. C. de iudicijs.* Bar. & alij *in l. inter-
dum, §. qui furem, ff. de furt.*

Secundò reſpondetur, quod ſicut Arbitri habe
bant iuriſdictionem, & determinare poterãt quod
pars pretij horum bonorum ſolueretur D. Vincen
tio, intra illud tempus, quod eis videretur, ita pa-
riter arbitrari poterant quod eidem hæ pecuniæ
ſoluerentur cum hac qualitate, dummodo Spect.
Vincentius eas pecunias reciperet nomine dotis,
ac fideiuberet in vẽditione bonorum facienda per
39 Spect. Benedictum. Quia † ille Iudex qui actum

facere poteſt, poteſt etiam illum qualificare. Becc,
conſil.101.num.27. Surdus *conſil.174.nu.6. & con-*
ſil,272.num.5.

Tertio negari non poteſt, quod iſta prouiſio ꝙ
Spect. Vincentius facere deberet inſtrumentum pe
cuniæ per eum receptæ, & fideiubere pro vendi-
tione bonorum facienda, non dependeat & ſit de
connexis & dependentibus ab ipſa cauſa exequu-
tionis ſententiæ in arbitros compromiſſa; quo ca-
ſu de iure clarum eſt, quod iſta prouiſio comprehē-
debatur ſub iuriſdictione Dominorum arbitrorū,
40 quia ille † qui eſt iudex cauſæ principalis, eſt pari-
ter Iudex omnium rerum dependentium & anne-
xarum cauſæ principali, Doct. *in l,2.ff,de iuriſdict,*
omn.iudic. vbi latè Addent. ad Alex. & Bart, Rom.
conſil.243, Doctor. *in c.preterea, vbi preſertim* Fel,
extra de offic.deleg. Menoch. *de arbitr. Iud.lib.1.quę*
ſtio.45.per totam,

Quartò reſpondetur, quod partes in Dominos
arbitros compromiſerant modum exequendi ſen
tentiam Dominorum Iudicum Rotę. Verum ipſi
inter cetera iudicauerunt quod in modo exequen-
di iſtud neceſſarium eſſet, videlicet, quod Spect,
Vincentius inſtrumentum faceret de bonis vendi-
tis, ac quod fideiuberet in venditione bonorum fa
cienda. Ideo non exceſſerunt in aliquo limites eo-
rum iuriſdictionis, quia ſub modo exequendi ſen-
tentiam illis commiſſam comprehēditur, & inclu
ditur hæc prouiſio, quod Spect. Vincentius faceret
prædictum inſtrumentum, & interponeret præfa
41 tam fideiuſſionem. Et † Iudex numquam dicitur
excedere limites ſuæ iuriſdictionis, quando ea quę
facit, aliquo modo comprehenduntur ſub com-
miſſione illi facta, ſicuti de iudice delegato eſt do-
ctrina Innocentij *in c.cum olim, de offic.iudic. deleg.*
vbi Abb. *num. 7. & ſeq.* Rom. *conſil.343. num.14.*
& 15. Ruin. *conſil.3.lib.4.*

Decima verò nullitas, deſumpta ex eo, quia ar-
bitri in calculo ſummæ ſoluendæ per Spect. Bene-
dictum rationem habuere de damno inciſionis ar
borum, facto per Spect. Maximū ſuper bonis ſup-
poſitis pacto recomperæ vltra limites iuriſdictio-
nis illis in compromiſſo tributæ. Reſpondetur plu
ribus modis, Primò quod Domini de Rota abſo-
lutè non liberauerunt filias Spect, Maximi a dam-
no inciſionis arborum reficiendo Spect. Benedi-
cto, ſed dixerunt dictas filias prædictum damnum
reficere debere quando Spect. Benedictus redime
ret bona, quæ vigore eiuſdem ſententiæ redimere
poterat. Modo arbitri in quibus compromiſſa erat
exequutio ſententiæ, iudicauerunt quod in exe-
quutionem ſententiæ Spect. Benedictus redimere
valeret bona præfata, ac in calculo ſcutorum ſe-
ptem mille poſuerunt eas pecunias quas Spect. Bę
nedictus ſoluere debebat ex cauſa harum redem-
ptionum, ſicuti habetur ex verbis laudi, ibi, [e le
recompere che parimente ſpettauano per detta
ſentenza al Spectabile Benedetto.] Quare cū ve-
nerit caſus recomperæ in ſententia Dominorum
de Rota expreſſus, iure meritò potuerunt Domi-
ni arbitri exequendo eamdem ſententiam Rotæ,
habere rationem, ac in calculo computare damnū
inciſionis arborum, prout fecerunt.

42 Secundò reſpondetur, quod cum † laudum Do-
minorum arbitrorum contineat plura, & diuerſa
capita ſeparata, quando nullum eſſet in hac parte,
tamen valeret in alijs capitibus diuerſis, & ſepara-
tis, ſicut tradit Rota Romana, *deciſ.33.nu.8. cum*
ſeq. parte 2. diuerſor. Quibus accedat, quod licet
ex prędictis ſimus in terminis omninò claris, quan
43 do etiam eſſemus in dubio, † pro iuriſdictione ar-
bitrorum iudicandum eſſet. Natta, *conſil.99.nu-*
44 *mero 7.* Prout etiam regulare eſt, quod † in dubio
ſemper pro validitate actus iudicandum eſt, *l.quo-*
ties, la 2.ff.de reb.dub. Menoch. *de arbitr.caſu 213.*
num.28. Rota Romana, *in nouiſſim.deciſ.125.par.*
1. Decianus, *reſponſo 5. num.63.vol.1.*

Tertiò principaliter, quando etiam Do. Eliſa-
beth. audiri potuiſſet ſuper prędictis nullitatibus,
ac illa de iure ſubſiſterent, quæ tamen omnia mul-
tum a veritate aliena reputauimus, nihilominus e-
tiam in hunc caſum obaudiri debebat, quia cum
ipſa mediante Iudicis decreto, & conſenſu propin-
qui, laudum iſtud emologauerit, atque approbaue
45 rit, hæc † emologatio operatur quod ſi illud valere
non poteſt vti laudum, valeat tamen tamquam pa
ctum & tranſactio, *l.2.vbi Doctor. C. comm.vtriuſ-*
que iudicij, Abbas, *in cap. dilecti, in fine, de arbitr.*
Pariſ. *conſil.46. num.12. cum ſeq. vol.1.* Corn. latè
conſil.125. per totum, vol.2. Menoch. *conſil.1. nu-*
me.270. & conſil.208. num.32, vol.3. Ruin. *conſil.*
135. num.11. vol.1. Rota Romana, *deciſ.512.nu-*
me.1. & eſt omnium expedita ſententia, vt dicit
Teſſaur. *deciſ.253. num. 15.* maximę interuenien-
te ſimultaneo conſenſu, & ſtipulatione, prout in
caſu noſtro interuenit. Pariſ. *conſil. 24, num. vlt.*
lib.2. Maluaſia, *conſil.91.num.60.* Corn. *d.conſil.*
125.lib.2.

Nec prædictæ emologationi obſtat dum dice-
batur eam nullam eſſe, ex quo D. Eliſabeth errore
ducta fuit ad emologandum dictum laudum, &
46 non habita notitia, quod illud nullum eſſet, † quo
caſu ęmologatio laudi a partib. facta, nulla eſt, ex
multis qui adducebantur. Nā huic obiectioni plu
ribus reſpondetur modis, &

Primò, quia D. Eliſabeth habuit notitiam dę
omnibus nullitatibus, & de ceteris rebus in inſtru-
47 mento laudi contentis, quod † apparebat ex verbis
ipſis inſtrumenti emologationis, ibi, [Hauuto no-
titia, & piena, & chiara intelligentia,] ſicuti in for
tioribus terminis probat Maſcard. *concluſ. 1293.*
num.10. & 20, Honded. *conſil.80.nume.50. & ſeq.*
lib.2. Surd. *deciſ.4. num.8. & 9.*

Secundò reſpondetur, quod dicere non poteſt
D. Eliſabeth, quod errore ducta hoc laudum emo-
logauerit: quia illud approbauit cum clauſula, De
48 certa ſcientia, quæ † clauſula, omnem præſumptio
nem erroris, ſiue doli adimit, atque tollit, ſicuti
clarè dicunt Seraphin. *de priuileg. iuramenti, priui-*
leg.90. num. 3. Berous, *conſil.60. num. 37. vol. 2.*
Menoch. *conſ.1063. num. 8. vol.10.* Decian, *con-*
ſil.39. num.131. volum. 2. Et quod verba ex certa
ſcientia (de quibus in caſu noſtro) actum nullum,
& inualidum confirment, tradit Dec. *conſil. 516.*
num,

*num.*12. Grammat. *conſil. ciuil.* 100. *num.*8. *&* 9.
& poſt alios Pedroch. *conſil.*1. *num.*137. & ſtante
d.clauſula, non poteſt allegari talis ignorantia, vel
error. Seraphin. *de priuileg. iuramen. priuileg.* 119.
*num.*5. Pariſ. *conſil.*96. *num.*70. *lib.*1. *& conſil.*15.
*num.*60. *lib.*2. *& conſ.*3. *num.*74. *lib.*4. latè Berta-
zol. *de clauſulis, clauſula* 11. *gloſ.*2. *per totam.* Me-
noch. *conſil.*1068. *num.*8. Surdus *deciſ.* 130. *nu.*6.

Tertiò reſpondetur, quod quādo D. Eliſabeth
ignoraſſet nullitates prælatas laudum prædictum
infringere poſſe, hæc fuiſſet ignorantia iuris, &
49 non facti, quæ † nedum partibus prodeſt, verum e-
tiam allegari non poteſt, Barzius, *deciſ. Bonon.* 2.
num. 23.

Quartò, cum D. Eliſabeth nō per vnum ſolum
inſtrumentum, verum etiam per plura illud appro
50 bauerit, & ratificauerit, hæc † actuum geminatio
præſumere facit, quod non per errorem, ſed ani-
mo deliberato laudum prædictum emologauerit,
ac omnem præſumptionem erroris tollit. Decia-
nus, *conſil.*91. *num.*11. *vol.*3.

51 Quintò, cum d. laudum fuerit nedum verbis † e-
mologatum, verum facto ipſo approbatum, quia
Spect. Benedictus in exequutionem huius laudi, re
tinuit poſſeſſionem quamplurium bonorum, & ſol
uit quammaximam pecuniæ quantitatem; non
poteſt modo ſub quouis prætextu in dubium reuo
cari; Cephalus *conſil.* 654. *num.*14. *cum ſeq.*

Sextò, cum illud fuerit pluries coram Do. Eli-
52 ſabeth lectū a Notario, hæc ſola laudi † lectura ſuf-
ficit, vt emologatio validè facta dicatur, ac vt lau-
dum in vim pacti teneat. Becius *conſil.*37. *numero*
24. Corn. *conſil.*125. *num.*9. *vol.*2. Pariſ. *conſ.*46.
*num.*1. *cum ſeq. vol.*1. Natta, *conſil.*636. *num.*194.
Vrſil. ad Afflict. *deciſ.*117. *num.*1. *&* 2. Menoch.
*conſil.*208. *num.*32. *volum.*3. *& conſil.*1. *num.*270.
Teſſaur. *deciſ.*253. *num.*5. Barz. *deciſ. Bonon.*112.
*num.*10. *&* 12.

Septimò, cum Do. Eliſabeth non deduxerit ali-
quid in proceſſu, ex quo legitimè appareat de aſſer
to errore, non poteſt pariter ſuper eo ſe fundare:
53 quia † error in dubio non præſumitur, ſed qui erro
rem allegat, eum pariter plenis, ac concludentibus
probationibus probare debet, *l. non fatetur, ff. de
confeſſ.* Surdus *deciſ.* 104. *num.* 18. Maſcard. *con-
cluſ.*637. *num.* 1. Menoch. *de præſumpt. quæſt.* 61.
num. 13. *lib.* 1.

Nec prædictis reſiſtunt aliqua per D. Eliſabeth
adducta ad probandam aſſertam ignorantiam; &
errorem. Non enim obſtat dum illam probare in-
tendit medio eius iuramento.

54 Primò, quia cum in præſenti caſu agatur † de
præiudicio tertij, ignorantia iuramento non pro-
batur. Seraphin. *de priuileg. iuramen. priuileg.* 4.
*num.*24. Maſcard. *de probat. concluſ.*881. *num.* 12.
Menoch. *de arbitr. iudic. caſu* 186. *num.*9.

Secundò, quia agitur de re graui, ac magni præ-
iudicij, quando ob aſſertam ignorantiam laudum
55 reſcinderetur, & † in rebus magni præiudicij &
valoris, ignorantia non probatur iuramento, O-
ſaſch. *deciſ. Pedemon.* 71. *num.*46. Seraph. *de priui-
leg. iuramen. priuil.*4. *num.*100. Burſat. *conſ.* 143.
*nume.*53. *lib.*2. Pedroch. *conſil.*3. *nume.* 32. *&* 33.

Tertiò, quia ex actis & inſtrumentis exhibitis
apparebat, quod Do. Eliſabeth habuit ſcientiam
nullitatum laudi, ex quo ſciuit contrarietatem ar-
56 bitrorum, quo caſu † cū ex publicis actis & inſtru-
mentis appareat de contraria, ac de ſcientia D. E-
liſabethæ, deficit in totum probatio ignorantiæ,
quæ ſolet fieri per iuramentum. Maſcard. *de pro-
bat. concluſ.*881. *num.*25. Seraphin. *de priuileg. iu-*
57 *ramen. d. priuileg.*4. *num.*77. Et † quotieſcumque
adſunt præſumptiones in contrarium ignorantia
non probatur iuramento, vt poſt Barto. Marſil. &
alios, dicit Oſaſch. *d. deciſ.*71. *nu.*2. Menoch. *de ar-
bitr. iudic. caſu* 186. *num.*7. *verſic. ſecundo.*

58 Quartò reſpondetur, quod † etiam in illis caſi-
bus, quando ignorantia iuramento probatur, hoc
intelligitur, quando iuramentum defertur a Iudi-
ce parti, non autem quando pars de per ſe iurat:
quia iuramentum hoc caſu nihil probat. Maſcard.
concluſ. 881. *num.* 7.

Quintò reſpondetur, quod ſi prædictæ nullita-
tes infringere poſſint, vel non poſſint laudum; eſt
articulus iuris, & propterea ſi D. Eliſabeth erraſ-
59 ſet, fuiſſet error iuris, † qui non probatur iuramen
to, ſed probari debet per alias veras & concluden
tes probationes. Seraphin. *de priuileg. iuramen. d.
priuileg.*4. *num.*125.

Non obſtabat etiam reſponſio Spectabilis Phi-
lippi facta ad poſitionē 139. d. D. Eliſabeth vbi di-
xit, [che crede che detta Signora Iſabetta habbi
approuato detto laudo come valido.] Quia hæc
reſponſio ſuffragari non debet d. Do. Eliſabethæ,
idque pluribus rationibus.

Primò, quia tam ex inſtrumento emologatio-
nis, quam ex alijs reſponſionibus factis per Spect.
Philippum ad alia capitula, apparet de errore d.
confeſſionis, ex quo ex illis clare habetur, quod D.
60 Eliſabeth notitiam habuit nullitatum laudi; † quo
caſu hæc confeſſio vti erronea & per errorem fa-
cta, confitenti non nocet, Alba *conſil.* 332. *num.* 1.
& ſeq. Cabal. *conſil.*107. *num.*44. Menoch. *conſil.*
477. *num.* 8.

Secundò, quia quando Spect. Philippus dicit,
quod D. Eliſabeth approbauerit laudum vti vali-
dum, confitetur rem quæ non dependebat ab e-
61 ius voluntate, ſiue poteſtate, † quo caſu confeſſio
confitenti non nocet. Borghin. *deciſ.* 36. *num.* 39.
*par.*2. Alba *conſil.*451. *num.*28. Maceratenſ. *reſo-
lut.* 57. *num.*45. *lib.*2.

Tertiò, quia cum de præſenti Spect. Philippus
vix decimumnonum compleuerit annum de tem-
pore, quo D. Eliſabeth laudum emologauit, erat
ætatis annorum duodecim, ac in inſtrumento emo
logationis non interuenit, quo caſu tam reſpectu
ætatis, quam etiam quia non fuit præſens quando
D. Eliſabeth laudum emologauit, redditur omni-
nò inueriſimile immò impoſſibile, quod ipſe ſcire
potuerit ſi D. Eliſabeth emologare voluerit laudū
vti validum, ſiue vti nullum, quo caſu hæc confeſ-
62 ſio † vti inueriſimilis, confitenti nocere non po-
teſt. Surdus *deciſ.*291. *nu.*28. Honded. *conſil.*108. *nu.*
47. *vol.*1. Decian. *Reſponſo* 15. *num.*31. *vol.*1.

Quartò, quia licet Spect. Philippus dixerit, ipſum credere quod D. Eliſabeth approbare voluerit laudum vti validum, non tamen excludit quod illud approbare noluerit quando eſſet nullum, quia eſſe poteſt, quod hæc duo habuerit in intentione, videlicet, approbandi laudum, ſi validum erat, & illud etiam approbare quatenus nullum eſſet; vnde illa confeſſio non excludebat quod D. Eliſabeth ſecundariò, ſi non principaliter, habere non potuerit in intentione approbare iſtud laudum quatenus nullum eſſet, maximè, quia confeſſio † ſemper eo modo interpretari debet, ne reſpondens incidat in contrarietatem. Surdus *deciſ.291.num.23*, prout eueniret in præſenti caſu, quando hæc confeſſio demonſtraret Dom. Eliſabeth non habuiſſe cognitionem nullitatum laudi: quia ex alijs reſponſionibus per Spect. Philippum factis apparebat de contrario, ac quod D. Eliſabeth habuerit ſcientiã nullitatum laudi.

63

Quintò, ſi D. Eliſabeth per emologationem factam approbauerit laudum in vim pacti, ſiue non;
64 eſt articulus iuris, & proinde † hæc confeſſio facta ſuper ijs, quæ iuris ſunt, confitenti non nocet. Maſcardus *de probat.conclu.1177.num.48.* Peregr. *conſil.20.num.23*. Scaccia *de iudic. cauſ.ciuil. cap.7. lib.2.* Surdus *deciſ.104.num.30.*

Sextò, quia ex ſtatuto *lib.1.cap.68.* prohibitum eſt, admitti poſitiones de facto alieno, de quo veriſimiliter reſpondens non poſſit habere notitiam, certè, quemadmodum poſitio de qua ſupra, non erat admittenda, ita reſponſio ad eam facta per errorem, nocere, & obeſſe non poterat. Benintend. *deciſ.32.num.15.& 16.*

Nec obſtabat etiam quod Clauſula illa, De certa ſcientia, appoſita in contractu emologationis, cenſeatur potius appoſita de ſtylo & conſuetudine Notariorum, quam de partium voluntate, & conſenſu. Reſpondetur enim, magis communem
65 Doctorum opinionem eſſe, omnes † Clauſulas in contractu appoſitas, cenſeri appoſitas de conſenſu contrahentium, ſicut ex recentioribus infinitos ferè referendo & de magis communi opinione fidem faciendo, tradunt Laderch. *conſil.129.ſub nume.5.* Barz. *deciſ.Bonon.96.num.9.* Honded *conſil.33.num.41.cum ſeq.vol.1.* Menoch. *conſil.85.num.45.cum ſeq.*

Nec viſum fuit obſtare dum ſecundo loco principaliter dicitur, dictam emologationem non valere, ex quo in hoc contractu non interuenere Iudicis decretum, & conſenſus propinqui, ac propinquus conſentiens, & Iudex voluerint laudum ſolũ approbare in caſu, in quo eſſet validum nõ autem nullum: Quia illud obiectum duo capita continet, vnum, quod contractus emologationis non valeat quia fuerit factus ſine conſenſu propinqui, & decreto Iudicis, quod tollitur ex facie ipſius contractus, ex qua apparet, quod in ea interfuere conſenſus, & decretum prædictum. Aliud verò caput præſentis obiecti quod propinquus, & Iudex noluerint laudum approbare vti pactum, tollitur ex infraſcriptis.

Primò, quia quilibet actum faciens, cenſetur ſemper actum eo modo facere velle, quod de iure valere poſſet. Sed de iure quando nullitas oppoſita ſubſiſteret, laudum prædictum non poſſet valere, niſi in vim pacti. Ideo dum emologationi prædictæ Iudex & propinquus conſenſere, cenſendũ eſt quod laudum approbare voluerint eo modo, quo de iure valere poterat, & ita in vim pacti. In-
66 terpretatio enim † actus fit ſemper eo modo, quod actus valeat, non autem quod pereat. Dec. *in l. poſt quam, col.2.C.de pact.& conſil.77.col.4.* latè per Menoch. *tract.de præſumpt.lib.6.præſumpt.4.*

Secundò, quia ſi Iudex & propinquus approbare voluiſſent ſolum laudum, vti validum, feciſſent actum ſuperfluum, quia ſi laudum validum erat ex ſe ipſo, ſine aliqua emologatione, valebat & tenebat. Vnde ne cenſeatur quod partes facere voluerint actum, & contractum ſuperfluum, dicendum eſt, quod illud ẽt approbare voluerint in caſu quo
67 nullum eſſet. Contractus † enim ſemper eo modo interpretandi ſunt, ne ſuperflui ſint, & ne videatur contrahentes actum nullum facere voluiſſe. Surd. *deciſ.276.num.4.& conſil.227.nu.9.vol.1.* Honded. *conſil.49.num.17.vol.1.*

Tertiò, quia ſemper præſumitur quod partes cõtractum facere voluerint ſecundum iuris diſpoſitionem, ſed de iure diſpoſitum eſt, quod ſi laudum nullum eſt a partibus emologatum, valeat in vim pacti, prout ſupra demonſtratum eſt. Ideo, vt in præſenti caſu voluntas contrahentium ſit conformis iuris diſpoſitioni, idem pariter dicendum eſt quod facere voluerint in præſenti contractu.

Nec etiam viſum fuit poſſe obſtare quod dictũ laudum non poſſit valere in vim pacti ob diſcordiam arbitrorum, quoniam laudum quauis de cauſa nullum, dummodo ſit in materia ſuper qua contrahentes diſponere poſſint per emologationem, & approbationem ſubſequutam, valet in vim pacti, prout conſtat ex Doctorib. ſuprà enumeratis *nu.45.* Quæ concluſio procedit in fortioribus ter-
68 minis, † etiam ſi laudũ nullũ eſſet ex defectu iuriſdictionis, Berous, *conſil.30.num.1.& 17.vol.3.* Corn. *conſil.121.num.9.vol.2.* Afflict. *deciſ.117.num.1.& 2.* Barz. *deciſ.112.num.10.* Surdus *conſil.398.num.27.vol.3.* plenè Menoch. *conſil.381.num.16.vol.4.* vbi reprobat Gabriel. contrarium tenentem.

Nec etiam viſum fuit obſtare dum vltimo loco dicebatur, quod iſta emologatio non poſſit valere tamquam pactum, & tranſactio, ex quo facta fuit nulla exſtante lite.

Primò, quia ex facie inſtrumenti compromiſſi contrarium apparebat, vbi cõſtabat, quod lis erat mota ſuper exequutione ſententiæ Dominorum de Rota, ſuper qua arbitri laudauerunt, & partes deinde tranſactionem, & laudi emologationem fecerunt.

Secũdò, quia cum per laudum prædictum iam eſſet iudicatum quomodo exequutioni demandari deberet ſententia Dominorum de Rota, ſi Do. Eliſabeth volebat d. laudum improbare, & illud non ratificare in vim tranſactionis, erat probabilis, immò certus timor futuræ litis, tum quia per

Dominos de Rota non erat liquidata ſumma in qua debitor remaneret Spectab. Benedictus. Item, quia ſuper maiori parte bonorum Spect. Benedicto competebant iura recomperæ, & etiam, quia laudum prædictum non poterant ſine magna lite
69 reſcindere, quo † caſu licet de tempore prædictæ emologationis non eſſet lis inter Spectab. Benedictum, & D. Eliſabeth, tamen quia poterat eſſe timor futuræ litis, hoc ſufficit, ad effectum quod tranſactio facta ſine exiſtentia litis, valeat & teneat. Oſaſch. *deciſ.* 91. *num.* 27. *verſic. non obſtat.* Honded. *conſil.* 49. *num.* 34. *vol.* 1.

Quo verò ad enormiſſimam læſionẽ, qua mediante D. Eliſabeth infringere intẽdebat laudum & contractus poſtea ſubſequutos. In primis præ-
70 ſupponendum eſſe cenſuimus, quod cum † iſtud laudum fuerit a partibus emologatum, dicitur vera, & propria tranſactio, ac omnia iura, quæ loquuntur in contractu tranſactionis habent pariter locum in contractu a partibus approbato, atque emologato. Dec. *conſ.* 60. *num.* 3. *verſic. tamen quod laudum, & num.* 4. *& conſil.* 198. *num.* 4. *&* 630. *nume.* 2. Ruin. *conſil.* 135. *nume.* 4. *lib.* 5. Tob. Non. *conſil.* 68. *num.* 11. Decianus, *reſponſo* 23. *num.* 34.
71 *& reſponſo* 44. *num.* 25. *lib.* 4. Sed de iure † tranſactio ſecundum vnam Doctorum opinionem, non reſcinditur ob enormiſſimam læſionem. Speculator. *in tit. de empt. & vendit. §. nunc videndum, nume.* 14. gloſ. *in cap. cum cauſam, in verbo reſtitueris,* vbi Ancharan. *num.* 7. *de empt. & vendit.* Alexan. *in l. ſi quis cum arbiter,* vbi Iaſ. *num.* 13. qui de magis communi teſtatur, *ff. de verbor. oblig.* Bero. *conſil.* 176. *num.* 25. *lib.* 1. Dec. *conſil.* 203. *num.* 4. Socin. iun. *conſil.* 32. *num.* 16. *lib.* 3. Tob. Non. *conſil.* 67. *num.* 16. Gayl. *Obſeruat.* 70. *num.* 6. *lib.* 2. Roland. *conſil.* 28. *num.* 28. *lib.* 4. Afflict. *deciſ.* 220. *num.* 3. Grauat. *deciſ.* 66. *num.* 63. plenè Menoch. *conſil.* 401. *num.* 166. Decian. *conſil.* 56. *num.* 66. *vol.* 4. Vel ſaltem ſecundum aliam Doctor. opinio-
72 nem (& forſan veriorem) tranſactio † ob læſionem enormiſſimã reſcinditur, dũmodo læſio ſit admodũ grandis, & in magno exceſſu vltra dimidiam iuſti pretij ſicut diſtinguendo tradunt Gabr. *Comm. opin. tit. de empt. & vend. concl.* 1. *nu.* 69. Surd. *conſil.* 480. *num.* 14. *verſic. ſecunda concl.* Cephal. *conſ.* 137. *num.* 17. *cum ſeq.* Affliſ. *deciſ. Peruſ.* 18. *nu.* 62. Dec. *conſil.* 256. *num.* 15. Rimin. iun. *conſil.* 315. *num.* 2. *&* 3. Pariſ. *conſil.* 12. *num.* 102. *lib.* 2. Natta, *conſ.* 540. *num.* 12. Alba *conſil.* 366. *num.* 1.

Quod autem in præſenti caſu conſideratis probationibus factis pro parte D. Eliſabethę nulla adfuerit læſio, probatur.

Primò, quia licet teſtes examinati pro D. Eliſabetha dicant bona Maggiani eſſe valoris qui fuerat articulatus, non tamen habent aliquam rationem de pactis recomperæ, ac ceteris oneribus ſu-
73 per iſtis bonis exiſtentibus; quo † caſu valor nõ dr̃ plenè ac legitimè probatus, ſicut poſt alios congeſtos tradunt Lup. *in l.* 2. *C. de pact. inter empt. & vendit. §.* 5. *num.* 148. Maſcard. *concluſ.* 650. *num.* 7. *& cum ſeq. vol.* 1. De quibus oneribus in proceſſu optimè conſtitutum fuit ex teſtibus partis aduer-
74 ſæ, qui † teſtes contra partem producentem optimè probant. Alexan. *conſil.* 91. *num.* 3. *vol.* 7. Iaſ. *in rubr. de iureiuran. in* 6. *limit. num.* 9. Crauetta, *de antiquit. tempor. par.* 1. *num.* 13. *cum ſeq.* Magon. deciſ. Rotæ Luc. 30. *num.* 27.

Secundò, teſtes prædicti nihil concludenter probabant: quia cum iſtud laudum ob emologatio
75 nem valeat tamquam tranſactio, vt † reſcindi poſſit ob enormiſſimam læſionem, neceſſarium erat, quod D. Eliſabeth articularet, atque probaret læſionem, habito reſpectu ad dubium litis euentum, ſuper quo fuit tranſactum, quia læſio aliter probata reſcindere non valet inſtrumentum tranſactionis. Socin. *conſil.* 85. *num.* 3. *lib.* 1. Anton. a Gama, *deciſ.* 110. *num.* 15. Pinel. *in l.* 2. *C. de reſcind. vendit. par.* 1. *cap.* 4. *num.* 16. Roland. *conſil.* 28. *num.* 17. *vol.* 4. Decianus, *reſponſo* 56. *num.* 73. *volum.* 4. vbi dicit, quod aduocati ſint cauti in probanda læſione aduerſus tranſactionem, quod eam probent habito reſpectu ad dubium litis euẽtum: quia aliàs non obtinebunt. Honded. *conſil.* 34. *num.* 55. *vol.* 2. Menoch. *conſil.* 401. *num.* 156. *vol.* 5. *& conſil.* 1111. *num.* 77. *vol.* 12.

Tertiò, omnis amaritudo tollitur: quia etiam habita ratione valoris bonorum ſecundum æſtimationẽ factam, per teſtes examinatos non apparet de aliqua læſione.

Nec viſa ſunt obſtare ea, quæ eadem Do. Eliſabeth adducebat ad probandam aſſertam læſionẽ. Et primò non obſtabat quod de læſione appareret ex doloſa adminiſtratione Do. Margaritæ matris filiarum Spect. Maximi, tum, quia non poſuit in inuentario omnia ea quæ ponere debebat, tum etiam, quia alienauit aliqua bona d. Do. Eliſabeth. ſine ſollemnitatibus a ſtatuto requiſitis. Tollitur enim, ex quo quando aſſerta per d. D. Eliſab. in facto vera fuiſſent, ex hoc tñ nõ deducebatur aliqua læſio: quia ex prætenſa alienatione ſine ſollemnitatibus facta, non remanebat clarè & liquidè probatum in quanta ſumma d. D. Eliſabeth. læſa fuiſſet, & læſio in dubio nõ præſumitur, ſed qui illam allegat, debet concludentiſſimis probationibus
76 probare, aliàs enim iudex † in dubio ſemper pro validitate ſententiarum, atque contractuum debet iudicare, vt poſt multos tradit Cabal. *conſ.* 115. *num.* 5. *& ſeq.* Honded. *conſil.* 34. *num.* 37. *verſic. & hac, vol.* 2. Reſpondetur etiam, quod omne dãnum ſiue læſio remouetur, ex eo, quia ſi verum eſt in facto quod ea bona vendita fuerint ſine prædi-
77 ctis ſollemnitatibus dicta † venditio nulla erat, & poſſunt modò d. filiæ Spect. Maximi vendicare dicta bona vnà cum fructibus ex eis perceptis a die factæ alienationis vſque ad diem effectualis relaxationis eorumdem bonorum. Cornaz. *deciſ. Lucana* 99. *per totam.* Surdus *conſil.* 115. *a num.* 11. *vſque in finem, lib.* 1.

Nec etiam ſecundo loco obſtare putauimus, dum dicebatur pro parte Do. Eliſabethæ, quod ſuum damnum, ſeu læſio probabatur ex eo, quia D. Margarita ſua mater tranſiuit ad ſecunda vota per quem tranſitum amiſerat legatum eidem factum per Spect. Maximum eius virum de ſcu-

tis 511. & proinde ſtante amiſſione dicti legati, pe
tebatur quod hæredes Spect. Benedicti ſoluerent
intereſſe dictorum ſcutorum 511. ex quo Spect. Be
nedictus non aſtrinxit D. Margaritam ad ſolutio-
nem dictorum ſcutorum 511.

Primò enim reſpondetur, quod ſi Spect. Bene-
dictus fuit in aliqua negligentia ex quo non petijt
præfatas pecunias a Dom. Margarita de hac negli
gentia ſtante redditione rationum per Spect. Bene
dictum facta non poteramus amplius cognoſcere,
quia de ea iam fuerat cognitum coram Dominis
Arbitris.

Secundò reſpondetur quod cum legatum factū
Dom. Margaritæ non fuerat ſimplex legatum, ſed
78 eidem factum ob benemerita † illud non amiſerat
ob tranſitum ad ſecunda vota, Boerius *quæſt. 185.
num. 22.* Tiraquel. *in l. ſi vnquam, in verbo, donatio-
ne largitus, num. 15. C. de reuoc. donat.* latè Menoch.
conſil. 155. num. 6. & 8. lib. 2.

Tertio, aut enim intereſſe quod prætendit pars
aduerſa ſoluere deberent hæredes Spect. Benedi-
cti, ex quo Spect. Benedictus eorum pater vti tutor
præfatas pecunias ad honeſtum lucrum non poſue-
rit; aut verò alio modo quo de iure quis compelli
poſſit ad ſolutionem intereſſe. Quoad primum tu
tor tenetur reponere ad honeſtum lucrum eas pe-
cunias minorum, quæ venerunt ad ſuas manus.
Sed cum prædictæ pecuniæ ad eius manus non ve-
nerint, neque ipſi fuerint ſolutæ, ideo, &c. Quo ad
ſecundum, quia intereſſe eſt acceſſorium ſortis, &
ſi quis non eſt debitor ſortis, neque pariter eſt de-
bitor alicuius intereſſe, ſed ex actis non apparebat
quod Spect. Benedictus fuerit vnquam debitor ho
rum ſcutorum 511. ideo, &c. Et eo magis: quia
79 intereſſe † tam reſpectu lucri ceſſantis, quam dam
ni emergentis, numquam debetur ſine mora debi-
toris. Vnde ſumus in terminis omninò claris, quia
hic nedum non apparet de aliqua mora Sp. Benedi
cti, verum nec etiam quod fuerit vnquam debitor
ſortis principalis. ad tradita per Bal. *in l. 1. C. de vſu.
l. lecta, vbi Doctor. ff. ſi cert. petat.* Cephal. *conſil. 56.
nume. 50. lib. 1.* Gabr. *commun. opin. tit. de ſolutio.
concluſ. 10. num. 6.* Rimin. iun. *conſil. 52. nume. 54.
lib. 1. vbi de communi.* Couar. *var. reſolution. lib. 3.
cap. 4. verſic. deinde, num. 2.* Crauet. *conſil. 320. nu-
me. 2.* Tob. Non. *conſil. 82. nu. 6.* latiſſimè per Hon
ded. *conſil. 38. nu. 9. & 10. & conſil. 36. num. 29. &
30. vol. 2.*

Nec tertiò obſtabat, quod dictæ filiæ Spect. Ma
ximi condemnatæ fuerint ad ſoluendum intereſſe
ſcutorum 3100. ab anno 1593. vſque ad annum
1606. ob negligentiam Spect. Benedicti, ex quo
non probauit illum adminiſtraſſe bona dictarum
filiarum. In primis enim dicitur, de aſſerta negli-
gentia non eſſe cognoſcendum in preſenti iudicio,
ex cauſis ſupra deductis, & præcipuè ex clara ſta-
tuti diſpoſitione. Secundò reſpondebatur, quod
condemnatio intereſſe non fuit facta ob admini-
ſtrationem non probatam, ſed ex alijs cauſis ex a-
ctis, & proceſſu apparentibus, & præcipuè, quia
Dom. Margarita cum eſſet ad virum traducta, &
80 Spect. Nicolaus eius maritus ſuſtineret † onera ma
trimonij, debebat pariter conſequi interuſuria do
tis non ſolutæ, plenè Surdus *conſil. 290. nume. 31.*
81 *vol. 2.* Dos † enim dicitur proprium patrimonium
mulieris, ex quo ipſa viuere debet, *l. Pomponius Phi
ladelphus, ff. famil. erciſcun.* Crauet. *conſil. 39. nu. 4.*
Natta *conſil. 415. num. 9.* Berous *conſil. 40. num. 3.
lib. 1.* Roland. *de lucro dot. quæſt. 68. num. 4. & 5. &
conſil. 86. num. 38. lib. 2.* Tertiò reſpondetur, quod
Spect. Benedictus in ea lite habuit vnum procura-
torem, & duos aduocatos, & pro ſui parte fecit
omnia in defenſione harum filiarum, quæ diligens
paterfamilias in ſuis negotijs facere potuiſſet, quo
82 caſu † non dicitur conſtitutus in aliqua culpa, ſal-
tem lata, vel leui, ad tradita per Caſtrenſ. *in l. quod
Nerua, num. 5. ff. depoſ.* quem cum alijs refert & ſe-
quitur Menoch. *conſil. 118. num. 16. vol. 2.* & proin
de non tenetur, in aliquo, licet omiſerit probare
83 adminiſtrationem D. Margaritæ, quia † tutor te-
netur ſolum de lata, & leui culpa, non autem de
leuiſſima, plenè Decian. *Reſpon. 85. num. 40. vol. 5.*

Quarto non obſtat, quod dictæ filiæ Spect. Ma
ximi fuerint damnificatæ ex quo reddiderūt dotē
D. Margaritę earum matri, antequam ipſa redde-
ret rationem ſuæ adminiſtrationis.

Reſpondetur enim primò, quod ſi dos fuit Do.
Margaritæ reſtituta antequam ipſa redderet ratio
nem ſuæ adminiſtrationis, id venit culpa, & defe-
ctu Spect. Officij ſuper viduis, & pupillis, quod iu-
dicauit dotem prædictam Do. Margaritę eſſe ſol-
uendam, & damnum minori contingens, vltra quā
culpa tutoris, tutori non eſt imputandum. Decian.
d. Reſpon. 85. num. 2. lib. 4.

Secundo reſpondetur, quod licet D. Margarita
fuerit tutrix harum filiarum, non tamen conſtat
quod ea adminiſtrauerit bona minorum, ſed po-
tius quod ea adminiſtrauit Spect. Benedictus, pro-
ut præſupponit ſententia Dominorum de Rota,
dum condemnat Spect. Benedictum ad reddendā
rationem, quare cum non appareat quod D. Mar-
garita ſe ingeſſerit in adminiſtratione bonorum ha-
rum filiarum, non debebat pariter rationem red-
dere ſuæ adminiſtrationis, & ita iure meritò nulla
habita ratione huius tutelæ, fuit eidem dos liberè
84 reſtituta; quia regula iuris eſt, quòd † quando ſunt
plures tutores, illi qui non adminiſtrauerunt, habēt
beneficium ordinis aduerſus tutores adminiſtran-
tes, & conueniri non poſſunt, niſi in ſubſidium, ac
excuſſis prius tutoribus adminiſtrantibus, text. eſt
in l. tutor, §. in eum, ff. de admin. tutor. & tradunt cō-
muniter Doctor. *in l. 1. C. de tranſact.* Natta *conſil.
234. nume. 9.* Ludouic. *deciſ. Peruſ. 4. num. 5. par. 1.*
latiis. Surdus *conſil. 170. num. 13. lib. 2.* Cornaz. *de-
ciſ. 73. per totam.* & extat ſtatut. ad litteram *in cap.
56. verſ. ceterum, lib. 2.*

Nec obſtabat etiam quod prędictæ filiæ fuerint
damnificatæ ex quo prædia Maggiani fuerunt aſſi
gnata Vener. Do. Margaritæ pro minori pretio,
quam valerent.

Dicitur enim hanc non fuiſſe culpam Spect. Be
nedicti, ſed Spect. Officij aſſignantis prædicta bo-
na pro eo pretio, quo aſſignauit.

Secundò reſpondetur, quod commune & ve-
rum

85 rum pretium nō † probatur eſſe illud quod fuit de-
ſcriptum per tutores in inuentario facto de bonis
harum filiarum: quia licet inuentarium in præiu-
dicium tutoris probet bona deſcripta reliqua fuiſ-
ſe in bonis minorum, non tamen in præiudicium
tertij probat verum pretium bonorum eſſe illud
idem quod fuit in inuentario deſcriptum. ad tradi
ta per Maſcardum *Concluſ.938.num.9.* Et ita licet
præfata bona fuerint aſſignata D. Margaritæ pro
minori pretio de eo, quod æſtimata eſſent in inuen
tario, tamen ex hoc non ſequitur, quod paſſæ ſint
aliquod damnum; quia inuentarium prædictū non
oſtendebat verum pretium horum bonorum.

Non obſtabat etiam quod Spect. Benedictus ſi-
ue ſui hæredes reficere debeant damnum, ex quo
non fecit reddere computum hęredibus Spect. Ber
nardi de Viannis ſuæ adminiſtrationis.

Quia hoc multis modis tollebatur, & pręcipuè,
quia prædictæ petitioni obſtabat exceptio litis pē
dentiæ, ex quo ipſa petijt redditionem rationum
ab hæredibus d. Do. Bernardini, ſicut ipſa fateba-
86 tur in proceſſu, quo † caſu cum ageretur de eadē
re, & cauſa inter eaſdem perſonas, certi etiam iu-
ris eſt, quod obſtat præfata litis pendentiæ exce-
ptio. Lancel. *de attent. cap.4. limitat.2. num.82. &*
98. Borgnin. *deciſ.1.num.17. par.1.* Decian. *conſil.*
112.nu.1.vol.3. Surdus *conſil.139.nu.12.vol.1.*

Non obſtabat quod in prima inſtantia D. Eliſa-
beth contrariam ſententiam reportauerit; quia cū
87 ab ea ſententia fuerit appellatum, & de † pręſenti
pendeat appellatio, ſuſpenditur virtus primæ ſen-
tentiæ, & idem eſt ac ſi illa prima data non fuiſſet.
Lancell. *de Attent. cap.12. limit.27. nume.13.* Barz.
deciſ.20.num.25.

Nec etiam obſtabat, quod D. Eliſabeth conſe-
qui debeat ſuam partem mobilium, ſiue ſupellecti-
lium quæ remanſerunt in manibus Do. Lucretiæ
matris Spect. Maximi, & Philippi.

Primò reſpondetur, quod cum Spect. Benedi-
ctus reddiderit rationem ſuæ adminiſtrationis,
reddidit pariter rationem de iſtis mobilibus, ac ea
poſita fuere in calculo pecuniæ ſolutæ D. Eliſabe-
thæ, & ſuæ ſorori, ſi aliqua erant, quæ ad dictas fi-
lias pertinerent.

Secundò dicitur, quod ex iſta aſſerta non reſti-
tutione mobilium, impoſſibile eſt deſumere ali-
quam læſionem, tum, quia ignoratur eorum quan-
titas; tum, quia non eſt probatum cuius valoris eſ-
ſe poſſent prædicta mobilia de tempore dati lau-
88 di; ſicuti de iure neceſſarium eſt, † quando ob læ-
ſionem aliquis cōtractus reſcindi debet. Honded.
conſil. 31. num. 48. vol. 1. Barz. *deciſ. Bonon. 123.*
num. 10. Gabriel. *comm. opin. tit. de empt. & vendit.*
concluſ. 1. num. 47. Laderch. *conſil. 129. numero 1.*
Maſcard. *concluſ. 1396. num. 26. lib. 3.*

Super ſecunda autem petitione facta pro parte
D. Eliſabethæ quod hæredes Spect. Benedicti ite-
rum compelli deberent ad reddendam rationem
tutelę adminiſtratę per Spect. Benedictum eorum
patrem, diximus dictos hæredes fore, & eſſe a pe-
titis abſoluendos, prout eos abſoluimus, quia ex
laudo conſtabat, quod Spectab. Benedictus ſemel
reddiderat rationem tutelæ per eum adminiſtra-
89 tæ; & regula eſt non minus nota, quā vera, † quod
tutor, qui ſemel reddidit rationem ſuæ adminiſtra
tionis, non tenetur amplius illam iterato reddere.
l. ſemel, C. de apoch. public. lib. 10. Doctor. *in cap. 1.*
de cler. ægrot. lib. 6. l. quamuis, vbi Bart. *ff. de condit.*
& demonſtr, Socin. *conſil. 92. in princip. vol. 4.* Gra-
tian. *deciſ. Marchiæ 180. num. 17.* Natta, *conſ. 40.*
num. 1. cum ſeq. Menoch. *de arbitr. indic. caſu 219.*
lib. 2. centur. 3. num. 37. Decianus, *reſponſo 43. nu-*
mero 15. volum. 4.

Nec prædictæ iuris claræ concluſioni obſtābāt
nonnulla a parte deducta. Et primò, non duximus
obſtare quod dicebatur, de hac redditione ratio-
nis non conſtare, niſi ex aſſertione arbitrorum, qui
bus in hoc nulla danda ſit fides; Quia huic ob-
iecto ſupra fuit reſponſum; Vel etiam tollitur, ex
quo de hac redditione rationum non ſolum ex aſ-
ſertione arbitrorum conſtat, ſed etiam ex laudo
90 ipſo, quod † cum in iudicatum tranſiuerit, pro ve-
ritate habetur, & probationem indubitatam facit
l. ingenuum, ff. de ſtatu hom. l. res indicata, vbi Dec.
& Cagnol. *ff. de reg. iur.* Surdus, *conſil. 360. nu. 39.*
& 40. & in puncto Cephal. *conſil. 193. num. 12.*

Non obſtabat etiam quod d. ratio iterum reui-
deri deberet ob errorem calculi, ex quo Domini
arbitri non habuerunt rationem de ſexta parte do
mus poſitæ Lucæ ſpectante ad d. D. Eliſabetham,
& de fructibus ex ea perceptis, necnon de quibuſ-
dam expenſis gabellarum & contractuum ſolutis
per Spect. Maximum.

Quo enim ad domum Lucæ poſitam, dicitur,
quod aut pars prætēdit quod error calculi ſit: quia
domus eidem Do. Eliſabethæ non fuerit per arbi-
tros reſtituta; aut quia arbitri non habuerunt ra-
tionem de fructibus huius domus. Quo ad primū
dicitur, quod iure merito Domini arbitri præten-
ſam partem domus Dominę Eliſabethæ reſtitue-
re non fecerint, quia hoc non erat comprehenſum
ſub eorum iuriſdictione, debebant enim cognoſce
re ſuper bonis adiudicatis per Dominos de Rota,
d. D. Eliſabethæ: vnde cum inter bona adiudicata
per Dominos de Rota d. D. Eliſabethæ, & ſorori,
non eſſet comprehenſa præfata pars domus, iure
meritò de ea nullam potuere quoad fundum habe
re rationem: quia arbitri poteſtas a compromiſſo
dependet, prout ſupra dictum eſt. Quo verò ad
fructus & penſiones huius domus, non erat verum
quod arbitri de eis rationem non habuerint; quia
ex laudo arbitrorum contrarium apparebat. Vel
etiam reſpondetur, quod quando etiam in facto
probatum fuiſſet, arbitros nullam habuiſſe ratio-
nem de fructibus huius domus in calculo pecuniæ
per eos facto, non tamen fuiſſet id tacitum per er-
rorem, ſed quia ita iuſtitia ferebat; licet enim Spe
ctab. Philippus communis pater Spectabilium Ma
ximi, & Benedicti, prædictam domum acquiſiue-
rit, tamen eam conceſſit ſub titulo permutationis
& Degani operarijs operæ Sancti Thomei. Et li-
cet poſtea per Vicarium fuerit declaratum hunc
contractum cedere in damnum, & læſionem d. o-
peræ, & ipſam redire debere ad prima bona per-
mutata

mutata cum Spect. Philippo, tamen illa ſententia
Vicarij nunquam fuit exequuta, & proinde do-
minium huius domus non redijt ad hæredes Spe-
ctab. Philippi ſenioris, quia ex ſolo laudo dominiũ
non transfertur. Menoch. *conſil. 2. num. 146.* Et
iſtæ filiæ Spect. Maximi pro eorum quota median
te perſona patris hæredes Spect. Philippi non po-
terant petere aliquam partem fructuum huius do-
91 mus, quia † fructus ſequuntur dominium rei, & ad
eum ſpectant, qui eſt dominus fundi. Surdus, *deciſ.
211. num. 12. & 13.*

Quo verò ad expenſas gabellarum & contra-
ctuum, factas per Spect. Maximũ, non conſtitit no-
bis quod illæ non fuerint comprehenſæ in prædi-
cto calculo, immò potius de contrario apparebat
ex verbis generalibus laudi, ibi, [& molti altri con-
ti.] Vlterius, licet etiam talis error calculi adeſſet,
quia Spect. Benedictus mediante laudo fuit a red-
92 ditione rationis liberatus, † non poterant eius hæ-
redes ſub prætextu erroris conſtringi ad iterum
reddendam prædictam rationem; ſicuti in termi-
nis tradunt Corneus, *conſil. 62. num. 3. vol. 4.* Bor-
gnin. *de tutor. & curator. num. 204.* Honded. *con-
ſil. 34. num. 75. vol. 2.* Tiber. Decianus, *reſpon. 43.
num. 9. volum. 4.*

Super tertia verò petitione, Iudicauimus d. D.
Eliſabethę, videlicet dictos hęredes teneri & obli-
gatos eſſe ad ſoluendum eidem D. Eliſabethæ ſcu
tos 200. pro quinta parte vnius prędij poſiti in Cõ
muni Maggiani [loco detto alla fontana] vnà cum
fructibus ad rationem quinque pro centenario, ab
anno 1605. vſque ad effectualem exburſationem.
Moti, quia ex publico inſtrumento apparebat,
quod procuratores Spect. Benedicti vendiderant
duas partes de quinque, huius prædij, Spect. Ma-
ximo, & proinde Do. Eliſabeth vti vna ex filijs d.
Spect. Maximi ſuam quintam partem huius præ-
dij conſequi debebat, quæ per prædictum laudũ,
ac inſtrumenta Spect. Benedicto minimè aſſigna-
ta fuerunt; ſed quia ex facie eiuſdem contractus
apparebat, quod ad fauorem Spect. Benedicti, &
ſuorum hæredum erat reſeruata facultas ea redi-
mendi pro eodem pretio ſcutorum 200. pro quali
bet quinta parte, ideo condemnauimus dictos hæ
redes ad ſolutionem horum ſcutorum 200. non au
tem ad reſtitutionem prædij.

Nec prędictis obſtare putauimus, quod tempus
quindecim annorum conceſſum Spect. Benedicto
ad redimendum dicta bona, iamdiù eſſet elapſum.
Quia cum ex cõfeſſione partis facta in ſuis capitu-
93 lis, quæ † melior eſt qualibet alia probatione. Me-
noch. *conſil. 191. num. 61.* Surdus, *conſil. 54. num.
5.* Ludouic. *deciſ. Lucana 5. num. 44. cum ſeq.* Barz.
deciſ. 24. nu. 2. 3. & 4. remaneret legitimè probatũ,
quod dictum prædium eſſet communis pretij &
valoris ſcutorum 2000. & vltra, licet vẽditum fue
rit per procuratores Spectab. Benedicti pro pretio
94 ſcutorum mille, ſtante † hac deceptione in pretio,
pactum recompere fit perpetuum, nec extingui-
tur ob aliquem curſum temporis. Surdus, *deciſ.
34. num. 6.* Lepid. *deciſ. Lucana 60. verſic. namque.*

Secundò reſpondetur, quod cum tempus ad re-
dimendum præfixum non fuerit perfectè finitum
in vita Spect. Benedicti eorum patris, habuerunt
iuſtam cauſam eius filij, qui in eius locum ſucceſſe
runt, ignorandi hanc venditionem per eorum pa-
95 trem factam, † qua iuſta ignorantia ſtante, potue-
runt mediante beneficio reſtitutionis in integrũ,
hæc bona redimere, non obſtante quod finitum
eſſet tempus præfixum in pacto recomperæ. Teſ-
ſaur. *deciſ. 104. num. 4. vbi de communi.* Barz. *deciſ.
Bonon. 107. nu. 33.* Lup. *in l. 2. C. de pact. inter empt.
& vend. §. 3. num. 95.* Rota noſtra, vt per Magon.
deciſ. Lucenſi 77. num. 13.

Condemnauimus etiam dictos reos ad ſoluen-
dum fructus dictorum ſcutorum 200. quia cum Sp.
Benedictus habuerit pretium dictæ quintæ partis,
& inſuper fructus d. quintę partis, ab omni æqui-
tate alienum eſt, quod vtrũque retinere poſſit, ad
text. *in l. curabit, de act. empt.* Quos taxauimus ad ra
tionem quinque pro centenario, iuxta tradita per
Honded. *conſil. 30. num. 20. lib. 1.*

Super quarta petitione ſextæ partis domus Lu-
cæ poſitæ, reſeruauimus iura talia qualia d. D. Eli-
ſabethæ competebant, decidenda in alio iudicio,
& cauſa huius noſtræ ſententiæ fuit: quia in reſcri
pto non erat comprehenſa huiuſcemodi petitio,
& propterea nihil certi ſuper ea petitione firmare
potuimus; ſed ſolum reſeruare iura partibus in a-
96 lio iudicio (prout fecimus.) Quia † iuriſdictio dele
gati dependet in totum a reſcripto delegationis;
*cap. 1. de offic. ac poteſt. iudic. deleg. cum alijs ſupra ad-
97 ductis.* Et † verba reſcripti ſunt ſtricti iuris & ſtri-
ctiſſimè interpretantur. Afflict. *deciſ. 366. num. 4.*
Gratian. *deciſ. 44. num. 2.* Becius *conſil. 21. num. 14.*
Natta *conſil. 237. nu. 5.* vbi quod reſcripta ſunt ma
98 gis ſtrictè intelligenda quam ſtatuta, & † geſta a
delegato præter, vel contra formam reſcripti, ſunt
ipſo iure nulla. Vant. *de nullit. ex defect. iuriſd. iud.
delegati num. 9.* Gratian. *deciſ. Marchiæ 44. num. 1.*
Felin. *in c. cum dilecta, num. 6. verſic. geſta contra for-
mam, extra, de reſcript.* Marant. *de ord. iudic. par. 4.
diſt. 16. num. 49.* Berous *conſil. 183. num. 19. lib. 3.*

Nec prædictis aliquam difficultatem facere poſ
ſe credidimus eam Clauſulam reſcripti, Cum om-
nibus ſuis incidentibus, & dependẽtibus, &c. quia
cum prætenſiones comprehẽſæ in reſcripto eſſent
iſtæ, videlicet quod laudum nullum declararetur,
& Spect. Benedictus de nouo cogeretur reddere ra
tionem, & quod idem Spect. Benedictus D. Eliſa-
bethæ reſtitueret tertiam partem prædij, in loco
99 vocato [alle fontane.] Petitio † ſextæ partis di-
ctæ domus non depẽdet ab aliqua de petitionibus
ſupra enumeratis, ſed eſt vna de per ſe, ac diuerſa;
quo caſu non comprehenditur ſub Clauſula prædi
cta. Bellamera *deciſ. 328. de reſcript. num. 1. & 2.* Me-
noch. *de arbitr. iud. quæſt. 45. num. 6.*

Quibus ſtantibus, nihil diximus circa exhibitio-
nem librorum petitam pro parte d. Dom. Eliſabe-
thę, quoniam cum cenſuerimus fuiſſe redditam ra-
100 tionem, ex † hoc ceſſat d. prętenſio, & libri prę-
ſumuntur reſtituti, vt ad litteram dicit text. *in l. 1. §.
ex officio, ff. de tut. & ration. diſtrahen.* ibi, [volumina
pręſertim in hęrede, & cum beneficio inuẽtarij,] (vt

in caſu

in caſu noſtro.) Accedat, quia notificatio minoris ſupponit reſtitutionem librorum, *d.l.1.§.ex officio, l.ſi cui libertas,ff.de condit.& demonſtr.l.ſi ita,§.quæſtio hæc,ff.de manumiſſ.teſtam.* ibi, [in reliquis accipere debemus vt ipſa rationum volumina reddantur.] Roman. *conſil.413.num.3.*Soc.*conſ.190.nume.4.col.3.verſic.quarto oſtenditur,lib.2.*

ARGVMENTVM.

Filiæ feminæ an faciant deficere conditionem, ſi ſine filijs, ad excluſionem ſubſtituti latiſſimè tractatur, & multa ad materiam huius difficiliſſimæ quæſtionis.

SVMMARIVM.

1 *Filiorum appellatione in vltimis voluntatibus feminæ comprehenduntur.*

2 *Filiæ feminæ faciunt deficere conditionem, ſi ſine filijs, & excludunt ſubſtitutum.*

3 *Filiæ feminæ veniunt appellatione filiorum, & ad excluſionem ſubſtituti etiam ſi adſint in contrariũ coniecturæ, vel adſit ſtatutum excluſiuum feminarum. Contrarium num. 23.*

4 *Filiæ feminæ non continentur ſub appellatione filiorum, quando ſubſtitutus eſt aliquis de deſcendentibus teſtatoris, ſecùs ſi tranſuerſalis, vel extraneus, quia tunc comprehendnntur ſub appellatione filiorum, & ſubſtitutum excludunt.*

5 *Teſtator præſumitur ſe voluiſſe conformare cum ſtatuti diſpoſitione.*

6 *Filiorum appellatione, an filiæ feminæ contineantur, in totum pendet à coniecturata voluntate teſtatoris.*

7 *Filij maſculi quando in inſtitutione fuerunt vocati, ita etiam in ſubſtitutione ſub conditione, ſi ſine filijs, præſumitur teſtatorem intellexiſſe pariter de maſculis.*

8 *Teſtamenti vna pars aliam declarat.*

9 *Inſtitutus magis dilectus præſumitur à teſtatore quàm ſubſtitutus.*

10 *Maſculinitatis qualitas in vna parte teſtamenti appoſita, in alia cenſetur repetita.*

11 *Filiorum appellatione feminæ non continentur, quando teſtator voluit bona in agnatione conſeruari.*

12 *Teſtator excludendo filias proprias dotatas, cenſetur velle bona ſua in agnatione, & familia conſeruari, etiam ſi nullam faciat agnationis mentionem.*

13 *Teſtator præſumitur velle bona in agnatione conſeruari, quando progreditur ad plures gradus ſubſtitutionum.*

14 *Filiæ feminæ non conſeruant bona in agnatione, ex quo per ipſarum nuptias transferunt bona in extraneas familias.*

15 *Filiorum appellatione neptes teſtatoris non continentur, quando teſtator proprias filias excluſit eis dote aſſignata, & ſic ſubſtitutum non excludunt.*

16 *Teſtator præſumitur plus diligere filios quam nepotes.*

17 *Filij nati plus præſumuntur dilecti a teſtatore, quã naſcituri, quia ad non natos non cadit affectio.*

18 *Filiorum appellatione feminæ non continentur, quando teſtator ſi fuiſſet interrogatus veriſimiliter diſpoſuiſſet non contineri velle.*

19 *Veriſimile quod non eſt, non eſt pariter credendum, nec dicendum: quia quod eſt remotum a veriſimilitudine, habet falſitatis imaginem.*

20 *Diſpoſitiones defunctorum debent intelligi ſecundum veriſimilitudinem, & ne eorum menti repugnent.*

21 *Teſtator præſumitur velle id ſuum hæredem facere, quod ipſe in vita eſſet facturus.*

22 *Stante ſtatuto excluſiuo feminarum, filiorum appellatione feminæ non continentur.*

23 *Filiorum appellatione non continentur feminæ ſtante excluſione teſtatoris propriarum filiarum item ſtatuti diſpoſitione, & coniecturis; ex magis communi opinione.*

24 *Filiorum appellatione de iure non veniunt feminæ, quando conſtat de contraria voluntate teſtatoris.*

25 *Filiorum appellatione feminæ non continentur ad excluſionem ſubſtituti, quando ipſe ſubſtitutus eſt agnatus teſtatoris, licet non ſit de deſcendentibus. & num. 30.*

26 *Proximitas teſtatoris non autem hæredis grauati in fideicommiſſis inſpici debet.*

27 *Statutum ſufficit excludere feminas a ſucceſſione grauantis, ad hoc vt filiorum appellatione feminæ non contineantur.*

28 *Deciſio Rotæ Romanæ 790. par. 1. in nouiſſimis, declaratur.*

29 *Statutum quod excludit filias, & nepotes in genere à ſucceſſione quando exſtant filij, nepotes, fratres, vel filij fratrum maſculi, ſufficit vt in conditione ſi ſine filijs feminæ non comprehendantur, ad excluſionem ſubſtituti.*

31 *Teſtator vt credatur voluiſſe bona in agnatione conſeruari, requiritur quod induxerit fideicommiſſum perpetuum.*

32 *Contrarium quod immò ſufficiat excluſio propriarum filiarum, & inſtitutio maſculorum, magis communiter eſt receptum.*

33 *Conſeruare voluiſſe teſtatorem ſuam agnationem ex progreſſu ad plures gradus ſubſtitutionum clariſſimè colligitur.*

34 *Teſtator vt cenſeatur voluiſſe conſeruare agnationem, non requiritur quod induxerit perpetuum fideicommiſſum, ſed ſolum ſufficit quod habuerit intentionem agnationem conſeruandi inter perſonas nominatas.*

35 *Agnationis ratio etiam ſi non ſit expreſſa, præſumitur, & ſufficit colligi ex coniecturis.*

36 *Fideicommiſſum perpetuum & abſolutum cenſeri inductum ex ſola coniectura conſeruandi agnationem ex mente multorum.*

37 *Fideicommiſſum ex coniecturis inducitur, atque probatur.*

38 *Fideicommiſſum inductum gratia conſeruandi bona in agnatione, fauorabile reputatur.*

DECISIO XCVII.

MAgnificus Dominus Paulus Penſa,
in ſuo vltimo teſtamento inſtituit
hæredes ſuos Ioannem, & Bernar
dinum eius filios, legitimos, & na
turales, æqualiter, & æquis por-
tionibus, eosque inuicem ſubſti-
tuit vulgariter, pupillariter, & per fideicōmiſſum,
ſi ſine filijs, &c. Et adueniente caſu quod ambo
decederent ſine filijs, vltimo ſic decedenti ſubſti-
tuit Dominum Ludouicum, ſeu Do. Bernardum
eiuſdem Domini Ludouici filium, eosque, & quē-
libet eorum grauauit ad effectualiter dandum &
ſoluendum eius filiabus, ſeu earum filijs, ſcutos du
centum pro qualibet ipſarum, & hoc vltra dotes
ſcutorum 500. eiſdem in eodem teſtamento prius
relictas. Vnde cum deceſſerit Bernardinus ſine fi
lijs aliquibus, Ioannes autem cum duabus filiabus
feminis, dicebatur pro parte dictarum filiarū, non
eueniſſe caſum fideicommiſſi ad fauorem ſubſtitu-
ti, ſed eas eſſe admittendas ad ſucceſſionem eorū
patris ab inteſtato defuncti, ex infraſcriptis.
1 Primò, quia in iure eſt veriſſimum, quod † in vl-
timis voluntatibus ſub nomine filiorum compre-
hendantur etiam filiæ feminæ. Bart. *in l. Plautius,
ff. de auro & argento legato*. Iaſ. *in l. ſi quis id quod,
ff. de iuriſdict. omn. iudic.* Tiraquel. *de retractu lignag.
§. 1. gloſ. 9. num. 219.* Peregrin. qui multos allegat
in tract. de fideicommiſ. ar. 25. num. 3. & 23. vbi habe
tur, quod hæc eſt communis opinio.
2 Pro hac autem parte quod † filiæ feminæ exclu
dant ſubſtitutum ſub conditione, ſi ſine filijs, ex
profeſſo conſuluerunt, Cephal. *conſil. 45. & 46. per
totum, lib. 1. & conſil. 484. lib. 4.* Gabr. *conſil. 97.
lib. 1.* Decian. *Reſponſo 1. per totum, lib. 2.* Burſat.
conſil. 64. & conſil. 86. in primo libro, cum alijs addu
ctis per Illuſtriſs. Card. Manticam *in tract. de conie
ctur. vlt. volunt. lib. 11. tit. 14. à num. 1. vſque ad num.
11.* Bertazol. *conſil. ciuil. 96. num. 12. & ſeq. & nu-
me. 14.* ſubdens ita fuiſſe iudicatum, & omiſſo etiā
caſu ſtatuti, in Senatu quoque Pedemont. ita fuiſ-
ſe deciſum teſtatur Teſſaur. *deciſ. 188. nu. 9.* Rota
Rom. *deciſ. 790. par. 1. in nouiſſ.*
3 Et quod idem ſit dicendum quamuis adſit † ſta-
tutum excluſiuum feminarum propter exiſtentiā
maſculorum, & quāuis vigeant coniecturæ in con
trarium, in ſpecie tenuerunt Roman. *conſil. 148. nu
me. 2.* Corn. *conſil. 83. lib. 1.* Socin. ſen. *conſil. 182. vo
lum. 1.* Alciat. *de præſumpt. reg. 3. præſumpt. 32. nu. 4.*
Soc. iun. *conſil. 158. num. 47. vol. 2.* Marzar. *in epito-
me de fideicom. quæſt. 21.* Decian. *Reſponſo 1. nu. 158.
lib. 2.* Cephal. *conſil. 409.* Marta *Voto 71. nu. 14.*
Secundò iſta quæſtio videtur fœdere diſtinctio-
nis ita conciliari; nempè, quia aut ſumus in deſcen
4 dentibus teſtatoris, & † hoc caſu ſub nomine filio-
rum non veniant feminæ, ſed ſubſtitutus deſcen-
dēs ipſius teſtatoris excludit feminas. Aut ſumus
in tranſuerſalibus, & ſic in hærede extraneo, &
tunc talis ſubſtitutus excluditur a feminis, & ſic
ſub nomine filiorum veniunt feminæ ita Caſtrenſ.
conſil. 409. lib. 1. quam vti æquiſſimam ſequitur
Pariſ. *conſil. 48. num. 9. vol. 2.* Cephal. *conſil. 484.
num. 4. & conſil. 306. num. 44.* Menoch. *conſil. 95.
num. 98. lib. 1.* latè Burſat. *conſ. 157. num. 48. cum
ſeq. lib. 2.* Tob. Non. *conſil. 36. nu. 13.* Craſſ. *§. fidei-
commiſſum, quæſt. 35. nu. 4. & 5.* Vnde cum in iſto
caſu ſimus in ſubſtituto, qui non eſt de deſcenden-
tibus, ſed ex linea tranſuerſali, videtur per prædi-
ctam diſtinctionem reſoluendum ad fauorem fi-
liarum, excluſo ſubſtituto.
Tertiò, quia per ſtatutum ſub rubrica de ſuc-
ceſſio. ab inteſtato, videtur iſte caſus determina-
tus, vbi habetur, quod ſi deſcendenti non reman-
ſerit frater aliquis vel filij fratris maſculi, tunc ſuc-
cedant filię feminæ. Vnde, cum D. Ioannes deceſ-
ſerit abſque fratribus, & filijs maſculis fratrum, vi
dentur ad eius hæreditatem vocatæ ipſæ filiæ fe-
5 minæ. Cum † quo ſtatuto eſt præſumendum teſta-
torem voluiſſe ſe conformare. Marzar. *conſil. 8.*
Gabriel. *conſil. 97. lib. 1.* Doctor. communiter *in
l. hæredes mei, §. cum ita, ff. ad Trebell.* Alba Man-
del. *conſil. 19. num. 10.* Socin. iun. *conſil. 65. nume.
61. lib. 4.* Gabriel. *Commun. opin. tit. de ſubſtit. con-
cluſ. 2. num. 11.*
Prædictis tamen non obſtantibus, fuit per me
votatum ad fauorem ſubſtituti, excluſis neptibus
ex multis rationibus, & coniecturis, ex quibus de-
prehendebatur in hoc caſu teſtatorem prætuliſſe
6 maſculos feminis; cum † tota hęc materia pendeat
a coniecturata voluntate teſtatoris, vt ex multis di
cit Menoch. *tract. de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 81.
in princip.* Peregrin. *de fideicom. artic. 25.* & pro-
pterea potius mens ipſius teſtatoris eſt attenden-
da, quæ in conditionibus primum locum obtinet,
l. in conditionibus, ff. de condit. & demonſtrat. quam
legis diſpoſitio; probabatur autem hoc
7 Primò, quia cum teſtator in inſtitutione † voca-
uerit filios maſculos tantum, & per propria nomi-
na; ita quoque in ſubſtitutione credendum eſt ſub
illis verbis ſi ſine filijs, intellexiſſe de maſculis, nō
autem de feminis, Bart. *in l. finali, ff. ad Trebellian.*
Dec. *conſil. 304.* Roland. *conſil. 82. num. 33. lib. 3.*
Menoch. *conſil 95. num. 89. & conſil. 150. numero
45.* Craſſus *§. fideicommiſſum, quæſt. 12. nume. 2.*
Ruin. *conſil. 158. num. 9. verſic. quia ſecundum, lib.
2.* Cephalus *conſil. 306. num. 83.* Ludou. Molina
de primogen. Hiſpan. lib. 3. cap. 5. num. 59. Oddus
tract. de compendioſa, artic. 4. num. 5. Trentacinq.
de ſubſtitut. capit. 7. num. 11. Peregrin. *de fideicom.
artic. 25. num. 28.* Surdus *conſil. 568. num. 7.* Veg-
gius *conſil. 65. num. 30.* latiſſimè Ioſeph. Ruſticus
in Comment. *ad l. cum auus, ff. de condit. & demon-
8 ſtrat. lib. 3. capit. 10. nume. 150.* † Vna enim pars
teſtamenti aliam declarat, *l. qui filiabus*, vbi Iaſ.
ff. de leg. 1. & conditio appoſita in inſtitutione cen
ſetur repetita in ſubſtitutione, a qua interpretatio
nem recipit, *l. cohæredi, l. ſi plures, ff. de vulg. & pu-
pill.* Alexan. *conſil. 24. num. 5. in fine, lib. 3.* Ne plus
9 iuris cenſeatur tranſlatum in ſubſtitutum, † quem
cenſendum eſt teſtatorem minus dilexiſſe quam
in primum inſtitutum magis dilectum, Oldradus
conſil. 41. Crotus *conſil. 21. num. 19.* & qualitas ma-
ſculini-

10 ſculinitatis † in vna parte teſtamenti appoſita, in alia cenſetur repetita, Bartol. *in l. finali, nume.* 2. *verſic. nam cum maſculos, ff. ad Trebell.* Guido Pap. *conſil.* 87. *num.* 1. Iacob. Mandel. *conſ.* 14. *num.* 12.

11 Secundò, quia conſtat † mentem teſtatoris per talem diſpoſitionem fuiſſe conſeruare bona in eius agnatione & familia, quo caſu, in conditione ſi ſine filijs, non veniunt filiæ feminæ. Iaſon *conſ.* 141. *col.* 6. *verſic. tertio pro eadem parte.* Mandel. *conſil.* 19. *num.* 12. Ruinus *conſil.* 139. *num.* 17. *lib.* 3. Menoch. *conſil.* 95. *num.* 53. & *conſil.* 150. *num.* 47. *lib.* 2. & latè *in tractatu de præſumpt. lib.* 4. *præſumpt.* 81. *num.* 8. Peregrin. *de fideicomm. artic.* 25. *nume.* 47. Surdus *conſil.* 433. *num.* 21. *lib.* 3. Ioſeph Ruſticus *in comment. ad l. cum auus, lib.* 3. *capit.* 10. *numero* 162.

Quod autem per præſentem diſpoſitionem voluerit teſtator bona conſeruare in eius familia &
12 agnatione, colligebatur Primò, ex quo † filios maſculos hæredes inſtituit, feminaſque dotatas excluſit, quod ideo factum cenſetur, (immò hac ſola ratione, vt per Menoch. *conſil.* 95. *num.* 60.) vt bona in agnatione conſeruentur, etiam ſi nulla agnationis facta ſit mentio, vt in terminis tradunt Alexand. *conſil.* 52. *num.* 4. *lib.* 4. Crauetta, *conſil.* 306. *nume.* 3. latè Menoch. *conſil.* 95. *nume.* 205. Rub. *conſil.* 28. *nume.* 8. & *conſil.* 120. *nume.* 9. Mandel. *conſ.* 19. *num.* 11. Marzar. *conſil.* 5. *num.* 29. Tob. Non. *conſil.* 33. *num.* 9. & 10. Menoch. *conſil.* 310. *num.* 24. *lib.* 4. Ludou. Molina, *de primogenit. Hiſpan. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 29. Ioſeph Ruſticus *in comment. ad l. cum auus, lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 14. & 19.

Secundò, quia progreſſus fuit ad plures gradus ſubſtitutionum, vocauit enim primo eius filios maſculos, & eos inuicem ſubſtituit, ſi ſine filijs, &c. Secundò, ſubſtituit D. Ludouicum eius fratrem, & Do. Bernardum, ex dicto fratre nepotem caſu
13 quo non exſtaret d. Do. Ludouicus; ex quo † progreſſu ad varios gradus ſubſtitutionum, colligitur enixa teſtatoris voluntas, quod bona in agnatione conſeruari voluerit, vt in ſpecie tradiderunt Crauetta, *conſil.* 98. *num.* 3. Marzar. *conſil.* 4. *num.* 33. Gabriel. *conſil.* 117. *num.* 21. *lib.* 1. Iacob. Mandel. *conſil.* 19. *num.* 12. Tobias Non. *conſil.* 33. *num.* 9. & 10. Menoch. *conſil.* 95. *num.* 53. & *conſil.* 50. *nume.* 47. & latè *in tract. de præſumpt. lib.* 4. *præſumpt.* 81. *num.* 8. Peregrinus *de fideicomm. artic.* 25. *num.* 47. Veggius *conſil.* 65. *num.* 81. & 82. Surd. *conſil.* 564. *num.* 9. *lib.* 4. Ruſticus *ad l. cum auus, lib.* 4. *ca-*
14 *pit.* 2. *num.* 37. Clarum eſt enim † per feminas bona non conſeruari in familia, ſed potius extra familia per earum nuptias transferri, cum efficiantur de familia viri. Ruinus *conſil.* 146. *num.* 4. *libro* 2. Socin. iun. *conſil.* 1. *num.* 44. *lib.* 1. Pariſ. *conſil.* 22. *num.* 41. & *conſil.* 40. *num.* 43. *lib.* 2. Menoch. *conſil.* 150. *num.* 33. & *ſequenti lib.* 2.

Tertium ſolidiſſimum, ac irreparabile pro hac opinione fundamentum eſt, quia teſtator in eius teſtamento proprias filias excluſit, aſſignando eis congruam dotem, mandanſque tacitas, atque contentas eas eſſe debere, & voluit ſibi ſuccedere eius fratrem, ſiue eius filium, quo fit, vt quemadmo-
15 dum † filias proprias voluit excludi a ſubſtituto, ita quoque eſt dicendum voluiſſe excludi neptes ex filio, ne ipſe neptes minus dilectæ, eſſent melioris conditionis, quam filiæ magis dilectæ, contra text. *in l. Publius, §. fin. C. de condit. & demonſtrat.* ex qua ratione indubitatè concludunt Doctores, ſubſtitutum excluſis neptibus admitti, prout in terminis ſtatuti Mirandulani, & in caſu ſimili conſuluit Ruinus *conſil.* 158. *num.* 10. *verſic. confirmatur, vol.* 2. Mandel. *conſil.* 19. *num.* 9. Gozadin. *conſil.* 89. *num.* 6. Dec. *conſil.* 15. *num.* 5. Menoch. *conſil.* 150. *num.* 26. *in fine, & conſil.* 95. *num.* 30. Cephal. *conſil.* 306. *num.* 61. Tob. Non. *conſil.* 36. *numero* 9. Illuſtriſs. Mantica *de coniect. vltim. volunt. lib.* 11. *tit.* 14. *num.* 14. Nulla enim ratio neque ci-
16 uilis neque naturalis admittit, † vt neptes magis dilectæ cenſeantur, & propterea quod præferantur in ſucceſſionibus ipſis filiabus ex corpore teſtatoris natis, *l. ſiue a matre, §. in neptibus, C. de bon. matern.* & ita ait Caſtren. *conſil.* 79. *Iſte caſus frequenter contingit.* cuius dictum refert Socin. ſen. *in l. cum auus, num.* 80. *in fine, verſic. ſecundo quia, ff. de condit. & demonſtrat.* Cadit enim ſemper maior affectio in filios quam in nepotes, Rub. *conſil.* 37. *col. finali.* Simon de Pret. *tract. de interpret. vlt. volunt. lib.* 1. *interpret.* 2. *dubitat.* 2. *ſolut.* 5. *nume.* 15. *fol.* 62.

Præterea cum iſte neptes tempore teſtamenti nondum eſſent in rerum natura, eſſet ridiculũ cre-
17 dere quod eas magis teſtator dilexerit † quam filias iam natas, & educatas cum ad non natos non cadat affectio, & magis cenſentur dilecti nati, quã naſcituri, qui ſunt incogniti, Alexan. *conſ.* 37. *col. fin. lib.* 3. Crauetta, *conſil.* 173. *num.* 12. Simon de Pret. *de interpret. vltim. volunt. eodem loco, numero* 14. *folio* 62.

Quartò, quid veriſimilius & magis conſonum menti teſtatoris excogitari poteſt, quam ſi eueniſſet caſus iſte, quod neptes ex filio exſtarẽt, & ſubſtitutus, & teſtator fuiſſet interrogatus quoſnam eorum vellet ſuccedere, certè nihil aliud dici poſ-
18 ſet, niſi quod † eo modo quo voluit diſponere de eius filiabus, ita quoque voluiſſet de neptib. quas mandaſſet dotari, eiſque prouideri eodem modo quo prouidit proprijs filiabus, vt põderat pulchrè Cephal. *conſil.* 306. *num.* 65. vbi dicit ſe aliter ne-
19 ſcire dicere. Et quod eſt † remotum a veriſimilitudine, non eſt credibile, neque dicendum, & habet falſitatis imaginem, *l. ſi ita quis, in fine,* ibi, [quod vtique nullus ſanus probabit.] *ff. de euiction.* Alex. *conſil.* 27. *lib.* 2. Crauetta, *conſil.* 550. *num.* 11. &
20 *conſil.* 825. *nu.* 4. & *conſil.* 654. *num.* 3. Et † defunctorum diſpoſitiones debent intelligi ſecundum veriſimilitudinem, & vt non repugnent mentib. eorum, *l. nam abſurdum, ff. de bon. libert. l. ſi patronus, §. ex teſtamento, ff. eod. arg. l. Saluius Ariſto, ff. de leg. præſtand.* Ancharan. *conſil.* 74. *num.* 2. Curt. ſen. *conſil.* 51. *num.* 2. *in fine.* Iaſ. *in l. exiſtimo, num.* 3. *ff. de verbor. obligat.* Euerard. *in ſua Centuria legali, in loco ab abſurdo.* Socin. iun. *in l. hæredes mei, §. cum ita, num.* 35. *ff. ad Trebellian.* Bald. *conſ.* 84. *lib.* 1. Crauet. *conſ.* 831. & *conſ.* 970. *nu.* 10. & 974. *num.* 12.

num. 12. verſic. omiſſum caſum. Et ſuccedit regula,
21 quod † teſtator creditur velle quod poſt mortem
ſuam id ſuus hæres faciat, quod ipſe eſſet facturus
ſi viueret, l. cum ſeruus, §. nam & ſi viuus, ff. de con-
dit. & demonſtr. Caſtren. conſil. 80. in primo dubio,
lib. 1. & eſt text. in l. item legato, §. 1. ibi, [aſſigna-
turus ſi vixiſſet.] ff. de leg. 3. Surdus deciſ. 62. num.
12. Simon de Prec. de interpret. vltim. volun. lib. 1.
interpret. 1. dubit. 3. ſolut. 5. num. 50.
Quinto, cum habeamus ſtatutum, per quod ſe-
xus femininus in totũ excluditur per exiſtentiam
maſculorum, vt in rubr. de ſucceſſ. ab inteſt. & ſem-
per anteponit fratres, & filios fratrum proprijs fi-
liabus, & neptibus, idem quoque dicendum eſt te-
ſtatorem voluiſſe conformare eius diſpoſitionem
cum ſtatuto, quod ſcilicet eius frater, vel filius fra-
tris, ſuccederet excluſis neptibus, ſi talis caſus eo
22 mortuo vnquam eueniſſet, cum † præſumptio de
iure ſit, quod teſtator prȩſumitur ſuam diſpoſitio-
nem cum iure ſtatutario conformare, & ita in ter-
minis tradunt Bartol. in l. hæredes mei, §. cum ita,
num. 4. ff. ad Trebell. & ibi Ripa num. 75. Dec. con-
ſil. 153. num. 1. Ruin. conſil. 30. num. 14. Afflict. de-
ciſ. 44. num. 20. Berous conſil. 112. nume. 13. & ſeq.
lib. 2. Iacob. Mandel. conſil. 19. num. 10. Oddus con-
ſil. 6. num. 23. Trentacinquius de ſubſtit. par. 4. cap.
7. num. 12. Menoch. conſil. 95. num. 60. & tract. de
præſumpt. lib. 4. præſumpt. 81. num. 9. Craſſus §. fi-
deicommiſſum, quæſt. 12. num. 3. Peregrin. de fidei-
comm. artic. 25. num. 38.
Sextò, ex numero Doctorum, qui hanc ſenten-
23 tiam tenuerunt † apparet eſſe magis communem,
& in iudicando ſequendam ad fauorem ſubſtituti.
Hanc enim tenuerũt ſexagintaſex Doctores, quos
enumerat Menoch. nempè, quinquaginta tres ci-
tat in conſil. 95. num. 90. & 91. & in conſil. 304. nu-
me. 46. & in tract. de præſumpt. lib. 4. prȩſumpt. 85.
num. 8. Alios tredecim allegat in conſil. 150. nume.
54. Et vltra iſtos a Menochio allegatos, atque enu
meratos, eamdem ſententiam tenuerunt Berous,
qui articulo diſcuſſo ad fauorem ſubſtituti reſol-
uit in conſil. 112. lib. 2. Iacob. Mandel. conſil. 19.
per totum. Crot. conſil. 1. Rota Romana, vt habe-
tur in deciſionibus Ptolomæi, numero 46. Parmenſis
bonorum de Cambarinis. & eadem Rota Romana,
deciſ. 726. par. 1. diuerſor. Surdus deciſ. Mant. Se-
nat. 66. num. 7. & conſil. 564. num. 5. lib. 4. Teſſau-
rus deciſ. 188. & ita etiam fuiſſe deciſum teſtatur
Viuius deciſ. 414. par. 3. Peregrin. de fideicom. art.
25. num. 22. & nouiſſimè ac accuratè cumulando
plures alios Ioſeph Ruſtic. in comment. ad l. cum a-
uus, ff. de condit. & demonſtrat. lib. 3. cap. 10. nume.
118. 119. & 125. verſic. vnde ab hac opinione. vbi
dicit, ab ea non eſſe recedendum in iudicando &
conſulendo, & num. 126. refert Romæ fuiſſe iudi-
catum contra Gabriel. & alios contrarium te-
nentes.
Nec obſtare viſa ſunt ea, quæ in contrarium ſu-
perius fuerũt deducta, & Primò, quod de iure ſub
nomine filiorum comprehendantur etiam femi-
24 næ. Quia † prædicta habent locum, quando non
conſtat aliquo modo de contraria voluntate teſta-
toris, prout eſt text. ad litteram, in l. 1. C. de con-
dit. inſert. ſecùs eſt, quando ex coniecturis proba-
biliter conſtare poteſt, quod aliter teſtator ſenſe-
rit, cum tota illa materia pendeat & reguletur ſe-
cundum præſumptam voluntatem teſtatoris, ſe-
cundum quam modo de maſculis, & feminis, mo-
do de maſculis tantum, cenſetur intellexiſſe, vt
ex multis dicit Menoch. tract. de præſumpt. lib. 4.
præſumpt. 84. in princip. Peregrin. de fideicom. ar-
tic. 25. in princip.
At cum ex ſupradictis appareat, per præſum-
ptiones, & coniecturas legitimas, & validiſſimas,
quod teſtator in caſu iſto intellexerit tantum de
maſculis, non autem de feminis, non eſt opus at-
tendere quod de iure communi ſit determinatũ.
Secundum fundamentum in contrarium addu-
ctum ſimiliter non obſtat, quia illa diſtinctio, quod
25 quando † ſumus in deſcendentibus teſtatoris, ve-
niant excluſæ neptes; ſi verò in tranſuerſalibus, nõ
excludantur, eſt intelligenda in extraneo, & qui
non eſt de agnatione, vel de familia, ſed quando
tranſuerſales ſunt de eadem familia, & agnatione,
per eos excluduntur neptes. Et ſi collaterales ſunt
de familia, excludant neptes, ſi verò ſunt de alia fa
milia, non excludant neptes, recepta & magis cõ-
munis eſt quam altera diſtinctio ita ſimpliciter in-
tellecta, prout tenuerunt Arius Pinel. in l. ſi viua
matre, nu. 25. C. de bon. mater. & ita intelligit Craſſ.
in §. fideicommiſſum, quæſt. 35. Menoch. conſil. 95.
nu. 92. cum alijs multis allegatis. Surd. conſil. 564.
num. 5. verſic. & aduertendum, vol. 4. Odd. de com-
pendioſa, parte 6. artic. 4. num. 9. Ioſeph Ruſtic. in
commentar. ad l. cum auus, lib. 3. cap. 10. nume. 141.
& ratio eſt: quia cum hoc ſit inductum vt bona in
agnatione conſeruentur, ita conſeruari clarum eſt,
ſi ſucceſſio perueniat in tranſuerſales, qui ſint de
familia, quam in deſcendentes; & ſic ratio agna-
tionis conſeruandæ interuenit, ac cadit, ſiue ſimus
in deſcendentibus, ſiue in tranſuerſalibus.
Tertium quoque fundamentum contrariæ par
tis, de ſtatuto diſponente ſuccedere filias feminas,
quando non exſtant fratres, vel filij fratrum, tolli-
tur: quia ſtatutum loquitur, quando ſucceditur illi
qui vltimo loco deceſſit, vt ex eius verbis clarè col
ligitur; non autem quando agitur de ſucceſſione
teſtatoris grauantis, prout in hoc caſu. Clara eſt e-
nim, ac magis communis Doctorum opinio, quod
26 in † fideicommiſſis ſucceditur teſtatori grauanti,
non autem grauato. Hæredi namque grauato (cũ
non ſit dominus bonorum fideicommiſſo ſuppoſi-
torum) non poteſt ſuccedi, ſed teſtatori vero do-
mino de rebus ſuis diſponẽti. & hanc opinionem
tamquam veriorem ſequuti ſunt Bart. in l. hære-
des mei, §. cum ita, num. 4. ff. ad Trebell. Ruin. con-
ſil. 142. num. 14. & ſeq. vol. 3. Pariſ. conſil. 88. num.
10. vol. 2. Gozad. conſil. 67. num. 8. Socin. iun. con-
ſil. 168. num. 70. & ſeq. vol... Berous conſil. 12. nu
me. 27. vol. 2. Natta conſil. 675. num. 24. Cephalus
conſil. 493. num. 13. & conſil. 306. num. 122. Rol.
conſil. 70. num. 73. vol. 3. Gabriel. conſil. 86. nu. 11.
Tob. Non. conſil. 76. num. 33. Menoch. conſ. 124.
vbi latiſſimè & teſtatur de communi, Teſſaur.
deciſ. 64.

deciſ.64. Surdus, *conſil.170. nu.8.lib.1.& conſil.*
545.num.14.lib.4. Ruſticus, *in comment. ad d.l.cum*
27 *auus,lib.3.cap.10.num.124.* Vnde cum† ſtatutum
excludat fœminas, etiam proprias filias, ab hæredi-
tate grauantis, propter fratres, & filios fratrum, &
d.D.Bernardus ſit filius fratris teſtatoris, ſtatutum
videtur determinare ad fauorem d.Do. Bernardi,
& non talium neptum. Et quod ſufficiat ſtatutum
excludere filias a ſucceſſione grauantis, voluerunt
Bero. *d.conſ.112.num.27.lib.2.* Rim. iun. *conſ.47.*
num.24. Menoch. *d.conſ.95.nu.64.& tract.de præ-*
ſumpt.lib.4.præſumpt.85.num.9. Ceph. *conſ.306.*
nu.77.& nu.122.lib.3. Tob. Non. *conſ.36.nu.14.*
Decian. *reſponſo 74.num.29.lib.3.* Illuſtriſs. Man-
tica, *de coniect. vlt.vol.lib.11.tit.14.num.16.* Ioſeph
Ruſtic. *in d.cap.10.nu.124.ver.& cum Soc. iuniore.*

Nec obſtat deciſio Rotæ Romanæ *790.par.1.*
in nouiſſimis, quæ vult ad excluſionẽ filiarum a ſuc-
ceſſione patris earum grauati, non ſufficere conie-
cturam, quod teſtator prętulerit in ſucceſſione ſub-
ſtitutum proprijs filiabus, niſi etiam concurrat di-
ſpoſitio ſtatuti excludẽtis eaſdem filias a ſucceſſio-
ne proprij patris propter fratrem ſubſtitutum, vel
filium fratris: quia in hoc miror certè fieri talẽ diffi-
cultatem, cum habeamus ſtatutum expreſſe diſpo-
nens *in allegata rubr. de ſucceſſ. ab inteſt. in §. item ſi*
aliquis vel aliqua, [quod ſi quis ex aſcendentibus
decedat ab inteſtato ſine filijs maſculis, vel ſine fi-
lio aliquo maſculo ex ipſis filijs, relicta filia, vel fi-
lia filij, tunc eius hęredita. perueniat ad fratres, vel
filios maſculos fratrum, ipſius ſic decedentis;] &
inferius: [ſi autem ille qui deceſſit, & non ſupereſ-
ſet aliquis frater, nec aliquis filius maſculus fratris,
tunc filiæ ad ſucceſſionem parentum ſuorũ admit-
tantur;] per quod ſtatutum non video quomodo
dici poſſit quod fratres, & filij fratrũ non excludãt
filias a ſucceſſione earum patris, & quod dici non
poſſit (prout ait Rota Romana,) quod hic non ha-
beamus diſpoſitionem ſtatuti excludentis proprias
filias a ſucceſſione patris earum propter fratres, &
filios fratrum, & ſic quod re vera interueniãt vtrũ-
que requiſitum per Rotam, nempè, diſpoſitio teſta
toris excludens proprias filias ab eius ſucceſſione;
& ſtatuti diſpoſitio excludẽs neptes a ſucceſſione,
earum patris grauati. Et licet Ioannes vltimus de-
cedens nõ haberet nec filios, vel nepotes maſculos,
nec fratres, nec filios fratrũ maſculos; attamen hoc
nihil refert: quia hic nõ agitur de eius ſucceſſione,
ſed Pauli teſtatoris, vt ſupra dixi, qui deceſſit cum
fratre & filio fratris. Et ſemper erit verum dicere,
extare ſtatuti diſpoſitionem per quam filiæ exclu-
duntur a ſucceſſione patris, quando adſunt fratres,
vel filij fratrum maſculi. Et ſic apparet deciſionẽ
ipſam Romanam eſſe ad fauorem D.Bernardi ſub
ſtituti, & non pro neptibus teſtatoris & filiabus
D.Ioannis grauati.

28 Accedit, quia† prędicta deciſio Rotę Romanę,
quod requirat ſtatutum excludens filias a ſucceſ-
ſione patris earum grauati, eſt potius ex abundãti,
quam de neceſſitate, cum verior ſententia ſit, ſuffi-
29 cere diſpoſitionem ſtatuti excludentis † in genere
filias & neptes fœminas a ſucceſſione, quãdo extãt
filij, nepotes, fratres, vel filij maſculi fratrũ, prout
adeſt in Ciuitate Mirandulæ. Quã tenuerunt Rui.
conſ.150.num.12.lib.2. Gozadin. *conſil.89. num.5.*
Mazol. *conſ.6.col.4.in fine.* Veggius *conſ.65.nu.61.*
Surdus *deciſ.66.num.12.* Menoch. *conſil.95. num.*
61. Craſſus *in §.fideicommiſſum quæſt.35.nu.4.& 5.*
vbi quamplurimos allegat atteſtantes de magis cõ
muni. Hanc eamdem crebriorem dicit Cephal.
conſil.306. Illuſtriſs. Mantica *de coniect. vlt.vol. lib.*
11.tit.14.num.7.& Paris.*conſ.48.num.9. volum.2.*
Eamdem eſſe æquiorem ac rationabiliorem ab ea-
que in iudicando non eſſe recedendum, dicit Grat.
conſ.111. Caſus talis eſt, num.28.& 29.lib.2. Idem
30 aſſerit Tob.Non.*conſil.36.num.10.* Et quod †quan
do ſubſtituti ſunt de familia, excludãt neptes, om-
nes fatentur, etiam qui contrarium tenuerunt, ſe-
quentes talem diſtinctionem Pauli Caſtr. Idem af-
firmat Decianus, *conſ.84.vol.3 & conſ.74.num.56.*
Menoch. *de præſumpt. lib.4. preſumpt.85.num.15.*
Innumeri alij ſequentes hanc ſententiam referun-
tur ab allegatis Doctoribus, & in ſpecie a Craſſo,
vt ſupra; & nouiſſime a Ioſeph. Ruſtico *in commen.*
ad l.cum auus, lib.3.cap.10.num.118.119.& 125.
verſic. vnde ab hac opinione. dicens ab ea non eſſe re-
cedendum in iudicando, & conſulendo, & *nu.126.*
referens fuiſſe deciſum contra Gabr. & alios dum
ipſe eſſet Romę. Et iſta opinio ſecũdum diſtinctio-
nem Pauli Caſtr. *in conſ.409.lib.2.* ab omnibus paſ-
ſim eſt recepta, quando ſcilicet ſubſtitutus eſt de
agnatione teſtatoris.

Nec obſtat dum pro parte dictarum neptum di-
cebatur, teſtatorem non habuiſſe intentionem con
ſeruandi bona eius in agnatione, & ſic ceſſare fauo
31 rem familiæ. Primò, quia ſi teſtator † habuiſſet ta-
lem animũ, ſubſtituiſſet alios de eius agnatione, vi-
delicet, filios alterius fratris. Secũdò, quia induxiſ-
ſet perpetuum, atque abſolutum fideicommiſſum
quo ad omnes deſcendentes, non autem in perſonã
filiorum, & fratris, ac filiorum fratris tantũ (prout
feciſſe videtur,) vt tradit Gabr.*conſ.97.nu.7.* Crau.
conſ.763.num.6.lib.5. Decian. *reſponſo 1.num.154.*
& num.182.cum ſeq. Ceph.*conſ.600.num.37.lib.4.*
Nam quoad primum, dicitur non requiri quod
teſtator vocet omnes de familia ad effectũ, vt dici
poſſit voluiſſe, quod bona remaneant in agnatione.
Immò Doctores paſſim concludunt quod teſtator
cenſeatur bona ſua conſeruari in agnatione quãdo
tantummodo filios maſculos hæredes inſtituit, &
32 feminas dotatas excluſit, ex † hac enim vocatione
maſculorum, & excluſione feminarum, communi-
ter tenent Doctores, colligi teſtatorem hoc feciſſe,
vt bona in agnatione conſeruentur, etiamſi ratio
agnationis non fuerit expreſſa, vt tenet Alex. *conſ.*
52.num.4.lib.4. Crau.*conſ.306.nu.3.* Menoch.*conſ.*
95.num.205. Rub.*conſ.28.num.8.& conſ.170.nu.4.*
Mandel.*conſ.19.num.11.* Marzar.*conſil.5.num.29.*
Tob.Non.*conſ.33.num.9.& 10.* Menoch.*conſ.310.*
nu.24.lib.4. Lud.Molina, *de primogen. Hiſpan. lib.*
3.cap.5.num.29. Ioſeph Ruſtic. *in comment. ad l.cum*
33 *auus, lib.4.cap.2.num.14.& 19.* Vnde, cum † in hoc
caſu teſtator non ſolum excluſerit filias, & vocaue-
rit maſculos, ſed etiam progreſſus fuerit ad plures

N gradus

gradus ſubſtitutionum; tanto magis colligitur voluntas enixa teſtatoris, vt bona eius conſeruentur in familia, prout in ſpecie tradiderunt Crau, *conſil.* 98.*num.*3. Marzar.*conſ.*4.*num.*33. Gabr.*conſ.*117. *num.*21.*lib.*1. Iacob. Mandel.*conſ.*19.*num.*12. Tob. Non.*conſ.*33.*num.*9.*&* 10. Menoch.*conſ.*95.*nu.*53. *& conſ.*150.*num.*47.& latè *in tract. de præſumpt.lib.*4.*præſumpt.*81.*num.*8. Peregr.*de fideicom.art.*25.*nu.*47. Vegg.*conſ.*65.*num.*81. 82.*& ſeq.* Surd. *conſil.* 564.*num.*9.*lib.*4. Ruſtic.*in d.commen.ad l.cum anns,* *lib.*4.*cap.*2.*num.*37. Et non valet conſequentia, teſtator excluſit vnum ex eius fratribus, & eius filios, & vocauit alium, cum eius filijs, ergo noluit bona conſeruari in agnatione. Quia hoc videtur factum a teſtatore, vt eius bona non diminuantur, cum ex diuiſionibus bona diſſipentur, vt docet experientia, & tradunt Doctor.*in l.hæredes mei, §.cum ita, ff. ad Trebellian.* & quoad illum fratrem vocatum, non poteſt negari quin teſtator voluerit bona conſeruari in eius agnatione.

Quo verò ad ſecundum, dicitur non eſſe neceſſe quod teſtator inducat abſolutum & perpetuum fideicõmiſſum, ad hoc, vt poſſit præſumi habuiſſe animum conſeruandi bona in agnatione; & ſi perpendantur Doctores ſupra allegati, & alij, qui examinant hunc articulum, conſtabit, quod in eorum caſibus nõ aderat fideicommiſſum perpetuum, & abſolutum: eſſet enim ridiculum in tali caſu diſputare, an voluerit teſtator bona conſeruari in agnatione, & ſic an eſſet inductum fideicõmiſſum fauore familiæ, cum hoc eſſet certum, & indubitatum,
34 ex tali diſpoſitione. Et in † ſpecie quod non requiratur fideicõmiſſum perpetuũ, ſed quod ſufficiat, quod teſtator habuerit conſiderationem in agnatione inter perſonas nominatas, voluerunt in terminis, Menoch.*de præſumpt.lib.*4.*præſumpt.*85.*nu.*8.*&* 9. Surdus *deciſ.*66.*nu.*22. *verſ. quod verò, cum*
35 *ibi allegatis.* Et illud quod † ratio agnationis, quæ non eſt expreſſa, non præſumatur, non eſt receptũ; quia ſufficit colligi ex coniecturis; vt ex vocatione maſculorum, in terminis Dec.*conſil.*333.*nu.*5. Gratus *conſ.*54.*nu.*29.*lib.*2. Pariſ. *conſil.*57.*nu.*10. *li.*2. Menoch.*conſ.*310.*nu.*24.*lib.*4. Idem Ruſticus *in d. l.cum anus, lib.*4.*c.*2. *num.*17.*&* 21. vbi teſtatur de communi, & veriori.

36 Immò non defuere, qui † ex hac coniectura conſeruandi bona in familia, dixerunt cenſeri inductũ perpetuum fideicõmiſſum in omnibus de familia, & quod cenſeantur rogati vnus poſt alium reſtituere bona, & ſic ex hac ratione extendi diſpoſitionẽ teſtatoris vltra perſonas nominatas. Ita Bar.*in l.pater, §.fundum, ff.de leg.*3. Caſtr.*conſil.*77. *nu.*5.*lib.*1. Soc.iun.*conſil.*163.*num.*5.*&* 12.*lib.*3. Ruin.*conſil.* 158.*nu.*11.*lib.*2. Berous *conſil.*64.*nu.*17. *lib.*2. Roland.*conſil.*6.*nu.*21.*lib.*4. Petra *de fideicom.quæſt.*5. *num.*8. Simon de Pret.*de interpr.vlt.volun.lib.*3. *interpr.*3.*dub.*1.*ſolut.*11.*nu.*5.*in fine, fol.*287. Surdus *conſil.*96.*nu.*43.*& conſil.*412.*nu.*14. latius *in conſil.* 443. *num.*20. vbi dicit, quod coniectura tacita & ſubintellecta ſufficit. Craſſ. *§.fideicommiſſum, quæ-*
37 *ſtio.*4.*nu.*19.*&* 21. Siquidem † fideicommiſſum ex coniecturis inducitur. Bart. Alex. & alij, *in l.licet Imperator, de leg.*1. Idem Alex.*conſil.*14.*col.vlt.lib.*4. Caballin. *Milleloq.*461.*par.*1. maximè, fideicom
38 miſſum † inductũ gratia agnationis conſeruandæ, quod fauorabile reputatur, extenditurq; de perſona ad perſonam. Surdus *d.conſil.*443.*num.*28. *lib.*3. Cephal.*conſil.*137.*nu.*4. Menoch.*conſ.*95.*num.*95. Simon de Pret. *de interpr.vlt.volunt.lib.*3.*interpr.*3. *dub.*1.*ſolut.*3. *nu.*22.*fol.*276.

Nihil obſtat etiam quod dicitur teſtatorem noluiſſe ſe conformare cum diſpoſitione ſtatuti, ex quo aliter diſpoſuit, quam faciat ſtatutũ, per quod filiæ quando non exſtant filij maſculi, vel fratres, vel fratrum filij, debent ſuccedere, vt in ſupra allegato ſtatuto conſtat.

Nam dicebatur, immò totum contrarium apparere ex teſtamento teſtatoris, in quo voluit ſuccedere filios maſculos, item fratres, & filios fratrũ, excluſis filiabus, prout ad litteram legitur in dicto ſtatuto.

Nec debet conſiderari diſpoſitio ſecundum caſum præſentem, ſed ſecundum tempus teſtamenti, cum non poſſit teſtator diuinare caſus, qui erant ſucceſſuri de eius agnatione.

Ex quibus omnibus redditur clara & ſecura reſolutio noſtra ad fauorem ſubſtituti; Si enim aliter diceretur, quomodo poterit habere locum voluntas teſtatoris, nempè, quod ex quo prædilexit ſubſtitutum, cum eum antepoſuerit proprijs filiabus, cõſequenter etiam neptibus cenſeatur prætuliſſe? Item, quomodo bona conſeruabuntur in familia? ſi ſuccedendo neptes, exibunt de familia. Similiter, quomodo ſtatuti diſpoſitio procedet, ſi neptes teſtatoris excludent filiũ fratris ipſius teſtatoris, cum ſtatutum totum contrarium diſponat?

ARGVMENTVM.

Legitimatus per ſubſequens matrimonium, an in feudis, & emphyteuticis bonis admittatur.

Legitimatus per ſubſequens matrimonium vt quis dicatur, quæ requirantur.

Quando ex receptione canonis caducitas remiſſa non cenſeatur.

SVMMARIVM.

1 *Legitimatus per ſubſequens matrimonium ex vna Doctorum opinione ſuccedit in feudis.*

2 *Legitimati per ſubſequens matrimonium dicũtur verè & propriè legitimi, & ſuccedunt in omnia, vt faciunt legitimi & naturales, & rumpunt teſtamentum ſi fuerint præteriti.*

3. *Diſpoſitio loquens de legitimatis, comprehendit etiam legitimatum per ſubſequens matrimonium.*

4 *Legitimati per ſubſequens matrimonium, non admittuntur in feudis & emphyteuſi, quando in inſtrumento*

mento inueſtituræ requiritur, quod non ſolum ſint legitimi, & naturales, ſed quod etiam ſint nati de legitimo matrimonio.

5 *Legitimatus per ſubſequens matrimonium quod admittatur in feudo etiam quãdo eſſet dictum de filijs natis de legitimo matrimonio; procedit quando filij nondum nati erant, ſed erant in vtero matris ſolum concepti.*

6 *Emphyteuta vel feudatarius (vbi dubitatur de formula inueſtituræ) tenetur ipſe eam edere domino directo, & oſtendere cuius ſit formæ.*

7 *Filius vt per ſubſequens matrimonium legitimetur, plura requiruntur, de quibus num. 8. & 9. videlicet, quod mulier eſſet digna viro, item quod ſit retenta in figura concubitus, item quod potuerit eſſe matrimonium tempore copulæ inter virum, et mulierẽ.*

10 *Et hæc requiſita ſunt neceſſaria in terris Imperij ſaltem quo ad ſucceſſionem.*

11 *Emphyteuta vel feudatarius non poteſt allegare ignorantiam proclamatum publicè factorum, quod debeant feudatarij renouare inueſtituras, nec dominus directus tenetur probare talia bãnimenta, & ea exhibere quando publicè facta fuerunt.*

12 *Dominus directus recipiendo canonem, cenſetur remiſiſſe caducitatem incurſam ab emphyteuta.*

13 *Dominus directus per receptionem canonis nũquam cenſetur remiſiſſe caducitatem, niſi probetur de ea habuiſſe ſcientiam.*

14 *Dominus directus in dubio præſumitur ignorare caducitatem fuiſſe incurſam.*

15 *Caducitas per receptionẽ canonis vt cenſeatur remiſſa debet ab ipſo domino recipi canon, ſecus ſi eius miniſtri, vel procuratores receperint.*

16 *Emphyteuta tenetur intra annũ, et diẽ petere inueſtiturã in recognitionẽ dominij, aliàs cadit a iure ſuo.*

17 *Emphyteuta ſine licentia domini non poteſt apprehẽdere poſſeſſionem emphyteuſis, aliàs cadit ab illius commodo.*

18 *Emphyteuta tenetur ſoluere laudemium domino directo pro re de nouo acquiſita.*

19 *Actore non probante, reus abſoluitur.*

DECISIO XCVIII.

LIcet in præſenti cauſa quæ agitur
inter Cameram Illuſtriſs. & Excel
lentiſs. Dom. noſtri Dom. Alexan
dri Pici Principis Mirandolæ pri-
mi, ex vna, & Illuſtrem D. Fran-
ciſcum Pedocham ex alia; prima
facie dicendum videretur d. D. Franciſcum quãuis
legitimatum per ſubſequens matrimonium debe-
re ſuccedere in feudo, ſeu emphyteuſi Cameræ Ex
1 cellentiſſimæ; cum ſatis † recepta videatur a Do-
ctoribus ea ſententia, feuda talia tranſire ad legiti-
matos per ſubſequens matrimonium, vt per Doct.
in capit. §. naturales, ſi de feudo fuer. controuerſ. nem-
pè Iſernia *ibi, nu. 7.* Afflict. *nu. 6.* teſtantẽ de cõmu
ni, Alex. *in l. ex facto, §. ſi quis rogatus, il 1. num. 18.*
ff. ad Trebel. Iaſ. *in l. generaliter, §. cum autem, nu. 10.*
C. de inſtit. & ſubſtit. Bald. *conſ. 229. lib. 3.* Marſil.
Singul. 542. Clarum *in §. feudum, quæſt. 82. verſ. item*
quæro, Gabr. *Commun. opin. tit. de legitim. Concl. 1.*
num. 25. & nu. 28. cum alijs multis per ſupradictos
adductis.

Quod eo magis vr̃ habere locum, qñ matrimo
nium contractum eſt in facie Eccleſiæ, cum eius
tanta ſit vis, vt ſublata omni macula, tales filij in-
telligantur nati de legitimo matrimonio, *c. tanta,*
2 *qui filij ſint legitimi.* Iſti enim † ſic legitimati per ſub
ſequens matrimonium dicuntur verè legitimi, &
naturales, & ſuccedunt in omnibus, & per omnia,
prout alij legitimi veri, & naturales. Butr. *in c. per*
venerabilem, nu. 17. in fine, qui fil. ſint legit. Soc. iun.
in l. Gallus, §. & quid ſi tantum, nu. 146. ff. de lib. &
3 *poſthu.* Curt. iun. *conſil. 64. num. 12.* Et † diſpoſitio
loquens de filio legitimè nato, verificatur etiam in
legitimato. text. eſt *in l. nuper, C. de natural. liber.*
Gabr. *de legitimat. conclu. 1. num. 25.* idem Gabr. *con*
ſil. 21. nu. 33. Couar. *de ſponſalib. par. 2. cap. 8. nu. 21.*
verſic. decimoquinto fol. 124. Cephal. *conſ. 541. nu.*
12. lib. 4. Ioſeph. Ruſticus *in Comment. ad l. cũ anus,*
de cond. & demonſt. lib. 2. cap. 16. nu. 7. & 8. Et rum-
punt paternum teſtamentum, ſi non ſunt inſtituti,
etiam facto teſtamento ante legitimationem, *l. cer*
tum, ff. de iniuſto rupto teſtam. Teſaur. *deciſ. 84.* vbi
plures allegat. Ruſticus *ad d. l. cum anus, lib. 2. c. 16.*
nu. 209. verſ. an vero ex matrimonio.

Contrarium tamen in præſenti controuerſia viſum fuit decidendum, & pronunciandum, nempè, d. D. Franciſcum fore, & eſſe incapacem d. feudi, bonaq; talia tamquam deuoluta ob lineam finitã, ex alijsque cauſis inferius dicendis, domino directo fore, & eſſe applicanda, vtileq; dominium cũ directo incorporandum, ac conſolidandum, ex multis, &

Primò, quia Concluſio ſuperius adducta, quod
filij per ſubſequens matrimonium legitimati, ſuc-
cedant in feudo ſiue emphyteuſi, ex ſupra allegatis
4 non procedit, quando in † inueſtituræ inſtrumen-
to non ſolum requiritur quod filij ſint legitimi, ac
naturales, verum etiam de legitimo matrimonio
nati; hoc enim caſu, vera & communis Doctorum
ſententia eſt, quod legitimati per ſubſequens ma-
trimonium, prorſus exiſtant incapaces talis ſucceſ-
ſionis; vt optimè decidit Alex. *conſil. 5. per totum,*
vol. 7. Ruin. *conſil. 92. num. 14. vol. 3.* Roland. *conſil.*
100. num. 16. vol. 2. Soc. ſen. *conſil. 67. num. 18. lib. 3.*
Soc. iun. *conſil. 12. nu. 16. vol. 4.* Tiraquel. *de iure pri-*
mogenior. quæſt. 34. Berous *conſil. 167. num. 2. & 3.*
vol. 2. Brun. *tract. quod ſtant maſculis, art. 12. quæſt.*
4. verſic. tertio limitatur. Gabr. *tit. de legitim. concl. 1.*
num. 26. Cephal. *conſ. 82. num. 29. & conſ. 276. nu. 9.*
& 29. & conſ. 111. num. 11. verſ. quæ concluſ. Natta
conſ. 624. num. 21. Gozad. *conſ. 25. nu. 2.* Rimin. iun.
conſ. 522. num. 30. verſ. dicunt enim. Illuſtriſs. Manti
ca *de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 12. nume. 22.* vbi
teſtatur de magis cõmuni. Menoch. *conſil. 16. nu. 6.*
Ratio eſt: quia conceſſionis verba non poſſunt ap-
plicari tali ſic legitimato, hoc enim priuilegium
ſuccedendi conceditur tantummodo filijs natis ex
legitimo matrimonio, ſed legitimatus per ſubſe-
quens matrimonium numquam poteſt dici natus
ex legitimo matrimonio; cum clarum ſit eſſe natũ

ex illegitimo concubitu; ergò, ſi verba conceſſio-
nis non comprehendunt talem filium ſic natum,
quomodo priuilegium ipſum ipſi poterit compete
re? & ita conſiderat Menoch. *d.conſil.16.num.20.*

Et licet nonnulli contrarium tenuerint vt fuit
Lauden. *in c.naturales, ſi de ſeud.fuer.controu.motus*
per cap. tanta, qui fil. ſint legit. quia legimatio quæ
fit per ſubſequens matrimonium retrotrahitur ad
tempus natiuitatis. Hæc tamen opinio eſt contra
5 communem, & procederet † quando talis filius
eſſet in vtero matris conceptus tempore matrimo
nij ſubſequuti, quia tunc verificantur verba con-
ceſſionis: quia talis filius dicitur natus de legitimo
matrimonio, ſecùs autem (prout in caſu noſtro)
quãdo filius tempore matrimonij eſſet iam natus;
Ita has opiniones concordat Aluarot. *in d.c.natura-*
les, quem ſequitur Curt.iun. *in tract.de feudi, par.3.*
tit. quemadmodum maſcul. deſcend. in feud. ſucced.
nume.41.

Quod autem præſens feudum cõceſſum fuiſſet
tãtùmodo filijs de legitimo matrimonio natis, ap
paret ex ſtylo & conſuetudine Excellentiſſimę Ca
meræ, quæ eius feuda ſub huiuſmodi Clauſulis om
nibus concedit; & nõ aliter, quod cõſtat ex tot in-
ſtrumentis, & inueſtituris, quæ quotidiè & per an
nos quamplurimos antea conceſſit, & ſecundum
hanc conſuetudinem dicendum eſt, prædeceſſores
ipſius D. Franciſci (niſi contrarium probetur) etiã
fuiſſe inueſtitos. Aluarot. *in c.1.de feud.cognit.* &
ibi alij. Roſenthal. *de feud. cap.1. Concl.13. cum ibi*
adductis.

6 Accedat etiam, quia vbi dubitatur de † forma
inueſtiturarum, dicendum eſt ipſum Dom. Fran-
ciſcum teneri eam edere domino directo, & oſten
dere cuius formæ, ac tenoris ſit. Bald. *in c.1.§.licet,*
num.9. ſi de ſeud.defunct.fuerit controuer. vbi etiam
Præpoſitus *num.3.* & Afflict. *nume.35.* Aluarot. *in*
cap.1.in princ.num.9. & Afflict. *num. 86. de controu.*
inueſtit. Bald. *in l. inſtrumenta, num.24. C.de fideic.*
Socin. *Regula 430. Fallent.3.*

Secundò clari iuris eſt, quod ad hoc vt filius le-
gitimari poſſit per ſubſequens matrimonium (non
7 enim omnes filij ita legitimantur) requiruntur † plu
ra. Primò, quod talis mulier, ex qua ortus eſt filius,
eſſet digna matrimonio, quia ſecùs eſt, ſi mulier eſ-
ſet vilis, vel meretrix. Gabr. *tit.de legitim. concluſ.1.*
num.46. Curt.iun. *conſ.136.col.penult.* Marian. Soc.
conſ.52.col.1.vol.1. Ruin. *conſ.92.col.7.vol.3.* & *conſ.*
111.num.5.vol.1. cum alijs quos allegat Peregrin.
8 *tract.de iure fiſci, lib.3.tit.18.* Secundò, quod † talis
mulier ſit retenta in figura concubinatus. Bart. *in*
l.fin.in fi.ff.de concub. Bald. *conſ.206.col.2.vol.3.* An-
gel. *conſil. 20.* Gabr. *d. concluſ.1.num.48.* Quia per
ſubſequens matrimonium legitimantur naturales
tantum, non autem ſpurij. Curt. *tract.de feud. in 3.*
parte, col.32. Tertio (& hoc nullam patitur contro
9 uerſiam) requiritur † quod talis mulier potuerit eſſe
vxor tempore copulæ. Bart. *in l.cum qui, ff. de ſtatu*
hom. & *in l.etſi contra, C.de nup.* Ripa *in l. ſi vnquã,*
num.55.C.de reuoc.donat. Craſſus *§.inſtitutio, quæſt.*
7.num.6. Petr. Duen. *regula 350.limit.11.* Menoch.
conſ.16.num.12. & *13.* Illuſtriſs. Mantica *de coniect.*
vlt.vol.lib.11.tit.12.num.6. Trentacinq. *de ſubſtit.*
par.4.cap.7.num.46. Ioſeph. Ruſtic. *in comment.ad l.*
cum auus, ff.de condit. & *demonſtr.lib.2.cap.16.num.*
101. Filij enim adulterini per ſubſequens matrimo
nium non legitimantur, *c.tanta, qui filij ſint leg.* So-
cin.iun. *conſ.31.nu. 44.vol.2.* Alia etiam ſunt impe
dimenta, per quæ non legitimantur filij per ſubſe-
quens matrimonium, de quibus per Gabr. *tit.de le-*
gitim. concluſ.1. & per Peregrin. *de iure fiſci, lib.3.*
10 *tit.18.* Quibus requiſitis non † interuenientibus, fi-
lij per ſubſequens matrimonium non legitimantur
ſaltem vt tamquam filij legitimi ſuccedant, in ter-
ris Imperij. vt tradit Marſil. *in ſingulari 250.* Soc.
iun. *conſ.100.num.26.lib.2.* Ruin. *conſ.211.num.6.*
lib.1. Marzar. *de fideicommiſs.quæſt.30. circa finem,*
ver.ſed tamen quia ego reperio, fol.26. Alex. Trenta-
cinq. *in tract.de ſubſtit.par.4.cap.7.ante num.44.ver-*
ſic.ego cum hac opinione. Menoch. *conſ.16.num.7.* &
8. Cephal. *conſil. 276.*

Tertiò, ex alio dicitur etiam hæc bona feudalia
in commiſſum cecidiſſe, nempè, quia pro parte Il-
luſtriſſimæ Comitiſſæ matris Excellentiſſ. Princi-
pis, habentis ad hoc pleniſſimam facultatẽ, fuerunt
publicata proclamata, quod omnes, qui habebant
bona in feudum Excellentiſſimæ Cameræ, intra
certum tempus deberent accipere inueſtituras: (a-
lias intelligerẽtur deuoluta.) At cum ſupradicti de
Pedochis intra tempus aſſignatum non paruerint
tali banno, nec acceperint eorum inueſtituras vt ce
teri omnes fecerunt, vtique certi iuris eſt, talia bo-
na effecta fuiſſe caduca, ac deuoluta ad Excellentiſ
ſimam Cameram propter eorum inobedientiam.
Nec viſum fuit poſſe per partem aduerſam euitari
11 hęc culpa, aſſerentẽ non † conſtare de huiuſcemodi
bãno, ſeu proclamate. Quia dicitur, quod cum iſta
proclamata notoria ſint omnibus in hac Ciuitate
degentibus, non erat opus aliqua exhibitione ac ꝓ
batione pro parte d. Excellentiſſimæ Camerę, iux-
ta tradita per Barto. & Doct. *in l.ſcriptus, nu.3.cum*
ſeq.ff.de relig. & *ſumpt.funer.* Bald. *conſ.323.incipit*
Proponitur, in princ.lib.1. Abbas *in c.fin.nu.7.de ma-*
lefic. Cum ſola allegatio prædictorum ſufficiat, &
Iudex ex officio licet nihil probaretur, hoc ipſum
per ſe ſupplere poteſt, & debet. Bal. *in l.filiusfami-*
lias, §.veterani, col.2.verſic.item poteſt ſupplere, ff.de
procurat. & *in Authen.Iubemus, in 4.not. C.de indic.*
Alex. *conſ.14.incipit, Viſo proceſſu, in princ.vol.5.* De
cian. *conſ.10.num.76.vol.1.* & *conſ.44.num.23.vol.*
2. & *conſ.42.num.8.* & *conſ.38.num.25.* & *conſil.19.*
num.86.vol.3.

Non obſtat quod ex quo miniſtri Excellentiſſi-
mæ Cameræ per multos annos receperunt canonẽ
debitum pro recognitione dominij directi, cenſe-
12 tur remiſſa omnis caducitas, quia † per talem cano-
nis receptionem, videtur renunciatum huic iuri do
minij directi *l.poſt diem,* & *l præced. §.finali, de lege*
commiſſ. c.ex ore, de his quæ fiunt a maiori parte capi-
tuli, glo.in c.potuit, de locat.in verbo, expelli. Soc.ſen.
conſ.66.col.finali, num.19.ver.tertio quia, vol.3. Dec.
conſ.229.num.3. Pariſ. *conſ.108.nu.43.vol.1.* Corn.
conſ.187.num.1.vol.1. Cephal. *conſ.222.num.1.* Me-
noch. *de recuper.poſſeſſ.remed.9.num.152.*

Quia

13 Quia reſpondetur Primò, pœnam † caducitatis non cenſeri remiſſam per canonis receptionem, niſi conſtet quod dominus habuerit ſcientiam caducitatis. Iaſon *in l. 2. num. 130. verſic. prædicta omnia, C. de iure emphyt. cum ibi allegatis.* Alex. *conſil. 105. num. 14. vol. 3.* Ruin. *conſil. 70. num. 14. lib. 5.* Dec. *conſil. 530. num. 12. & conſil. 452. num. 26.* Gratus *conſil. 2. num. 75. vol. 1.* Corbol. *de iure emphyteutico tit. de cauſa priuat. ob non ſolutum canonem, limit. 21. num. 14.* At in caſu noſtro nullibi apparet de ſcien-
14 tiã d. Domini directi. Et in dubio † dominus præſumitur ignorare bona eſſe deuoluta. Ruin. *conſil. 70. num. 14. lib. 5.* Alex. *conſil. 105. Magnifice Prætor. num. 14. vol. 3.* Bero. *conſil. 116. num. 13. vol. 1.* Burſat. *conſil. 91. num. 5. & 11.* Boer. *deciſ. 338. nu. 7.* Oſaſch. *deciſ. Pedem. 29. num. 7.*

Secundò, ſupradicta concluſio non procedit,
15 quando † non ipſe dominus, ſed eius miniſtri ſeu procuratores canonem poſt incurſam caducitatẽ receperunt, prout in caſu noſtro, Miniſtri Excellentiſſimæ Cameræ (non autẽ ipſe dominus) fecerunt, quia ſicut prędicti Miniſtri talem caducitatem expreſsè remittere nõ poſſunt, ità nec tacitè recipiendo canonem: ita in terminis tradit Pariſ. *in conſil. 86. num. 17. vol. 4.* Bero. *conſil. 116. num. 10. verſ. non obſtat, volum. 5.* Afflict. *deciſ. 129. numero 10. & ſequen.*

16 Quartò emphyteuta † tenetur intra annum, & diem petere, & accipere ſuam inueſtituram in recognitionem dominij, alias non accipiendo intra dictum tempus, cadit a iure ſuo. Corbol. *de cauſa priuat. ob non petit. inueſtit. num. 1. 5. & 7.* & eſt tex. *in l. vlt. C. de iure emphyt. & in cap. 1. §. porrò, qualiter olim feud. amitt.* plura congerit Tiraquel. *tractatu de retractu lignag. §. 22. gloſ. 2.* At cum iſti Domini de Pedochis acquiſiuerint ab illis de Cagnacinis hanc emphyteuſim, vt ex inſtrumento pro eorum parte adducto oſtenditur, nec intra d. tempus acceperint inueſtituram, nec vſque adhuc, dicendum erit illos cecidiſſe ab eorum iure, & potuiſſe per dominũ directum hæc bona ſibi applicari, tamquam deuoluta.

17 Quintò emphyteuta † qui de licentia domini acquiſiuit aliquo modo emphyteuſim, vel feudum ab aliquo, ſi de eo accipiat poſſeſſionem ſine licentia domini, amittit emphyteuſim, & feudum; vt probatur ex multis quos allegat, & ſequitur idem Corbol. *eod. tit. num. 1. & in tit. de cauſ. priuat. ex eo quod emphyt. poſſ. propria author. expellere nu. 4. & in titu. de priuat. ob alien. nu. 8. iuxta l. finalem, C. de iure emphyt.* & in feudo tradit Bald. *in c. 1. §. ſi duo, num. 7. de pace tenen.* Vnde cum iſti Domini de Pedochis inuaſerint poſſeſſionem horum bonorum ſine aliqua licentia domini, & ſine inueſtitura ex vtroque capite viſi ſunt ab eorum iure cecidiſſe.

18 Sextò, emphyteuta † tenetur ſoluere laudemiũ pro re de nouo acquiſita domino directo. Berous *conſil. 12[illegible] num. 4. vol. 1.* Gabriel. *conſil. 89. num. 9.* Cagnol. *in l. [illegible] num. 101. C. de pact. inter empt. & vendit.* At cum iſti Domini de Pedochis in acquiſitione per emptionem talium bonorum cum non conſtet, quod ſoluerint hoc laudemium, quod vt plurimum ſoluitur quando accipitur inueſtitura, dicendum eſt cecidiſſe ab eorum iure.

Nec viſum fuit ſuffragari, dum iſti Domini de Pedochis allegant in eorum excuſationem quod de tempore acquiſitionis dd. bonorum non erat ſolitum per Excellentiſſimam Cameram facere inueſtituras de talibus bonis, quod probare nitebantur per nonnullas partitas, deſcriptas in libris Excellentiſſimæ Cameræ, & fides productas.

Quia dicitur, quod tales partitæ oſtendunt bona in eis deſcripta eſſe feudalia eiuſdem Cameræ Excellentiſſimæ, & ſolui tot pro annuo canone, & hęc vt eadem Excellentiſſima Camera ſciat quod, & a quibus debeat exigere, & ex alijs cautis eiuſdem intereſſe continentibus. Sed ex hoc non reſultat probata talis conſuetudo de non accipiendo inueſtituras, & quod per talem deſcriptionem, & annotationem talium partitarum eſſent illi qui talia bona acquiſiuerũt exempti, & liberati ab eo, quod de iure tenentur facere, & obſeruare.

Non obſtat etiam dum vltimo loco dicebatur, non fuiſſe pro parte Excellentiſſimæ Cameræ actricis probata eius intentio, ſcilicet, quod tempore ſupradictæ conceſſionis fiebant inueſtituræ tenoris de quo ſupra, & quod proclamata ſuppoſita
19 fuerint rè vera publicata, vnde ſequitur † regula, quod actore non probante, reus ſit abſoluendus, *l. 1. l. qui accuſare, C. de edendo, l. fin. C. de rei vendicat. c. eccleſia, in fine, de cauſ. poſſeſſion. & propriet. l. actor, l. finali, C. de probat.*

Quia dicitur, quod ſpectabat ad partem aduerſam docere de eius inueſtitura (vt ſupra dictũ fuit.) quo modo, & ſub qua conceſſione detineat dicta bona; & quatenus hoc etiam Excellentiſſimæ Cameræ incubuiſſet, dicitur quod per fidem Magnifici D. Hippolyti Vulpę, & inſtrumentum illorum de Poſſidonijs, quæ per partem aduerſam in actis producta fuerunt, videtur ſatis probatum; & quia in cauſis feudorum non ſeruatur aliquis ordo iudiciarius, nec fiunt probationes quæ in alijs iudicijs requiruntur, ſed ſufficit quod aliquo modo conſtet iudici ẽt per probationes extraiudiciales, de veritate facti per ſtatutum huius Ciuitatis, ſub Rub. qualiter in cauſ. feudar. ſit proced. per quod ſtatutum videtur ſublata etiam omnis fabricatio proceſſus; ſed ſufficit quod ſentẽtia in ſcriptis reducatur. Vnde in hoc caſu ſat fuit, quod Iudex habuerit notitiam extraiudicialem de talibus banimentis, & de modo, & tenore quo Excellentiſſima Camera ſolita eſt formare eius inueſtituras in conceſſione feudorum.

ARGVMENTVM.

Accuſator qui defecit in probanda accuſatione, quomodo poſſit puniri de calumnia, & quando excuſetur, & euitet pœnam calumniæ, & quid in officiali publico.

Teſtis ex quibus coniecturis, & præſumptionibus oſtendatur immunis a falſitate; & ex quibus excuſetur a pena falſi latiſſimè tractatur.

SVMMARIVM.

1 *Accuſatore non probante quarelam, reus abſoluitur.*
2 *Delicta non redacta ad actum, non ſunt punibilia, & in eis locus eſt penitentiæ.*
3 *Delictum vt euitetur omnis eſt ſumenda interpretatio, & num. 17.*
4 *Minima non ſunt curanda.*
5 *Delictum non præſumitur quando de re modica agitur, & dolus in minimis non præſumitur.*
6 *Honorem proprium cuilibet defendere permittitur.*
7 *Mentita, & verba iniurioſa prolata ſub conditione, reguntur ac regulantur a conditione.*
8 *Accuſator habens iuſtam cauſam accuſandi, licet poſtea deficiat in probanda accuſatione, non poteſt condemnari tamquam calumnioſus accuſator.*
9 *Accuſator dicitur habere iuſtam cauſam accuſandi quando cum accuſatione concurrunt tot indicia, quæ aliàs Iudici ſufficerent ad inquirendum.*
10 *Accuſator quando accuſationem probat per teſtes, qui ob inhabilitatem perſonæ fuerunt reiecti, dicitur habere iuſtam cauſam accuſandi.*
11 *Teſtis deponens de facto proprio, inducit plus quam ſemiplenam probationem.*
12 *Dolo caret qui facit id quod facere debet.*
13 *Officiales qui ex officio tenentur ad accuſandum, non tenentur probare eorum accuſationes, nec de calumnia puniri poſſunt ijs non probatis.*
14 *Officiales non poſſunt condemnari de præſumpta calumnia, quæ ex eo reſultat quod accuſationem non probauerit, ſed requiritur in ipſis probari verã calumniam.*
15 *Dolus interuenire non præſumitur in eo actu, ex quo nullum commodum quis reportare poteſt.*
16 *Accuſator ex illis cauſis ex quibus à pena calumniæ excuſatur, ex eiſdem abſoluitur a damnis, expenſis, & intereſſe paſſis per accuſatum.*
18 *Delicta non præſumuntur.*
19 *Accuſator excuſatur a calumnia, & alijs expenſis quando eſt ipſe accuſator vir bonæ conditionis, & famæ.*
20 *Falſitas vt euitetur omnis præſumptio admittenda eſt.*
21 *Falſitas vt euitetur omnis etiam nimia ſubtilitas eſt adhibenda; etiam verba impropriando, nu. 22.*
23 *Falſum numquam præſumitur ab aliquo commiſſum quando nullum ex eo commodum poteſt conſequi, & num. 32.*
24 *Falſitas vt in teſtibus euitetur, verba ſunt improprianda.*
25 *Falſitatis pænæ non eſt locus, poſita veriſimili veritate in contrarium.*
26 *Falſitas eſt delictum grauiſſimum, & grauius quàm in mundo reperiatur, excepta hæreſi.*
27 *Actum qui fecit, magis ex licita cauſa ad illum faciendum motus præſumitur, quam ex illicita & includente delictum.*
28 *Præſumptio quæ delictum excludit in concurſu aliarum præſumptionum præualere debet.*
29 *Teſtis de falſo puniri non poteſt, quando falſum deponeret in ſui dicti ratione.*
30 *Falſitas præſumitur potius per errorem & ignorantiam dicta, quam doloſè, & ideo magis præſumitur ignorantia, & error, vt euitetur falſitas.*
31 *De falſo vt quis puniri poſſit, non ſolum requiritur probari falſitatem, ſed etiam dolus verè probandus eſt.*

DECISIO XCIX.

AGebatur cauſa coram nobis inter Dom. Paridem de Zilottis Maſſarium Concordiæ, quærelatum ex vna, & Dom. Ioannem Muſconum quærelantem, necnon Iacobum, & Franciſcum de Gambarinis parte ex altera, vnà cum Fiſco, in qua fuerunt per nos abſoluti ac liberati omnes ſupradicti ab imputationibus, & contra eos prætenſis delictis, ex infraſcriptis. Et

Primò, quia quo ad Dom. Paridem viſum fuit fore & eſſe abſoluendum, quia quo ad quærelam in qua imputabatur quod acceperit operas ab ipſis Gambarinis, & Muſcono, ac alijs ſub promiſſione ipſis per eum facta eximendi eos ab operijs ac laborerijs quæ tenebantur præſtare Excellentiſſimo Dom. Principi noſtro. Vtique viſum fuit plenè ſufficienterque ad condemnandum, hoc non fuiſſe probatum, vnde ſequitur indubitata Conclu-
1 ſio iuris, quod † actore, ſeu accuſatore non probante eius quærelam, ſeu intentionem, reus venit abſoluendus, ad text. *in cap. cum eccleſia, de cauſa poſſeſſ. & propriet. l. qui accuſare, l. finali, C. de probation.* Et quatenus hoc etiam fuiſſet plenè probatum, cum tamen non appareat, nec probetur quod re vera exemerit aliquem ab operibus publicis propter aliquod ſui commodum, & vtile, talis pro-
2 miſſio non redacta ad actum, non † erat punibilis, ac erat locus pœnitentiæ, quæ pœnitentia in delictis excuſat a pena. Specul. *in tit. de teſtibus, nu. 24.* eſt text. *in l. qui falſam, ff. ad leg. Corn. de falſ. l. qui ea mente, ff. de furt.* Menoch. *de arbitrar. iudic. caſu 360. num. 9.* Baiard. ad Clarum *in §. fin. quæſt. 91. numero 4.*

Item, quia eius promiſſio quatenus fuiſſet probata poterat intelligi ſano modo, quod ſcilicet faciet bona talia ſeruitia eo modo quo legitimè, & ſine damno, ac præiudicio ſeruitij Excellentiſs. Principis fuerit ſibi conceſſum, puta, ſubrogando alias operas proprijs ſumptibus, adhibitas loco ea-
3 rum, quibus ipſe vſus fuerit, cum verba † ſemper ſint interpretanda in eum ſenſum, vt delictum excludant, & quælibet eſt facienda interpretatio, quæ delictum excludat, Cephal. *conſil. 179. num. 24.* Becius *conſil. 102. num. 23.* Maſcard. *de probat. Concluſ. 49. num. 4. & 495. num. 1. cum ibi allegatis.*

Et

Et licet appareat quod Paulus Calefacius per ſpa-
tium nonnullarum horarum inſeruiuerit ipſi Maſ-
ſario in ligandis faſcibus, & per hoc ſpatium tem
poris fuerit liberatus a ſeruitio publico, cum hoc
ſit quid minimũ, & nullum præiudicium attulerit
ſeruitijs publicis, non fuit viſum conſideratione
4 dignum, quia † de minimis non eſt curandum.
Caſtrenſ. *in l. in exequutione, §. pro parte, ff. de verb.*
obligat. Salic. *in Authent. Perpetua, C. de ſacroſan.*
5 *eccleſ.* Et † delictum nec dolus præſumuntur, ex eo
facto ex quo de re modica, ac tenui agitur. Rolan.
conſil. 38. num. 36. lib. 1. cum alijs, quos citat Me-
noch. *conſil. 98. num. 28.* quia non eſt veriſimile ali
quem velle delinquere ob nullam, vel modicam
ſui vtilitatem & commodum.

Quo verò ad mentitam, & verba iniurioſa prola
ta ab ipſo Dom. Paride contra d. D. Ioannem Mu-
ſconũ, in hoc etiam viſum fuit abſolutione dignus,
ex quo talia verba, & mentita fuerunt prolata ab
6 ipſo D. Paride ad defenſionem † honoris proprij,
& ad propulſandam iniuriam ſibi illatam, quod de
iure eſt permiſſum. Bar. *in l. quæ omnia, §. 1. ff. de pro-*
cur. Iaſ. *in l. ſi quis extraneus, num. 2. ver. ſecundo limi-*
ta, de acquir. poſſeſ. & in l. vt vim, num. 36. ff. de iuſt. &
iure. Soc. iun. *conſil. 123, nu. 21 lib. 2.* Alciat. *Reſpon-*
ſo 248. numero 3. Menoch. *conſil. 41. numero* 10. qui
alios allegat.

Secundò, quia talis mentita, & verba iniurioſa,
fuerunt prolata ſub conditione, quando ſcilicet ta-
7 lia vellet affirmare. Et † mentita ſeu verba iniurio-
ſa ſub conditione prolata, nõ ſunt punibilia, ex quo
ſi in dicto non perſiſtatur, non habent locum; ſi ve
rò perſiſtatur, dicũtur prolata ad defenſionem ho-
noris, & ad propulſandam iniuriam. Dec. *conſ. 487.*
num. 6. & ſeq. cum multis alijs per Farinac. allegatis
in tract. de var. ac diuerſ. crim. quæſt. 105. inſpect. 7. nu-
me. 321. in fine.

Quo verò ad D. Io. Muſconum ipſe quoque vi-
ſus fuit abſolutione dignus: Namque quod ipſe eſ-
ſet condemnandus tamquam calumnioſus accuſa-
tor, in pœnis iuris, & ſtatutorum, hoc de iure non e-
rat faciendum, cũ ipſe habuerit iuſtam cauſam ac-
cuſandi d. D. Paridem: Si quidem in iure ab omni-
8 bus eſt receptum, † quod accuſator qui habuit iu-
ſtam cauſam accuſandi, excuſatur a pęna calumnię,
etiam ſi defecerit in probationibus, tex. eſt *in l. 1. §.*
ſed non vtique, ff. ad S. C. Turp. & in l. 3. C. de calumnia.
Crauetta *conſil. 178. num. 10.* Benint. *deciſ. Bonon. 46.*
& Farin. *in tit. de accuſat. q. 16. num. 33. & 34.*

Quod autem iuſtam cauſam d. Dom. Muſconus
accuſandi habuerit, deſumitur ex depoſitionibus
quattuor teſtium hoc atteſtãtium, quibus licet op-
ponantur aliquæ exceptiones, non per hoc tollitur
quin ex ipſorum dictis non reſultet talis probatio
quæ ſufficiat ad eum excuſandum a pęna calumnię.
9 Namque de iure † accuſator dicitur habere iuſtam
cauſam accuſandi, quando cum accuſatione con-
currunt tot inditia, quæ alias ſufficiunt Iudici ad
inquirendum, vt per Clar. *in §. finali, quæſt. 62. verſ.*
ſed pone. Crauetta *conſil. 178. numero* 10. Aſinius *in*
pract. indic. §. 32. cap. 2. limit. 5. in fine. Farinac. *d. quæ-*
10 *ſtio. 16. nu. 62.* Et ille qui † accuſationem ſuam pro-
bat per teſtes, qui propter inhabilitatem eorum per
ſonæ reiecti fuerunt, quod dicatur iuſtam habere
cauſam accuſandi adeo quod excuſetur a pœna ca-
lumniatoribus impoſita, tradit Speculat. *in titul. de*
accuſat. & calum. in fine verſic. quid ſi accuſator. Mar-
ſil. *ſingul. 444.* Socin. ſen. *conſil. 118. colum. pen. ver-*
ſic. ex quibus concludo, lib. 1. Menoch. *de arbitr. iudic.*
caſu 177. num. 1. & caſu 321. nu. 31. Benintend. *deciſ.*
46. num. 2. Maſcardus *concluſ. 29. num. 9.* Farinac. *d.*
quæſt. 16. tit. de accuſat. num. 59.

Et licet per ſtatutum Mirandulæ caueatur, quod
accuſationes debeant probari plenè, vel ſaltem ſe-
miplenè, in caſu tamen iſto viſum fuit ſi non plenè
ſaltem ſemiplenè talem accuſationem probari ex
teſtibus examinatis, qui cum deponãt de re per eos
geſta, & ſic de facto proprio, non eſt dicendũ, quin
11 inducant probationem ad † hoc ſufficientem, vt
per Marſil. *conſil. 113. num. 33.* Bertazol. *conſil. cri-*
min. 4. num. 27. & conſil. 93. num. 7. lib. 1. Menoch.
de arbitr. caſu 99. Et probationes ſunt arbitrariæ Iu-
dicis. Menoch. *de arbitr. caſu 90.* Farinac. *de teſtibus*
quæſt. 65.

Secundò, ſtatutum prædictum non videtur habe
re locum in caſu iſto; quia loquitur in priuato accu-
ſatore, nos autem ſumus in Officiali publico, cum
d. D. Io. Muſconus, ſit vnus ex deputatis Concor-
diæ, qui ex debito ſui officij tenetur talia Excellen-
tiſſimo Principi notificare, alias ipſe poterat puni-
12 ri, & † dolo caret, qui facit id quod facere debet,
l. tutor qui repertorium, ff. de admin. tutor. l. dolo, ff. ad
13 *leg. Falc.* Menoc. *conſ. 98. nu. 30.* Et tales † officiales
non tenẽtur ꝓbare tales accuſationes, nec poſſunt
condemnari ob nõ probatam accuſationem, etiam
ſi omnino defecerint in probãdo. Marian. *in capit.*
qualiter, & quando, de accuſat. Boſſius *in titul. de de-*
nunc. numero 14. Clar. *in §. finali, quæſtio. 7. verſiculo*
quæro nunc. Maſcard. *concluſ. 505. nume. 3.* Farinac.
d. quæſt. 16. numero 17. & numero 54. Et in iſtis offi-
cialibus eſt neceſſe probare veram calumniam, ad
hoc vt poſſint condemnari tamquam calumniato-
14 res: quia † de præſumpta non poſſunt condemnari
ſi defecerint in probationibus, text. eſt *in l. mater,*
C. de calumniat. Crauet. *conſ. 178. num. 10.* Menoch.
de arbitr. iudic. caſu 321. num. 22. Maſcard. *de pro-*
bat. concluſ. 24. num. 16. Farin. *d. quæſt. 16. num. 54.*
15 Et quando quis † aliquid agit ex quo nullum com-
modum inde ſibi reſultat, dolo id egiſſe non præſu-
mitur, & ceſſat omnis calumniæ ſuſpicio. Crauet-
ta *conſil. 18. num. 22. & 23.* Menoch. *conſil. 98. nu-*
mero 24. & 25. & conſil. 145. num. 30. At cum in
caſu noſtro nullũ commodũ reſultaret d. D. Ioanni
ex tali accuſatione, viſus fuit abſolutione dignus,
& eo magis, cum hoc fecerit ex debito ſui officij.
16 Menoch. *d. conſil. 145. num. 33.* Ex ijſdem † etiam
cauſis ex quibus accuſator excuſatur a pœna ca-
lumniæ pariter venit excuſandus, abſoluendus, at-
que liberandus ab expenſis, damnis, & intereſſe
paſſis per accuſatum. Grilandus *de relaxat. carcer.*
tit. de calumniat. cap. finali, num. 2. Crauetta *conſil.*
178. num. 10. plenè per Farinac. *d. quæſt. 16. nu. 13.*
in fine, vbi dicit hanc eſſe practicam communem.
Sequitur Bertazol. *conſil. 212. per totum, lib. 1.* vbi

Claud.

Claud. Bertazol. alios cumulat, & teſtatur de com-
muni in littera A, Clar. *§.finali, quæſt. 62*. Rimin.
iun. *conſil.333. num.5*. Couarruu. *pract. quæſt. cap.
37. num. 2*.

Nec poterat etiam condemnari d. Muſconus,
eo quia dederit operas ſupradicto Maſſario ſub
promiſſione immunitatis, & exemptionis ab ope-
ribus Communis; tum, quia non probatur talis ani-
mus quod ob id dederit tales operas, & ſic conſen-
ſerit tali delicto; tum etiam, quia quatenus de hoc
appareret, eſt dicendum bona fide fuiſſe actum; &
eo modo quo non inferatur aliquod delictum, pu-
ta, Maſſarium habuiſſe authoritatem talia faciẽ-
di, vel animum de proprijs pecunijs reſtituendi o-
17 peras Communis acceptas: cum † ad excludendum
delictum quælibet interpretatio verborum ſit ad-
mittenda. Cephal. Dec. Maſcard. & alij, ſupra al-
18 legati. Cum delicta † numquam præſumantur, *l.
merito, ff. pro ſocio*. Alciat. *de præſumpt. reg.3. præ-
ſumpt.1. in princip*. Io. de Amicis, *conſil.60. num.7*.
Bertaz. *conſil. crimin.261. num.10. lib.2*. Menoch.
de præſumpt. lib.5 præſumpt.2. num.1.

19 Accedat, quod in iure veriſſimũ eſt, virum † bo-
næ conditionis, & famæ (prout conſtat eſſe d. Do.
Ioannem) excuſari a calumnia, & ſic a condemna-
tione expenſarum. Alex. *in l. properandum, §. ſin au-
tem alterutra, C. de iudic*. Crauetta *conſil.319. num.
1*. Menoch. *conſil. 145. nume. 28. verſicu. quem re-
cenſet*.

Quod autem attinet ad Iacobum, & Franciſcũ
de Gambarinis, ipſi quoque viſi ſunt abſoluendi ab
imputatione, quod depoſuerint falſum medio iura
mento: nam quo ad Iacobum, dum ei opponitur,
quod in ſuo examine medio iuramento dixerit,
quod poſt feſta Natalitia citrà, non fuerit iuſſus ad
ſeruitia publica præſtanda, niſi per binas vices; &
tamen ex liſtis Conſulis videtur apparere per non-
nullas alias vices fuiſſe ad talia laboreria, vtique ex
hoc non poterat condemnari in aliquam pœnam,
ex quo talia verba optimè verificari poſſunt, cum
Franciſcus eius frater fuerit ipſe vocatus ad hæc
ſeruitia, & eius famulus (vt ex liſtis apparebat) non
autem ipſe Iacobus, & poterat eſſe, quod ipſe nul-
lam de hoc habuerit notitiam, cum ſit ſolitus nego
tiari, & ob talia negotia ſæpiſſimè ſit abſens a do-
mo, & cum ipſe non gerat curam rerum familia-
rium, ſed Franciſcus eius frater, vt ex proceſſu con
ſtat, vnde optimè verificantur verba ſupradicta per
eum prolata, etiam de certa ſcientia. Item, quia in
alio ſuo examine prædicta dicit & affirmat de ſua
credulitate, & iudicio, quod vnicuique liberũ eſt;
cum poſſit vnuſquiſque putare, & iudicare quod
ſibi videtur, abſque incurſu alicuius pęnæ, vt cla-
rum eſt. Item, quia videtur habuiſſe aliquam iu-
ſtam cauſam opinandi, & iudicandi ſe fuiſſe libe-
ratum a talibus operibus, quia ex liſtis productis
apparet, quod per quinque vices fuerunt iuſſi mul
ti alij ad talia ſeruitia, & ipſi Gambarini, niſi per
vnicam vicem fuerant iuſſi, & ſic per quattuor vi-
ces videbantur liberati ab operibus publicis. Vn-
de iudicare poterat fuiſſe ſibi ipſi factam remiſſio-
nem talium operarum, ad compenſationem quat-
tuor operarum quas ipſe præſtiterat dicto Maſſa-
20 rio. Quæ potius ſunt dicenda † & præſumenda,
quam delictum aliquod, vt euitetur falſitas. *c. cum
in, vbi omnes*, & præſertim Felin. *nume.4. & 12.
de teſtibus*. Crotus *de teſtibus, num.327*. Menoch.
21 *de pręſumpt. lib.5. pręſumpt.20. num.2*. Et † omnis
etiam nimia ſubtilitas adhibenda eſt vt euitetur fal
ſitas: Bertazol. *conſil. crim.8. num.13*. Surdus *de-
22 ciſ.282. num.13*. Et propter † hoc verba ſunt im-
proprianda, Crotus *de teſtibus, nu.338*. Bertazol.
23 *d. conſ.8. num.13. in fine*. Et † falſum numquam præ
ſumitur ab aliquo commiſſum, quando nullum cõ-
modum ex eo poteſt conſequi. Crauetta *conſ.319.
num.13*. Roland. *conſil.11. nume.56. & ſeq. & 59.
lib.3*. Menoch. *conſil.98. num.26. lib.1. & de pręſ-
24 ſumpt. li.5. pręſumpt.20. nu.48*. Et † in teſtib. verba
improprianda ſunt vt euitetur falſitas. Paſſer. *con-
25 ſil.188. nu.14*. Surdus *deciſ.282. num.13*. Et † poſi
ta poſſibili veritate, numquam eſt locus pœnæ fal-
ſitatis. Surdus *d. deciſ.282. num.14*. Bald. *in cap.1.
§. notandum, de natur. feud*. Boſſius *tit. de falſit. nu-
26 me.133*. Ratio ea eſſe poteſt: quia † falſitas eſt gra
uius delictum quod reperiatur in mundo, (excepta
hæreſi) cum ſtatum hominis ad nihilum reducat,
ita quod de falſario idem quod de mortuo iudica-
tur. ita Ioan. de Anan. *in rubrica de crim. falſi, col.
6*. Soc. iun. *conſ.39. vol.2*. Dec. *conſil.175.189. & con-
ſil.602*. Purpur. *in l. tranſigere, num.107. C. de tran-
ſact*. Immò, eſt deterioris conditionis mortuo,
quia honoratè honos eſt, ſed viuere in falſitate, eſt
infamia, quo ſtante cauſa falſitatis dicitur cauſa ca
pitaliſſima.

Quo verò ad Franciſcum Gambarinum nihil
ex eius depoſitione videtur apparere per quod po-
tuiſſet condemnari; licet enim dicat, quod D. Pa-
ris habuerit operas ſupradictas ſub promiſſione im-
munitatis prædictæ, hoc aſſerit de auditu ab eius
fratre, & debet intelligi eo modo quo ſupradictum
27 fuit, ad excludendum delictum. Et ad † actum fa-
ciendum quis præſumitur potius inductus ex cau-
ſa licita, & excludente delictum, quam ex illicita,
& delictum includente. Bart. *in l. fina. §. de illo, ver-
ſic. quęro quando, ff. de bon. cor*. Farinac. *de reo confeſ-
28 ſo & conuicto, quęſt.85. num.19. circa finem*; & † ſem
per in concurſu præſumptionum illa præſumptio
quæ excludit delictum, eſt ſequenda. Roland. *con-
ſil.11. num.35. lib.3*. Cephal. *conſil.75. num.8*. Berta-
zol. *conſil. crim.80. num.16. lib.1*.

29 Et generaliter loquendo, † numquam teſtes poſ-
ſunt puniri dę periurio quando dicunt falſum in
ratione quam adducunt ſui dicti. Ancharan. *conſil.
24*. Felin. *conſil.48. num.4*. Iaſon *conſil.153. nume.
4. lib.2*. Gabriel. *libro commun. opinion. tit. de crimin.
concluſ.33. in fine, & conſil.169. num.15*. Becius *con-
ſil.78. num.3*. Bertazol. *conſil. crimin.8. nume.26.
lib.1*. At in caſu iſto dictum d. Iacobi erat huiuſmo
di, quia dum dicebat, ſe numquam fuiſſe in commu
ni niſi per duas vices, hoc dicebat reddendo ratio-
nem ſui dicti.

30 Accedat etiam, quod quando aliquis teſtis † di-
ceret in aliquo falſum, præſumitur potius per igno
rantiam, & errorem dictum, quam per dolum, vt
falſitas

falſitas euitetur. Grammat. *conſil.23.num.4.& conſil.41.* Marſil. *in rubr. de probat. num.322.* Pariſ. *conſil.69.num.55.lib.4.* Boſſ. *in tit. de falſit. num.134. & de defenſ. reor. num. 70.* vbi dicit, quod ſufficit qualis qualis præſumptio pro imputato de falſo.
31 Bertazol. *conſil.8.num.14.& ſeq.lib.1.* Et † ad hoc vt quis de falſo puniri poſſit, debet apparere manifeſtè de dolo, & debet probari. Socin. iun. *conſil. 37.num.28.lib.2.* Alciat. *de præſumpt. reg.2. præſumptio.31.nu.3.* Menoch. *de præſumpt. lib.5. præſumpt. 20.num.51.& 52.*
32 Accedat, quod cum nullum † commodum ex hoc reportare poſſet d. Gambarinus, ideo non eſt præſumenda aliqua falſitas, & hæc coniectura ſola ſufficit ad excludendam falſitatem. Alexand. *conſil. 74.num.4. lib.1.* Crauet. *conſil.75.nume.17.* Rub. *conſil.15.* Roland. *conſil.38. col. penult. lib.1.* cum alijs ſupra allegatis. &c.

ARGVMENTVM.

Repetitio tormentorum quomodo poſſit per Iudicem fieri.
Confeſſio emanata in tormentis adhibitis, non exſtantibus indicijs ſufficientibus, an noceat reo confeſſo.

SVMMARIVM.

1 *Mulieres in delictis occultis admittuntur, & optimè probant.*
2 *Indicium valde propinquum probatur per dictum vnius teſtis, & num.5.*
3 *Teſtis in vno falſus, ſicuti in ceteris redditur falſus, ita teſtis in vno veridicus, in alijs reputatur veridicus ex præſumptione iuris.*
4 *Mulieris dictum in delictis occultis inducit ſufficiens indicium ad torturam.*
6 *Frequentatio loci verificatur in duabus vicibus.*
7 *Frequentatio loci delicti dicitur quædam viſitatio loci, ex qua oritur indicium ad torturam.*
8 *Iudicium vnum proximum ſufficit ad torturam.*
9 *Indicia quando ſunt remota, duo ſufficiunt ad torturam.*
10 *Indicia, argumenta, & coniectura in delictis valde difficilis probationis, optimè coniungi poſſunt ad inducendam probationem ſufficientem ad torturam. Immo etiam quandoque coniungi poſſunt ad effectum condemnandi ſaltem in pœnam extraordinariam.*
11 *Indicia quando ſunt plura quam duo, ad ea probanda non eſt neceſſe probari per duos teſtes; ſed ſufficit probari per vnum teſtem.*
12 *Teſtes ſingulares licet non probent, attamen probant ſi ita Iudici rationabilibus de cauſis viſum fuerit.*
13 *In delictis occultis & difficilis probationis & grauiſſimis, deuenitur ad torturam, etiamſi indicia non eſſent ita perfecta, ſicuti in alijs delictis eſſe debens. Immo ex aliquorum ſententia deueniri poteſt ad tormenta ſine indicijs. Et quod propter enormitatem criminis poteſt procedi iuris ordine non ſeruato, & a iure aliqualiter recedere: quia enormia delicta reperiũtur ab ordine, & regulis iuris penitus excluſa.*
14 *Indicia quatenus ſint grauia, & vrgentia, & ad torturam ſufficientia, eſt remiſſum Iudicis arbitrio.*
15 *Tormenta non ſunt repetenda, niſi ſuperuenerint noua indicia prioribus grauiora, etiam in delictis atrociſſimis. Hoc tamen non procedit, quando indicia priora eſſent valde grauia, & tortura leuis, ita quod non potuerint per eam purgari.*
16 *Indicia an ſint ſufficienter purgata, hoc eſt remiſſum Iudicis arbitrio.*
17 *Arbitrium Iudicis regulari debet ſecundum iuris regulas.*
18 *Tortura per ſpacium dimidiæ horæ cum ictu, & quaſſatione, dicitur valde grauis, & quartus gradus torturæ, qui verificatur non ſolum in dimidia parte vnius horæ; ſed etiam in tertia parte, & in vno ictu funis, & vnica quaſſatione.*
19 *In dubio pro non repetitione tormentorum eſt iudicandum.*
20 *Confeſſio emanata in tormentis adhibitis ſine ſufficientibus indicijs, non eſt per iudicem attendenda, nec aliquo modo nocet ipſi confitenti, etiamſi millies ſponte fuerit ratificata, ſecundum communem Doctorum ſententiam.*
21 *Reus poteſt condemnari in pœnam extraordinariam quando verſatur in dubio, & contra reum exſtant indicia grauiſſima, & vrgentiſſima ac ferè indubitata.*

DECISIO C.

HIeronymus Pedronus fuerat condemnatus in pœnam vltimi ſupplicij, & ignis, ob incendium a Fiſco prætenſum per eumdem immiſſum in duabus ædibus in Ciuitate Mirandulæ, per quod prædictæ ædes remanſerant penitus deſtructæ cum maximo detrimento dominorum earumdem. Qui Hieronymus iuſtis ac validiſſimis rationibus a prudentiſſimo ac ſapientiſſimo Principe Do. Alexandro, ducto (vt eſt credendum) a Spiritu Sancto, quem tam rectos ac Catholicos Principes regere, ac in omnem viam veritatis, & iuſtitiæ dirigere non eſt ambigendum, fuit ad nouas defenſiones admiſſus, in quibus oſtẽdere conabatur ſibi inflicta fuiſſe tormenta atrocia, non exſtantibus contra eum ſufficientibus indicijs, & propterea eius confeſſionem non eſſe attendendam, & ſententiam non eſſe exequutioni demandandam. Cauſa autem tota circa tria capita potiſſimum verſabatur.

Prima erat, an tortura contra d. Hieronymum prima vice inflicta ritè ac legitimis præcedentibus indicijs fuerit illata.

Secundum erat, quatenus prima tortura fuerit legitimè adhibita; an adhuc remanerent alia indicia, ex quibus ad ſecundam torturam poſſet legitimè deueniri.

Tertiũ verò caput verſabatur, an indicia eſſent adeo

adeo grauia, & vrgentia, vt ex prima & ſecunda tortura non fuerint ſufficienter purgata, ita quod eſſet neceſſe venire ad ſeuiſſimum tormentum vigiliæ, ſuper quo d. Hieronymus fuit ſuperpoſitus, & cuius vi faſſus eſt tale delictum.

Quo ad primum, fui in voto ipſum Hieronymum fuiſſe ex legitimis indicijs ſuppoſitum torturæ, & hoc, quia in proceſſu aderat depoſitio cuiuſdam mulieris nomine Fuluiæ bonæ vitæ, conditionis, & famæ, & quæ nullam patiebatur exceptio-
1 nem quoad eius perſonam, quæ licet ſit † mulier, at tamen in talibus delictis occultis, admittitur, & optimè probat. Gram. *in conſil. crimin.* 12. *num.* 17. Viuius *Comm. opin. fol.* 281. *verſic. teſtis idonea.* Rol. *in conſil.* 7. *num.* 12. *lib.* 1. Abb. *in c. quoniam, num.* 2. *de teſtibus.* Felin. *in d. c. quoniam, num.* 1. Dec. *eodem cap. quoniam, num.* 8. deponens quod eodem ſero, quo ſequutum fuit incendium, dum ſtaret in quadam eius feneſtra, vidit tres per viam tranſeuntes, inter quos erat vnus in medio, qui ſonabat, & canebat, quos vidit ſe vertere per viculum Plebis, & dum ſe verterent, audiuit vnum ex dd. tribus talia verba proferentem: [Andiamo mò, che è hora che ogni vno ſia a letto a fare quello, che hauemo da fare, che adeſſo cantiamo noi, & fra due hore vi ſarà chi piangerà, & vi ſarà vn gran rumore.] Inter iſtos autem tres adfuiſſe dictum Hieronymũ optimè colligebatur ex proceſſu per depoſitionẽ Franciſci de Coſtis tubicinis, Fuluij Ambroſini, ac etiam ipſiuſmet Hieronymi, Et cuius mulieris dictum verificabatur in alijs, nempè, quod eſſent tres ambulantes per viam, & vnus eorum ſonaret, per dictum duorum teſtium in tempore, in loco, ac in in alijs circumſtantijs, nempè, quod voluerint ſe per dictum viculum Plebis, & quod aliæ mulieres audierint ipſos tranſeuntes ſonãdo per viam S. Ludouici, & quod poſtea cœperit ſonari campana ignis, poſt ſpatium vnius horæ, & quod non haberent lumen aliquod, & quod vnus eorum non geſtaret pallium, & quod ſibi viſi ſint in ſermone forenſes, prout eſt ipſe Hieronymus; ex quibus omnibus non eſt dubium, oriri indicia ad torturam ſufficientiſſima: tum, quia dictum prædictæ mulieris, cuius perſonæ nulla videtur opponi exceptio, in talibus delictis occultis, & difficilis probationis, inducit ſufficientem probationem, cum ſit in-
2 dicium † oriens ex eius dicto admodum propinquum, quod probatur per vnum teſtem, Farinac. *de indic. & tortura, quæſt.* 37. *num.* 18. *& num.* 41. *cum ibi allegat.* tum etiam, quia cum in alijs verificetur, (vt ſupra dictum fuit) ſequitur regula iuris,
3 quod † ſicuti teſtis in vno falſus, in alijs redditur falſus. Alexand. *in l. ex falſis, num.* 13. *C. de tranſact.* Dec. *in conſil.* 105. *num.* 5. Alex. *in conſil.* 133. *nu.* 7. *& conſil.* 152. *nume.* 10. *lib.* 7. Marſil. *Singulari* 76. *verſic. communis concluſio*; ita quoque teſtis repertus in vno veridicus, in alijs etiam creditur & reputatur veridicus, vt contrariorum eadem ſit determinatio, iuxta iura vulgaria: Et hæc eſt præſumptio proueniens a iure, *l. ſemel, de reg. iur. in* 6. Et
4 quod † dictum ſolius mulieris in talibus delictis occultis inducat ſufficiens indicium ad torturam, notat Grammat. *in conſil. crim.* 40. *num.* 12. *in fine, verſic. quæ ſola ſufficeret.*

Secundò, aderant contra dictum Hieronymum multa alia, nempè, quod eodem ſero pluries acceſſerit ad locum vbi ſequutum fuit incendium, vt de vna vice conſtabat ex eius confeſſione. Et de alia vice ex depoſitione militis cuiuſdam in excubijs vi-
5 gilantis, qui miles † licet ſit vnicus, cum ſit tamen integer teſtis, probat tale indicium, cum ſit proximum, vt per Farinac. *in d. quæſt.* 37. *num.* 38. *& nu-*
6 *me.* 41. Qui † acceſſus, & frequentatio loci delicti, quæ verificatur in duabus vicibus. Archid. *in c. illud,* 12. *diſtinct.* Farinac. *de delict. & pœnis, quæſt.* 23.
7 *num.* 17. dicitur † quædam loci viſitatio, ex qua oritur indicium ad torturam. Boſſius *in tit. de indic. nu.* 51. *cum ibi allegatis.* Item, quod eodem ſero paulò ante incendium, habuerit ſermonem cum alijs de quodam alio incendio hic ſequuto, & etiam poſt incendium alia vice habuerit ſermonem cum ijſdem de incendio de quo agitur in platea Mirandulæ, quæ ſine aliquo indicio eſſe non poſſe dicendum erat, cum ſapere videantur naturam quandã tractatus. Apparebant etiam ex proceſſu plures variationes, contrarietates, mendacia, quæ (dato etiam quod non eſſent circa ſubſtantialia) non poterant tamen negari, quin etiam afferent indicium aliquod ſatis vrgens. Cum ergo hic adeſſent indi-
8 cia proxima, (vt ſupra dictum fuit) quorum † vnum ſufficit ad torturam, ut per Boſſium *de indic. & conſider. ante tortur. num.* 71. Aderant etiam plura
9 alia indicia remota, quorum † duo ſufficiunt ad torturam, ſecundum communem opinionem Doctorum, de qua per Boſſium *in allegato loco*; quomodo ergo negari poteſt in præſenti caſu non adeſſe indicia ſufficientiſſima ad torturam?

10 Quæ † indicia, argumenta, & coniecturæ, in delicto tam graui, ac difficillimæ probationis, optimè coniungi poſſe ad inducendam ſufficientem probationem, ad effectum torquendi, optimè probatur, ex Farinac. *de indic. & tortur. quæſt.* 36. *num.* 244. cum multis per eum relatis. Immò, etiam coniungi quandoque ad effectum condemnandi, ſaltẽ in pœnam arbitrariam, tradit idem Farinac. *d. q.* 36. *num.* 245. Gramm. *deciſ.* 34. *num.* 35. & Menoch. *de præſumpt. lib.* 1. *quæſt.* 40. *num.* 9.

Nec dicatur, quod indicia prædicta pro maiori parte non ſunt probata per duos teſtes, vt requiri-
11 tur de iure. Quia † qñ indicia ſunt plura, quam duo, ſufficit, quod ſint probata per vnum teſtem. Farin. *de indic. quæſt.* 37. *num.* 38. *in fine cum alleg.* Et quia ſunt proxima, & propinqua, vt dictum eſt. Et li-
12 cet † teſtes ſingulares non probent, probabunt tamẽ ſi ita Iudici rationabilibus de cauſis viſum fuerit. Gabr. *de teſtib. concluſ.* 2. *in* 2. *limit. num.* 62. cum multis allegatis. Farinac. *d. quæſt.* 37. *num.* 39. Et quia illud procedit in condemnando, non autem in torquendo, Farinac. *d. quæſt.* 37. *nu.* 37.

13 Tertiò in † talibus delictis occultis, ac difficilis probationis, & grauiſſimis, deuenitur ad torturã, etiam ſi indicia non eſſent ita ſufficientia, & perfecta, ſicut in alijs delictis, immo etiam auſi ſunt aliqui aſſerere, ſine indicijs poſſe deueniri ad torturam,

ram, vt per Bald. *in l.quicumque, C. de ſeruis fugit.* & Gramm. *in conſil.crimin.*40.*num.*7.vbi etiam tradit, quod propter enormitate criminis, poteſt procedi iuris ordine non ſeruato, allegat. Paridem de Puteo, & Hippolyt. *in Praxi & conſilijs*. Et propter enormitatem delicti licet a iure aliqualiter diſcedere, ſecundum Innoc. ibi alleg. quia enormia delicta reperiuntur ab ordine, & regulis iuris penitus excluſa, ſecundum eumdem Grammaticum *in allegato conſil.* 40.

14 Quartò, cum tota iſta materia † indiciorũ, quęnam ſint multum vrgentia, & grauia, & ad torturam ſufficientia, ſit remiſſa iudicis arbitrio, ex adductis per Farinac. *de indic. dicta quæſt.*38.*nume.*33. *& numero* 86. ideo cùm Dom. Iudex ita iudicauerit, & arbitratus fuerit, ſtantibus ſupradictis rationibus & fundamentis, clarum eſt, torturam hac prima vice fuiſſe legitimè inflictam; nec poſſe ab aliquo eius arbitrium reprehendi.

Quo verò ad ſecundum caput, numquid ipſe Hieronymus ſecunda vice fuerit legitimè tortus,
15 clara eſt in iure regula, quod † non poteſt deueniri ad repetitionem tormentorum, niſi ſuperuenerint noua indicia, & quidem prioribus grauiora, ſecundum communem opinionem Doctorum, prout teſtatur Marſilius *in l. repeti, ff. de quæſtion. numero* 10. Farinac. cum innumeris allegatis *de indic. quęſtio.* 38. *numero* 72. Et hoc etiam procedit in delictis atrociſſimis, Aymo *in conſilio* 287. *Nobilis, numero ſexto, & ſeptimo*, cum alijs allegatis per eumdem Farinac. *dicta quęſtione* 38. *numero* 73.

Hæc tamen regula non procedit, quando indicia priora eſſent adeo grauia, & vrgentia, & tortura adhibita ita leuis, vt per primam torturam non fuerint ſufficienter purgata: quia tali caſu poteſt iterari tortura, licet non adſint noua indicia, vt per Clarum, *in Praxi, §.finali, quęſtio.* 64. *in fine, verſic.vltimo videndum*, cum alijs multis, de quibus per Farinac. *in dicta quęſtione* 38. *nume.*83.

An autem reus fuerit leuiter, an verò ſufficien-
16 ter tortus, & † an indicia fuerint ſufficienter purgata, & an talia indicia ſint multum, aut parum vrgentia & valde manifeſta, hoc totum cùm ſit remiſſum Iudicis arbitrio, vt per Farinac. *in dicta quęſtione* 38. *nume.*86. *&* 87. *in fine*, cum multis adductis, & Dom. Iudex deuenerit ad repetitionem torturæ, arbitrando non fuiſſe per primam torturam ad ſufficientiam purgata indicia contra dictum Hieronymum exiſtentia, vtique dicendum eſt, hoc ſibi licuiſſe, maximè cum ipſe Hieronymus prima vice fuerit per ſpacium dimidiæ horæ tantummodo tortus; Et ſic erit concludendum, ſecundam torturam fuiſſe etiam legitimè, ac iuridicè inflictam.

Modo deueniendo ad tertium caput propoſitum, an ſcilicet poſt ſecundam torturam paſſam per ipſum inquiſitum per ſpatium dimidiæ horæ, potuerit ſtatim, & immediatè abſque aliquo interuallo ipſe Hieronymus imponi ſuper tormentum vigiliæ & æquuleum, hoc ſemper apud me fuit valde dubium. Namque licet (vt ſupra dixi) ſit arbitrarium iudici, an reus fuerit ſufficienter tortus, & ſic an indicia fuerint ſufficienter purga-
17 ta, hoc tamen † arbitrium regulari debet ſecundum iuris regulas, vt per Farinacium *in dicta quęſtio.* 38. *numero* 87. *verſic. horum tamen opinio, & quęſtio.*37. *numero* 196. At modo conſiderando, & ponderando regulas iuris, dico, quod limitatio regulæ ſupra deductæ, nempè, quod poteſt Iudex deuenire ad repetitionem torturę ſine nouis indicijs, quando prima indicia non fuerunt ſufficienter purgata, hoc intelligitur a Doctoribus allegatis, quando leuiter prima vice quis fuerit tortus. At in hoc caſu prima tortura inflicta ipſi Hieronymo non poteſt dici leuis, ex quo fuit per ſpa-
18 tium † dimidiæ horæ cum ictu, & quaſſatione, qui eſt quartus gradus torturæ, & non remanebat alia durior, & acerbior tortura, niſi illa, quæ datur cum ponderibus pedibus alligatis, qui eſt quintus, & extremus gradus torquendi, vt per Farinacium *in dicta quęſtione* 37.*numero* 47. *&* 49. Et iſte quartus gradus torturæ verificatur non ſolum in dimidia parte vnius horæ, ſed immò in tertia parte, & in vno ictu funis, & vnica quaſſatione, vt per eumdem Farinac. *in dicta quæſtione* 38. *numero* 47.

Vnde cum tortura inflicta ipſi Hieronymo dicatur valde grauis, clarum eſt etiam, indicia valde grauia per ipſam purgata. Sed dato etiam quod Iudex potuerit deuenire ad ſecundam torturam, cum in hoc habeat amplum arbitrium (vt ſupra demonſtraui) per hanc tamen repetitionem torturæ per aliam dimidiam partem horæ, videntur taliter purgatæ omnes reliquiæ indiciorum prædictorum, vt nihil reſidui remanſerit indici, per quod deueniri poſſet ad aliud genus tormentorum valde grauius, & extremum, nempè vigilias. Et
19 in † dubio pro non repetitione tormentorum eſt iudicandum. Boſſius *tit. de indic. numero* 72. Farinac. *dicta quęſtione* 38.*numero* 89. Ex quo ſequi vi-
20 detur, quod cum † tale tormentum fuerit adhibitum purgatis indicijs, & ſic non exſtantibus indicijs ſufficientibus, non tantum, immò nullis penitus, eius confeſſio emanata in hoc tormento, non ſit attendenda, nec aliquo modo noceat ipſi confitenti, etiamſi millies ſponte fuerit ratificata, ad late tradita per infinitos Doctores, quos allegat Farinac. *in quęſtione* 37. *numero* 110. *& dicta quæſtione* 38.*num.*78. eſtque communis, & ab omnibus recepta opinio. Follerius *in practica crimin. in verbo, etſi confitebuntur, in tertia parte, tertię partis principalis, numero primo*. Marſilius *in l. prima, nume.*32. *ff. de quæſt.* Burſat. *in conſil.*201.*num.*22. *volum. ſecundo*.

Quare ſtantibus prædictis difficultatibus, & dubietate, in qua verſabatur, tutius ac mitius agendo, fui in voto, (& ita etiam exequutum fuit prædictam ſententiam mortis contra dictum Hieronymum emanatam, nullo modo fore exequutioni demandandam. Sed fore ipſum Hieronymum condemnan-

21 demnandum † in aliquam pœnam extraordinariam citra mortem, ad arbitrium Excellentiſſimi Domini noſtri Principis iuſtiſſimi, ac clementiſſimi. Quod in talibus caſibus fieri poſſe tradunt Ioſeph. Ludouic. *Concluſ.* 45. *colum.* 4. vbi de communi teſtatur. Lepidus *deciſ.* 149. *verſiculo, & ſatis in propoſito*. Ruinus *in conſilio* 10. *numero ſeptimo, lib.* 5. Farinac. qui multos allegat *in Praxi, in titulo de reo confeſſo, & conuicto, queſtio.* 86. *numero* 87. &c.

F I N I S.

Præſens Opus Eccellentiſs. D. Franciſci Merlini I.C. Foroliuienſis, in quo Deciſiones Almæ Rotæ Lucenſis comprehenduntur, fuit pro impreſſione reuiſus, & approbatus, &c.

Ita eſt, Fr. Io. Dominicus Vignutius Mag. General. Inquiſit. Venet.

Corrigebat, præuiſo antea authoris autographo, Doct. Huppertus Faber, Vbius, Agrippinas, Lector publicus apud Venetos, & Corrector, approbante Clariſſimo Iuriumq. Conſultiß. viro, Ioanne Sozomeno, rei Typographicæ Præfecto ſummè merito, domino & fautori ſuo vnicè colendo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, M DC XVI.

Apud Bartholomæum Rodellam, Damiani Zenarij hæredem, ſub candentis Salamandræ ſigno.

Digitized by Google